









NEW YORK
BROADWAY

CAROLI NIPPERDEII

OPUSCULA




BEROLINI

APUD WEIDMANNOS

MDCCCLXXVII





Spicilegia in Cornelio Nepote duo, cum prioris exemplaria fere divendita esse, alterum per plurium programmatum Ienensium seriem moleste discerptum a multis frustra requiri audisset, nova editione coniungere Nipperdeius ipse constituerat: nec tamen ut consilium exequeretur evenit. Mortuo Nipperdeio ut non solum illud negotium susciperem, sed omnia eius scripta sive per academici officii opportunitates publicata sive in ephemeridum litterariarum voluminibus sparsa uno corpore comprehensa ederem, auctor mihi fuit Ioannes Reimerus bibliopola ornatissimus. Cui eo libentius obtemperavi, quia talem collectionem et viri primarii memoria dignam et eandem eis qui studia litterarum et antiquitatum Romanarum colunt, gratam utilemque fore persuasum erat. Exclusi autem ab hoc opusculorum volumine libellum de legibus annalibus rei publicae Romanae commentationibus societatis litterariae Saxonicae anni MDCCCLXV *insertum, simul seorsim evulgatum et facile parabilem: contra recepi ineditas orationes duas de ratione et usu studiorum philologiae et quaedam in manu scriptis Nipperdeii relicta aut ex scholis ab eo habitis excerpta. Quae in suis exemplaribus ille correxerat aut adnotaverat sat pauca numero religiose adhibui eaque uncis distinxi. Mihi si quae monenda addendave videbantur, litteris obliquis adscripsi et cancellis inclusi. Ceteroqui auctoris exemplar ne in scribendi quidem et interpungendi*

ratione deserui, nisi quod aliquotiens aequalitati et lectoris commoditati consulendum erat.

Typothetae errata praeter leviora quaedam (ut p. 115, 6 et 161, 8) haec relegentem fugerunt: p. 102, 8 Proprius *pro* Propius; *144, 4 ab ima* codibus *pro* codicibus; *167, 2* obectum *pro* obiectum; *in adnotatione p. 23* diem *pro* idem; *44, 3* Ultraiectino *pro* Ultraieetina.

Argentorati
m. Sept. a. MDCCCLXXVII.

R. SCHOELL.

I.


Cornelii Nepotis reliquias qui secundum artis leges recenseret primus inventus est anno MDCCCXLI Carolus Ludovicus Rothius Brisigavus. Nam Beneckius eodem fere tempore (etsi enim extrema editionis suae anno MDCCCXLII exeunte scripsit, non viderat tamen editionem Rothii) cum nova subsidia non comparasset, paratis non ea qua par erat diligentia usus esset, quippe qui fungi sese officio posse confideret si editiones Bardilii, Fischeri, Heusingeri adhibuisset, neque de auctoritate codicum satis recte existimare neque eum inde quem licebat fructum percipere potuit. Idem ad scriptoris verba coniectura emendanda tantum attulit ut nihil sane dignum commemoratione effecisse videatur. Sed Rothius et apparatum eum collegit et de auctoritate codicum ita iudicavit et quae hac auctoritate effici poterant tam diligenter et considerate persecutus est perpauca ut desideres quin huic parti critici muneris plene satisfecisse censendus sit. Quas reliquias cum colligere in animo sit antequam ad alteram critici officii partem praetermissam a Rothio accedam, non repeterem ea quae recte ille de codicibus disputavit nisi quorundam qui post eum de Cornelio Nepote scripserunt eam infirmitatem et inconstantiam iudicii in hac re animadverterem ut quo fundamento emendatio scriptoris niti debeat nondum omnes satis perspexisse videantur. Dicam autem, ut par est, de iis tantum codicibus qui non uno et altero loco inspecti, sed aut plene aut certe perpetuitate quadam collati sunt. Et quamquam in minoribus quibusdam rebus paulo distinctius me hanc quaestionem persecuturum arbitror, exemplis tamen ex scripturis codicum afferendis supersedere possum, cum et qui accurate in hanc rem inquirere volent materiem omnem in margine editionis

Rothianae apte dispositam habeant et qui hunc laborem defugient quod satis sit in Rothii commentatione quae est de auctoritate codicum possint invenire.

2 Quod igitur in plerisque veterum scriptorum libris qui aetatem tulerunt idem in Cornelio Nepote usu venit, ut codices omnes qui supersunt ex uno aliquo satis recenti vitiisque non paucis et lacunis deformato orerentur. Ex hoc codice qui periit duo alii sunt ducti, quorum alter est qui tamquam plures essent Danielinus et Gifanianus appellatur et unde permulta in editione Ultraiectina et simulatione Leidensis cuiusdam codicis (primum vocant) in commenticia eius collatione prolata sunt. Atque hunc codicem, qui saeculo sextodecimo a compluribus hominibus doctis versatus hodie frustra quaesitus est, longe altero praestantiorem fuisse cum menda permulta tum defectus omnium reliquorum codicum demonstrant quae ex hoc codice correcta sunt et expleta*). Etenim ille alter codex quem ex archetypo ductum diximus, qui item amissus est, fons extitit omnium reliquorum codicum quotquot adhuc praeter Danielinum sunt inspecti, iique item per duos codices ex illo propagati sunt, quorum alter superest, Guelpherbytanus, alterum qui periit communibus ceterorum codicum lacunis aliisque vitiis quibus soli Danielinus et Guelpherbytanus immunes sunt cognoscimus. Inde origo codicum trifariam dividitur. Nam ex uno codice orti sunt Sangallensis, Urbinas numero CCCCXXXVI, Faesulanus, Ottobonianus numero MCCCCLV, Alexandrinus numero DCCLXVIII, Patavinus et qui ad deteriores deflectit Monacensis; ex alio codices collegii Romani et Savaronis (atque inter haec duo genera Leidensis secundus et Vossianus primus ita fluctuant ut ille in

*) [*Haec de meliore archetypi propagine prolata ex parte retractanda esse post codicem Parcensem repertum Nipperdeius intellexit et in praefatione Nepotis a. 1867 recogniti breviter monuit ita:* Ante annum MDCCCLIII optimae codicum familiae Cornelii Nepotis testes habebamus Danielinum sive Gifanianum (unus enim codex fuit), Leidensem Boecleri, editionem Ultraiectinam; quorum scripturis diligentissime collectis rectissimo iudicio usus erat Carolus Ludovicus Rothius . . . . . Eidem contigit, ut huius familiae novum testem Lovanii inveniret, codicem Parcensem; cuius collationem additis duabus scripturis codicis Batavici eiusdem generis, ad quem editionem Ultraiectinam exactam esse a Ioanne Cauco sagaciter coniecit, in Musei Rhenani volumine octavo publicavit.]

plerisque cum priore, hic cum altero consentiat, ad quod etiam Vossianus tertius, de quo non satis constat, videtur pertinere); ex tertio denique reliqui omnes qui quidem paulo accuratius sint collati. Sed hi quos extremo loco commemoravi, quos brevitatis causa deteriores appellabo, et in plura genera discedunt, et rursus in singulis cum horum generum confusio tum correctio ex aliis codicibus eius potissimum familiae cuius codices collegii Romani et Savaronis sunt apparet. Verum haec persequi inutile est, cum ea sit horum codicum condicio ut tum demum cum aut omnes aut plerique consentiant et quid in codice eorum principe scriptum fuerit demonstrent ad eruendam codicis archetypi scripturam adhiberi possint. Itaque his relictis quo facilius percipiantur quae de origine codicum disputavimus tabulam cognationis subieci, in qua codices qui perierunt Graecis litteris significati sunt. 3



Iam vero cum omnes codices qui supersunt ex uno illo quem littera *A* significavimus fluxisse compertum sit, ea quae Nepos scripsit non posse restitui apparet nisi quid in illo codice scriptum fuerit teneamus. Atque id quidem dubium non erit cum omnes codices consentient; in dissensu codicum considerandum est quid sequendum videatur. Iam primum iis locis quibus Danielinus et ille alter codex cuius scriptura ex reliquis efficitur dissentiunt, cum ex iis rebus quas supra commemoravi Danielinum longe illi alteri codici praestitisse cognoverimus, ubicumque aberratum esse in Danielino certis argumentis demonstrare non potuerimus hunc ipsam codicis archetypi scripturam servasse censendum erit; sicubi erroris hic codex convictus fuerit id esse verissimum unde facillime error illius nasci potuerit. At plerumque antequam Danielinum et illum alterum codicem quem *B* diximus contendere possimus dissensus reli-

quorum codicum facit ut quid in hoc scriptum fuerit indagandum sit. In qua re inter Guelpherbytanum et eos codices qui ex codice *Γ* fluxerunt eandem rationem intercedere atque inter Danielinum et eos qui ex codice *B* orti sunt item ex iis quae paulo ante de Guelpherbytano monuimus perspicitur. Atque hi duo codices soli ita sunt scripti ut perraro et in levissimis tantum rebus antiqua scriptura de industria immutata esse videatur; reliqui omnes aut ipsi compluribus locis sunt adulterati aut ex adulterato fonte originem trahunt. Atque haec libido, cuius prima atque aperta vestigia in codice *Γ* apparent, et in codicibus *ΔEZ* et in singulis qui inde orti sunt latius manavit, ita ut in prima et tertia familia ea quae non intellegerentur aut minus recta viderentur, sed in prima et multo paucioribus locis et longe cautius, in secunda ea quoque in quibus homo neque ineptus et sermonis Latini satis peritus elegantiam desideraret pro arbitrio immutarentur. Hac ratione permulti errores codicis archetypi sunt emendati, longe plura aut ipsa vera aut veri
4 vestigia corrupta sunt et obscurata, ut nihil[1] dicamus de erroribus et neglegentia librariorum quibus maxime deteriores codices conspicui sunt. Sed si quaerimus quae sit horum codicum ad scripturam codicis *Γ* inveniendam auctoritas, hoc tenendum est optimam esse familiam ex codice *Δ* ortam, secundum locum obtinere quae ex codice *E*, ultimum quae ex codice *Z* originem duxit; nullam tamen ita praestare ut inferiorem neglegere liceat. Ubicumque igitur hae tres familiae omnes inter se ita dissentient ut neque Danielino aut Guelpherbytano adhibito neque rationibus ex ipsis scripturis petitis, sed sola auctoritate horum codicum quid in codice *Γ* scriptum fuerit diiudicandum sit, primae familiae testimonio est credendum; consentiens vero eodem casu duarum reliquarum testimonium primam erroris aut fraudis convincere censendum est.

Atque haec esset certa atque expedita ratio codicis archetypi restituendi si in apparatu critico eorum tantum codicum quos Graecis litteris notavimus scripturas desideraremus. At cum codex omnium optimus, Danielinus, hodie superesse non videatur, ab iis autem qui eo uti potuerunt neque plene neque satis accurate collatus sit, non raro quae de eo traduntur dubitationi sunt obnoxia, saepe quid in eo scriptum fuerit comparata editione Ultraiectina aut commenticia illa Leidensis primi

collatione cum scriptura reliquorum codicum coniectura eruendum est, saepe denique ne hoc quidem fieri potest. Quae cum ita sint, multis locis non codicis archetypi scripturam, sed eius tantum quem *B* diximus inveniri posse apparet. Qua re quibus locis fiat ut minus recte de iis quae Nepos scripserit iudicemus non sentimus ubicumque ex reliquorum codicum scriptura quid in codice *B* scriptum fuerit certo nobis efficere videmur; molesta oritur dubitatio cum Guelpherbytanus ita a consentiente reliquorum codicum testimonio discrepat ut utrum sequendum sit sola Danielini auctoritate qua destituimur discerni possit. Neque enim desunt loci quibus in Guelpherbytano aberratum, in reliquis codicibus verum servatum esse Danielinus demonstret. Itaque cum huiusmodi dissensus inter Guelpherbytanum et reliquos ex codice *B* ortos in minoribus rebus accidit, velut in orthographicis et declinationum flexionibus, cum haec in recentioribus codicibus pro arbitrio mutata esse constet, satis tuto unum Guelpherbytanum sequimur; cum reliqui codices ita ab illo discrepant ut, si Guelpherbytani scripturam in codice *B* fuisse statuamus, non intellegatur quomodo inde aberrari potuerit, ne ab eo qui Guelpherbytanum scripsit decipiamur cavendum est. Sed commode[1] evenit ut duobus tantum locis hac du- 5
bitatione implicaremur: Ep. 7, 1, ubi in Guelpherbytano est *cives sui praeficere*, in reliquis *cives praeficere*, et Att. 8, 4, ubi in illo *quantum eae*, in his *quantum hae* scriptum est. Nam Ep. 1, 1 *scribamus*, pro quo in Guelpherbytano *scribimus* legitur, necessarium est et propter *videntur* et propter *praecipienda* (vid. Madvig. art. § 360), neque probabile est tam obtusis auribus fuisse Nepotem ut Eum. 3, 2 scriberet *Aegyptum oppugnatum adversum Ptolemaeum*, quae leguntur in Guelpherbytano, cum in reliquis sit *adversus*. Praeterea ex duabus illis familiis quarum praecipua est ad restituendum codicem *Γ* auctoritas primae unum Sangallensem, alterius nullum plene et accurate collatum habemus. Atqui harum familiarum singuli codices nequaquam ubique ita consentiunt ut cum quid in uno scriptum sit teneas familiae testimonium tenere te confidere possis. Itaque optandum est ut codex Urbinas numero CCCCXXXVI (nam reliquis facile carebimus), itemque codex collegii Romani et Savaronianus, quem hodie Montisferrandi servari probabiliter suspicatus est Rothius, non, ut factum est, per partem aliquam aut

quamvis multis locis sed toti accurate conferantur. Quamquam cum hoc factum fuerit magis id effectum iri arbitror ut quam exigua horum codicum auctoritas sit apertius intellegamus quam ut in codice archetypo restituendo adiuvemur.

Iam eorum locorum quibus Rothius a restituenda codicis archetypi scriptura aberravit duplex genus est. Primum enim etsi singulari industria omnia quae de codice Danielino tradita erant collegit et perite et circumspecte quam vere tradita essent iudicavit, tamen paucis locis accidit ei ut in hac parte falleretur. Atque vellem sane quae ex Danielino annotata erant non ei rationi qua ipse scripturas codicum retulit accommodasset, sed ipsa eorum verba qui de codice referebant posuisset: nam cui haec inspicere non licuerit nemo satis recte qua fide singulis locis de codice relatum sit existimabit. Sed ego eos tantum locos persequar quibus error Rothii fecit ut scriptoris verba minus recte constitueret. Milt. igitur 4, 5 ex reliquis codicibus haec efficiuntur quae scripta sunt apud Rothium: *Id si factum esset, et civibus animum accessurum, cum viderent de eorum virtute non desperari, et hostes eadem re fore tardiores, si animadverterent audere adversus se tam exiguis copiis dimicari.* Hoc ferri non posse et aut *auderi dimicari* aut *audere dimicare* scribendum esse iam ab iis intellectum est qui deteriores codices
6 correxerunt. Sed horum prius insolens est, alterum quemadmodum recte hoc loco poni putarem in annotatione edit. p. 11 ostendi*). Iam vero in Danielino *dimicarent* scriptum esse refertur. Quod cur Rothius falso relatum putarit non perspicio: neque enim dubito quin ea scriptura in codice archetypo *dimicare* exaratum et super extremam syllabam litteras *ri* scriptas fuisse significetur. Ibid. 6, 3 Rothius Danielinum, ut putabat, secutus edidit *in porticu quae* Ποικίλη *vocatur*. At mihi dubium non est quin hoc loco Daniel non codicis scripturam, sed ut pluribus locis suam annotationem posuerit. In codice enim ut in reliquis bonis *Poecile* scriptum fuisse constantia omnium bonorum codicum persuadet qua Graecarum vocum scribendarum eam rationem servarunt quam ad praef. 7 edit. p. 5 exposui. A qua ne quis Con. 3, 3 discedi putet, quod ibi in Guelpherbytano *prochisnesin*, in Sangallensi *prochisnesim* similiterque in

*) [*at cf. Spicil. II. 1, 4.*]

aliis codicibus scriptum sit ob eamque rem dubium videatur num in Danielino inventum sit quod refertur, προσκύνησιν, litterae *ch* quae in illis codicibus remanserunt satis aperta Graecarum litterarum vestigia sunt. Simili errore Paus. 3, 6 factum est ut Rothius, cum in collatione Danielis invenisset '*illotae* aliàs *heclotae*', εἱλῶται scribendum esse in margine annotaret. Nam ibi quoque illa 'aliàs *heclotae*' ab ipso Daniele (scripserat fortasse *heilotae*) adiecta esse inde perspicitur quod vocabulum 'aliàs' non inclinatis litteris quibus ea quae ex codice referuntur scribi solent sed rectis scriptum est. Dat. 4, 4, ubi ex reliquis codicibus Rothius edidit *quaerit quibus locis sit Aspis; cognoscit haud longe abesse profectumque eum venatum. Quem dum speculatur, adventus eius causa cognoscitur*, non debebat dubitare num recte in Danielino *quae dum* scriptum esse referretur; id unum dubitare poterat utrum id ipsum an ut Ar. 1, 2. Dion. 6, 1 in Guelpherbytano compendium quo et *quae* et *quem* significatur in codice inventum esset. Sed utrum verum est, praeferendum erat *quae*. Nam Aspim quidem iam antea Datames speculatus erat, cum ubi esset quaereret; iam ea quae cognoverat quemadmodum se haberent speculabatur. Denique eiusd. Dat. 8, 2 apud Rothium haec leguntur: *Habebat barbarorum equitum* xx, *peditum centum milia, quos illi cardacas appellant, eiusdemque generis* III *milia funditorum, praeterea Cappadocum* VIII *milia, Armeniorum* X *milia, Paphlagonum* V *milia, Phrygum* X *milia, Lydorum* V *milia, Aspendiorum et Pisidarum circiter* III *milia, Cilicum* II *milia, Captianorum totidem, ex Graecia conductorum* III *milia, levis armaturae maximum numerum.* Hic recte *milia* adiectum est ubicumque id[1] in Guelpherbytano 7
et editione Ultraiectina legebatur neque de Danielino quicquam traditum erat. Nam cum id in superioribus editionibus deesset, non est verisimile in Ultraiectina de coniectura adiectum esse, sed ex Danielino petitum videri debet. Sed *Cilicum* II *milia* in una editione Ultraiectina scriptum est, in Guelpherbytano et reliquis omnibus *milia* omissum; qua auctoritate detracta hoc loco vocabulum illud non in codice inventum sed concinnitatis causa adiectum esse statuendum est. Idemque de his verbis: *ex Graecia conductorum* III *milia* existimandum, quamvis ibi *milia* in editione Ultraiectina (sed fuerat iam in superioribus) et Guelpherbytano scriptum sit, cum diserto Danielis testimonio,

de quo immerito dubitavit Rothius, id in eius codice non fuisse constet.

Frequentius in altero genere peccavit Rothius, ut scripturas codicis Danielini, cum neque quin recte de eo referretur dubitandi causa esset nec quae referebantur vituperari possent (quamquam hoc quidem nihil ad Rothium), reliquis codicibus posthaberet. In qua re non id solum admiror quemadmodum ei qui quid ars posceret intellexisset accidere potuerit ut a se ipse descisceret, sed etiam, cum partem eorum locorum quos minus recte scripserat in addendis reprehendisset, quamobrem ceteros corrigendos non putarit. Haec enim sunt a Rothio in hoc genere praetermissa, ex quibus de quo uno num recte scriberetur dubitari poterat, id quod primo loco commemoravimus, de eo dictum est edit. p. 4: praef. 4 *habuisse;* Them. 9, 2 *adversum;* Paus. 1, 2 *cum* cc *milibus peditum — et* xx *equitum*, ubi *milibus* altero loco non solum in Danielino sed etiam in Sangallensi et plurimis deteriorum abest; 5, 2 *qui eum sequebantur;* Ep. 4, 4 *attulerat*, quod confirmat Guelpherbytanus; 6, 4 *Lacedaemonii sociorum;* Att. 1, 3 *oris atque vocis;* 11, 6 *ille prius;* 20, 2 *infinitas suas.*

His adiungi tertium poterat, quod Rothius quibusdam locis quibus in codice archetypo duplicem scripturam fuisse codices nostri demonstrant non eam quam debebat delegit. Sed cum ille id unum egerit ut codicem archetypum repraesentaret et nos quam prope ille codex ab iis quae Nepos scripserit afuisse videatur separatim tractare constituerimus, hic tantum monendum est Rothii rationes tulisse ut eiusmodi locis utramque scripturam poneret, de ipsis locis infra dicemus.

Etenim restituto codice archetypo iam alterum nascitur critici officium, ut quaerat num quae in illo codice scripta fuerunt omnia ab auctore scripta esse probabile sit quaeque ab eo non potuisse scribi certis argumentis evicerit pro his ea quae ille scripserit reponat. Qua in re cum a superioribus multa recte, multa secus administrata, complura praetermissa essent, ab eo qui rectum et firmum totius negotii fundamentum iecisset, quo superiores fuerant destituti, non solum exspectandum, sed postulandum erat ut et quae illi bene consuluerant prudenter delecta ascisceret et quae reliquerant ipse supplere conaretur. Quam officii partem quod praetermittendam sibi Rothius existimavit graviter mihi videtur reprehendendum. Aut enim prave ignorare

aut arroganter non curare videtur quid et scientiae quam profitetur dignitati et in hac librorum copia eorum quibus scribit commodo debeat qui opus quod et perpolire et certe aliquatenus perficere licebat rude et inchoatum protrudere sustinet. Neque eam excusationem accipio qua utitur Rothius, ut se iis subvenire voluisse dicat qui de auctore harum vitarum essent disputaturi: ipsius enim erat hanc quaestionem, si absolutam non putaret, ad exitum perducere. Sed tamen in margine exemplaris Rothiani, in quo tamquam cumulum officii sibi impositi emendationes nonnullas codicis archetypi adiecit, inter eas quas ipse excogitavit (monendi autem sunt qui libro utentur ne omnia quorum auctor commemoratus non est Rothii esse putent, id quod accidisse nonnullis video) sed inter eas emendationes quas ipse excogitavit tres inveni quae mihi laude dignae viderentur: Milt. 5, 3 *acie regione instructa non apertissima proelium commiserunt;* Lys. 3, 2 *Delphicum corrumpere est conatus;* Att. 9, 7 *a nonnullis optimatibus, familiaribus eius, reprehendebatur.* Iam Beneckii consilium in summa re sane illud prudentius quem eventum habuerit supra diximus. Post quem Reinholdus Klotzius cum editionem Billerbeckianam inter ipsum typothetarum laborem ad editiones Rothii et Beneckii exigeret, tantum praestitit quantum huiusmodi festinatio et temporis angustiae patiebantur. Atque is ex iis quae ipse coniecit duo mihi probavit: Ep. 5, 3 *revocas* et Cat. 3, 1 *et peritus iurisconsultus.* Tam exiguo studio cum per octo annos homines docti instrumento parato et fundamento posito reliquum officium a Rothio desertum suscepissent, si ego quid efficere in hac parte possem experirer, non erat sane verendum ne cupide hoc negotium arripuisse viderer. Quod tamen potius delatum recepimus quam delectum apprehendimus. Nam cum nobis ex corpore scriptorum Graecorum et Latinorum annotatione Germanice scripta enarrandorum quod consilio et auctoritate Mauricii Hauptii et Hermanni Sauppii Weidmanni publicare instituerunt[1] Cornelii Nepotis edendi cura 9
mandata esset neque a quoquam in eo scriptore emendando ita ut et potuisset et debuisset elaboratum esse animadverteremus, necessario hunc laborem assumere ipsi coacti sumus. Quid igitur in restituendo Cornelii Nepotis libro de excellentibus ducibus exterarum gentium et reliquiis libri de historicis Latinis et codicum auctoritate et coniectura cum aliorum tum nostra

effici posse putarimus ex editione nostra perspicietur. Qua emissa, hoc quoque libello iam perfecto, ad me perlata sunt quae Theodorus Bergkius in Mus. Rhen. vol. VII p. 158 de tribus et Alfredus Fleckeisenius in Philologi Schneidewiniani vol. IV p. 308—351 de permultis Cornelii Nepotis locis scripserunt. Atque horum Bergkius Att. 3, 2 comparato Plut. Sull. c. 14 optime pro ignoto illo Phidia (in optimis codicibus est *fidiae*) Midiam ponendum suspicatus est; duos reliquos locos cur minus recte ab eo tractatos putem infra dicam. Fleckeisenius et nonnulla orationis vitia eadem quae ego sustuleram correxit et quae me fugerant haec recte mihi videtur invenisse: Them. 10, 3 *statua* scribendum esse, Dion. 9, 5 *facile intellectu est* itemque Att. 12, 5 *difficile est;* Ep. 4, 6, ubi in reliquis codicibus legitur *possemus*, ex Guelpherbytani scriptura *possimus* efficiendum esse *possumus;* de reg. 2, 1 Guelpherbytani et duorum aliorum codicum scriptura non *Aegis* sed *Aegiis* significari. Reliqua aut ipsius aut Halmii commenta neque probo neque nunc quidem refutanda arbitror, nisi quae ad paucos locos pertinent de quibus antequam commentationem eius legeram dicendum videbatur. Nam cum duae res ei spectandae sint qui antiquum scriptorem emendare conatur, ut et vitium certis argumentis coarguat et ita corrigat ut origo vitii appareat, in utraque parte incredibili levitate usus est Fleckeisenius. Halmium enim, etsi non rectius in negotio versatus est (nam ea quae alii praeceperant, ut par est, non numero), sed tamen hunc non accusabo, qui exemplari Rothiano raptim perlecto quaecumque in mentem venerant cum Fleckeisenio communicavit quibus ille iudicio adhibito uteretur. Fleckeisenius autem iis quae disputavit manifesto ostendit se unam tantum partem scriptoris pertractasse, orationem. Et ne de hac quidem nisi in minoribus quibusdam rebus recte iudicavit, cum eam non ex codice archetypo diligenter et considerate pervestigato cognovisset, sed ad imaginem quandam a se ipso fictam codicem archetypum temere conformaret, quae in aliis scriptoribus recte observata erant ea prave ad Nepotem transferret, quarundam rerum notissimarum apertissimarumque ignorantia mire laberetur. Neque[1] vero ego rectius a Fleckeisenio criticum munus administrari non potuisse adducor ut credam (melius enim de eo existimare malo), sed diligentiam adhibitam arbitror qua eos uti decet qui

se publico iudicio committunt. Itaque neque ipsum neque alios aegre laturos spero quod editionem quam se emissurum promisit exspectandam constitui. Quod si se ipse reprehenderit et in viam reduxerit, me molesta vituperandi necessitate liberari gaudebo; si in iis quae male mihi videtur egisse perseveraverit hisque alia vitia adiunxerit ex perverso iudicio de codicum auctoritate orta (nam ne quid deesset, fundamenta a Rothio posita levissime disiecit et disturbavit), eadem libertate qua de universa eius ratione dixi singula persequar neque defugiam officium minime illud quidem iucundum sed necessario subeundum. Ita enim aliorum superstitio aliorum levitas in has litteras invaserunt ut nisi unusquisque ab ea parte in qua se recte versatum esse confidit acriter eas propellat non videantur deleri posse.

Sed nos, ut de opera a nobis in recensendo et emendando Cornelio Nepote posita recte et plene homines docti iudicare possint, iam hoc libello expositis quae ex codice archetypo asciscenda Rothius reliquerat primum de universa ratione quam in emendando eo codice secuti sumus, tum de singulis locis quae opus erunt disputabimus.

Est enim hic scriptor ex eo numero in quibus difficilius quid emendandum quam quomodo emendandum sit discernas. Nam quid a scriptore profectum non videatur cum una ratione investigare possimus, ut quid aut in rebus falsum sit aut in sententiis corruptum aut in elocutione vel ab omni antiquitate vel a certa aetate abhorrens quaeramus, cum et ex illis generibus permulta et ex hoc peculiaria quaedam ita codicum auctoritate tradita videamus ut quin ipsi scriptori imputanda sint dubitare non liceat, permultis locis eam normam ad quam codicum fidem exigamus eripi nobis apparet. Sed tamen in hac re diligens observatio et constantia iudicii non mediocriter adiuvabunt. Nam ubicumque in vitia rerum aut sententiarum inciderimus aut singulare aliquid in elocutione offenderimus, primum quaeremus num quid eiusmodi omnino ab homine litterato proficisci potuerit, deinde num aliis locis similia tradita sint quae scriptorem id quoque de quo dubitamus ita scribere potuisse fidem faciant. At est illud lubricum in primis et fallax negotium affirmare quid ex hoc genere de quo agimus in hominem litteratum cadere possit. Qua in re ante omnia eorum

11 error removendus est qui iis temporibus quae prae|stantissima ingenia et doctissimos homines tulerunt neminem exiguo aut nullo ingenio praeditum doctrinaque destitutum in eorum scriptorum numerum pervenisse putant quorum libri ad nostram aetatem propagari potuerint. Nam qui ita statuunt cum quantam vim in antiquarum litterarum monumentis vel conservandis vel delendis casus et fortuna habuerint parum reputare, tum apud Romanos homines quantam commendationem emendatus sermo scriptoribus attulerit non satis intellegere videntur. Cui rei insigni documento sunt quae Cicero Brut. c. 58 sqq. de Curione patre narrat; qui cum litterarum admodum nihil sciret, in cogitando tardus, dissipatus in struendo, memoria autem tam nulla et actione tam perversa esset ut maximos risus commoveret, tamen splendore quodam et copia verborum in principibus patronis numeratus est. Itaque in Cornelio Nepote recte faciunt qui similia vitia et similem laudem fuisse putant, perverse et qui propter huiusmodi vitia eorum scriptorum quae eius esse gravissima argumenta demonstrant his argumentis credendum negant et qui reliqua quidem Cornelii Nepotis, vitia aut omnia aut quae ab ea antiqui scriptoris specie quam ipsi sibi finxerunt abhorreant librariorum esse existimant. Potius ita statuendum est neque in rebus, si perpauca excipias, ullum errorem a scriptore abhorrere nisi in quem ne hominem quidem nulla doctrina instructum incidere potuisse demonstraverimus neque sententiarum vitia ab eo aliena esse nisi quae mente captum fingere cogerent, hoc est ea in quae cur inciderit causa nulla sano homini conveniens potuerit inveniri. Nam etsi dubitari non potest quin neque doctrina neque ingenio fuerit destitutus, tamen quanta haec fuerint et certo tempore et casu quantopere aut valuerint aut defecerint definire non licet, ita ut certa ratio, qua ars carere non potest, una illa relinquatur ut quod ei potuerit accidere id accidisse credamus ubicumque codicum testimonio fuerit traditum. Sed perpaucos errores excipiendos dixi: nam sunt sane nonnulla ita comparata ut scriptorem in iis errare non potuisse persona doceat quam eum inter homines temporis sui sustinuisse constat. Et tamen in his ipsis cavendum est ne oblivioni cuidam quae vel ingeniosis hominibus nonnumquam et ad tempus accidit nihil tribuamus aut parum consideremus num neglegenter scribenti evenerit ut alia

atque putaret scriberet. Quamquam autem, cum quaerimus utrum vitium aliquod scriptori an librario debeatur, non mediocriter iudicium nostrum in utramque partem movebit quam aut facile aut difficulter ea quae in codicibus scripta sunt ex aliis corrumpi[1] potuisse videantur, tamen hanc rationem non ita ad- 12
hibendam iudicavi ut quaestionem dirimeret, sed ut dirempta quaestione id quod verum iudicassem aut certum aut dubitationi obnoxium putarem, cum permulta falsa in codicibus ita scripta esse constet ut neque mutari posse et si per se ipsa spectentur vera esse videantur, permulta vera ita ut facile aliter conformari possint. Sed eiusmodi loci quibus dubitari posse existimo an codicum fidei nimium tribuerim hi sunt. Alc. 5, 6 in his verbis: *Alcibiades simul cum collegis receperat Ioniam, Hellespontum, multas praeterea urbes Graecas quae in ora sitae sunt Asiae, in his Byzantium* cett. quod in annotatione edit. p. 55 scriptori ponendum fuisse dixi, *quae in ora sitae sunt Thraciae*, tam leni mutatione efficitur et tam gravis est error in situ notissimae urbis ut eum librario deberi sane probabile videatur. Non sum tamen ausus corrigere, quod illa quae de multis urbibus Asiaticis praeter Ioniam et Hellespontum receptis traduntur verisimile est illi exaggerandi studio deberi quo scriptor laborat; in his autem Asiaticis urbibus Byzantium ponere poterat non ignorans urbis situm, sed oscitanter scribens ut solet, cum quae antea scripsisset parum recordaretur et illud *in his* non tantum ad urbes Graecas in ora Asiae sitas quas proxime commemoraverat, sed etiam ad Ioniam et Hellespontum referri posse putaret*). Item Alc. 6, 3 pro *coronis aureis aeneisque* scripsissem *coronis aureis taeniisque*, quemadmodum Nepoti scribendum fuisse Rinckius monuit, nisi, cum fontem quem hic secutus est scriptor non teneamus, temerarium esset affirmare nihil eum in errorem inducere potuisse.**) Neque Eum. 5, 1 Stavereni coniecturam secutus sum qui lenissima mutatione pro *Antigono* substituendum putabat *Antigenem* quem Nepotem apud auctorem suum invenisse certum est, quia talis neglegentia ab ipso scriptore non abhorret. Neque Ag. 6, 3 Bosio obsecutus sum qui

*) [*Et hoc loco et eis qui deinceps citantur Nipperdeius veram lectionem in editionibus posterioribus restituere non dubitavit.*]

**) [*cf. Add. et Spicil. II. 1, 11.*]

scribi iussit *Namque illi aucti numero eorum qui expertes erant consilii* (longius autem a codicum scriptura discedit Feldbauschii *addito numero*), cum discrepantia horum verborum cum superioribus quae retenta codicum scriptura *aucto* oritur inde nasci potuerit quod scriptor hic ut aliis locis diversas duorum auctorum narrationes male miscuerit. Dion. 5 extr. et quae perverse de Apollocrate traduntur et admirabilis illa aut neglegentia aut ignorantia qua exitus belli cum Dionysio gesti praetermittitur facile averti a scriptore poterant, si eodem errore cuius plura in hoc libro exempla sunt librarium propter similitudinem litterarum ea quae interiecta erant omisisse statueremus. Sane
13 enim quae in[1] codicibus leguntur, *Apollocrates cui maximam fidem uni habebat Dion*, a librario poni potuerunt cum scriptum esset *Apollocrates, cui maximam fidem uni habebat Dionysius*, deinde ea sequerentur quae desideramus eorumque extremum vocabulum esset *Dion*. Non poteram tamen hoc vitium a scriptore alienum putare qui ne Hann. quidem 6, 1, ubi haec in codicibus leguntur: *Hinc invictus patriam defensum revocatus bellum gessit adversus P. Scipionem quem ipse primo apud Rhodanum, iterum apud Padum, tertio apud Trebiam fugarat*, errorem longe gravissimum verbis *filium eius Scipionis* post *Scipionem* insertis removendum, sed oblivioni illi de qua supra dixi tribuendum existimarem. Certioribus indiciis orationis vitia deprehenduntur. Nam cum restituto codice archetypo scriptorum Cornelii Nepotis universa forma ea prodeat quae emendato sermone et in summa re optimis eiusdem aetatis scriptoribus convenienti eum usum esse demonstret, si quid ab hac forma discrepans codicum auctoritate traditum fuerit, fidem iis habere non possumus nisi aut firmissimum eorum testimonium erit aut dubitationi obnoxium similitudine aliqua aut ex ipso scriptore aut ex eiusdem aetatis aliis aut ex universa sermonis Latini natura petita confirmari potuerit. Atque huiusmodi argumenta et exempla ad ea quae ex hoc genere reliquimus tuenda sedulo conquisita in editione nostra ascripsimus, ex qua etiam id perspectum iri arbitramur quam perverse egerint qui in summa orationis conformatione compluribus locis Cornelium Nepotem salebris, duritie, neglegentia liberare voluerunt, siquidem hi quod iis locis quibus facilis correctio videbatur non toleraverunt idem sicubi in firma codicum testimonia inciderant ne reprehenderunt quidem. Re-

linquuntur tamen in hac quoque parte nonnulla dubia. Velut Ag. 3, 4 in his: *vidit, si quo esset iter facturus palam pronuntiasset, hostis non credituros aliasque regiones praesidiis occupaturos neque dubitaturos aliud esse facturum ac pronuntiasset* incertum est utrum recte verbum *esse* iis locis quibus id participio perfecti passivi adiicitur satis defensum putarim an *sese* pro eo ponere debuerim, id quod Lieberkuehnius, qui primus de usu Cornelii Nepotis quem in annotatione edit. p. 116 exposui, sed magna ex parte minus recte dixit, cum coniecisset, postea improbavit*). Them. 9, 4 vereor ut haec: *de his rebus quas tecum colloqui volo* edit. p. 30 recte excusaverim et *quae* correctum mallem**). Item Cim. 4, 2 paenitet fere me non scripsisse *Saepe, cum aliquem offensum fortuito videret minus bene vestitum, suum amiculum dedit:* neque enim eo quod una et certa formula *forte fortuna*[1] dicitur satis probari videtur eodem 14
modo solum *fortuna* ponere licuisse***). Qui autem *laesum fortuna* interpretantur ineptam sententiam inferunt: ita enim non offenditur fortuna nisi qui ex meliore statu in deteriorem coniicitur, hic autem omnes significari quorum vestitus paupertatem demonstrabat apertum est. Eum. 3, 4 quod quorundam codicum scripturam recepi *qui summa imperii potirentur,* cum in archetypo *summam* fuisse constet, de qua re dixi quaest. Caes. p. 19, mutationis facilitate temere abusus esse videri possum, cum Dat. 1, 2 scriptum sit *militare munus fungens.* Dubitavi tamen num scriptor quod in hoc participio admisit ad totum verbum translaturus fuisset, praesertim cum reliquis locis usitata ratione eum uti viderem†).

Atque haec est universa ratio quam in emendando codice archetypo tenuimus. Iam singulatim eos locos pertractabimus in quibus constituendis quas rationes secuti simus obscurum esse poterit. Ut autem omnia quae ipsi in scriptore emendavimus hic coniuncta legantur, ea repetemus quae in Caesare nostro et in Philologi Schneidewiniani vol. I p. 667 de paucis locis disputavimus. Quem Philologi locum qui inspicient mo-

---

*) [*Iam cf. Spicil.* II. *4, 4.*]

**) [quas *retinuit N.; cf. Spicil.* II. *1, 6.*]

***) [*cf. Add. Edidit N.* fortuito.]

†) [*In edd.* summam *dedit N.*]

nendi sunt ea quae ibi dicta invenient de causis cur Nepos libro de excellentibus ducibus exterarum gentium caput de regibus interposuisset postea a nobis reiecta esse et in editione reprehensa.

Praefationi et singulis vitis inscriptiones quae praeponi solebant codicem Monacensem secuti detraximus. Nam et a veterum scriptorum consuetudine abhorrent neque a Nepote positas esse initia earum vitarum de quibus edit. p. 17 ad principium Themistoclis diximus demonstrant. Ne in codice archetypo quidem fuisse sed in Danielino et reliquorum codicum principe primum adiectas esse discrepantia horum codicum ostendere videtur.

Milt. 2, 1 Rothius in addendis ex Danielino et Guelpherbytano restitui iussit *Ibi brevi tempore barbarum copiis disiectis:* nos cum superioribus reliquorum codicum scripturam *barbarorum* probavimus. Nullum enim aliud exemplum invenimus quo Nepotem hac genitivi forma aliter atque Ciceronem et Caesarem usum esse demonstraretur. Nam Alc. 7, 4 in uno Guelpherbytano scriptum est *barbarum**); Ag. autem 4, 1 iidem illi codices qui Miltiadis loco *barbarum* exhibent *ephororum* servarunt, cum in reliquis scriptum sit *ephorum*. Paulo post, § 4, Rothius non improbasse videtur quod in codicibus scriptum est, *Chersoneso tali modo constituto*, et Beneckius ei scripturae analogiam certe non refragari contendit, si vocabulum *Isthmus* spectetur. Quam analogiam[1] qualem putaret vellem explicasset: neque enim ullam video. Timoth. vero 1, 2, ad quem locum provocat Rinckius, verbis recte distinctis vitium quod aut librariis aut scriptori imputabatur removimus**).

C. 8, 3 in optimis codicibus scriptum est *Nam Chersoneso omnes illos quos habitarat annos perpetuam obtinuerat dominationem.* Atque id quidem Beneckio tenendum erat qui Chabr. 3, 4 haec: *Conon plurimum Cypri vixit, Iphicrates in Threcia, Timotheus Lesbo, Chares Sigeo* ita probavit ut ablativos aut pro genitivis aut pro ablativis adiuncta praepositione *in* positos putaret. Atque huius quidem loci rationem in annotatione edit. p. 85 declaravi. Quod autem Beneckius contendit urbium nomina

---

*) [*idem in Parcensi.*]

**) [*cf. Spicil.* II. 3, 5.]

primae et secundae declinationis (quorum regulam quae terra-
rum nomina sequi possent primus docuit Madvigius observ. ad
gramm. Lat. p. 22; Nepotis exempla posui ad Milt. 1, 1 edit.
p. 6), cum locus ubi aliquid factum esset significaretur, non
solum ab inferioris aetatis scriptoribus sed etiam ab optimis
ablativo casu poni, verum non est. Nam eorum ad quos pro-
vocat Oudendorpius ad Caes. de b. Gall. vii. 32, 1 nullum ido-
neum locum protulit praeter hunc ipsum et b. civ. i. 12, 1;
quorum priore sane in optimis codicibus scriptum est *Caesar
Avarico complures dies commoratus*, nemo tamen dubitabit quin
erratum sit ob primas litteras proximi vocabuli; altero in Pari-
sino secundo et Leidensi primo duobusque aliis legitur *cum tri-
bus cohortibus quas Pisauri et Arimino habebat*, quod cui tandem
credibile videbitur, Caesarem, cum idem significaret, diversa
ratione dicendi esse usum? Reliquis omnibus locis aut non id
quod dicit Oudendorpius in bonis codicibus legitur (velut b.
civ. iii. 5, 2 de quibus solis constat, Parisinus secundus et
Leidensis primus, exhibent *hiemare Dyrrhachium Apollonia om-
nibusque oppidis maritimis constituerat*, in deterioribus est *Dyr-
rhachio Apollonia*) aut quae esset orationis forma non est intel-
lectum. Atque sane mirum est Oudendorpium, cum b. civ. iii.
105, 1 in his verbis: *reperiebat T. Ampium conatum esse pecu-
nias tollere Epheso ex fano Dianae* motum ex loco significari
vidisset, non perspexisse eandem rationem esse horum locorum:
b. civ. i. 34, 1 *quem paucis ante diebus Corfinio captum ipse
dimiserat* et b. Afr. 34, 4 *Lilybaeo in naves onerarias imponit
legiones*, quibus addere poterat hos: b. civ. ii. 28, 1 *legiones
eas traduxerat Curio quas superioribus temporibus Corfinio rece-
perat Caesar;* Cic. ⟨l. agr. i. 6, 19 *maiores nostri Capua magi-
stratus, senatum, consilium commune, omnia denique insignia rei
publicae sustulerunt*, p. Sest. 8, 19 *ut Capua . . . . Seplasiam
sublaturus videretur*,⟩ Brut. 19, 72 ubi recte Klotzius in Jahnii
annall. vol. xlvi p. 72 codicum scripturam servandam dixit:
Accius autem a[1] *Q. Maximo quintum consule captum Tarento scrip-* 16
sit Livium; ⟨Tac. ann. vi. 12 *quaesitis Samo Ilio Erythris, per
Africam etiam ac Siciliam et Italicas colonias carminibus Sibullae*:⟩
nisi forte dimitti, capi, recipi, imponi minus recte quam tolli
aliquid alicunde dici existimavit. Arntzenius autem ad Aurel.
Vict. ep. 37, Munckerus ad Hygin. fab. ccxlvii, ipse Beneckius

ad Iustin. II. 13, 5 alia exempla antiquorum scriptorum non attulerunt, nisi quod Beneckius corruptum locum Caesaris b. civ. III. 35, 1 commemoravit, qui quomodo corrigendus videretur in Caesare meo dixi. Iam Nepotis loco, a quo hunc ablativi usum non minus alienum esse quam a reliquis bonis auctoribus certum est, omnes fere deteriores codices secuti *Chersonesi* ediderunt. Mihi leniore mutatione *in* post *nam* adiici visum est. A qua correctione quod deterrere me poterat, usus ille Nepotis in particula *nam* vocalibus praeponenda de quo post Lieberkuehnium in annotatione ad hunc locum edit. p. 17 dixi, de eo si quis ita statuet ut omnibus locis quibus vocalis sequatur praeter eos quibus particulae *et* — *et* legantur *nam* pro *namque* a librariis illatum putet, quod paulo audacius statui videtur, cum tam exigua pars librorum Cornelii Nepotis supersit, sed tamen si quis ita statuet, non minus hoc loco quam ceteris *nam* illud genuino *namque* substitui potuit antequam praepositio *in* excideret; sin loci illi mutandi non videntur, ut ne mihi quidem sunt visi, satis iis correctio nostra defendetur.

Them. 1, 1 reieci scripturam optimorum codicum, Guelpherbytani et Sangallensis: *Huius vitia ineuntis adolescentiae magnis sunt emundata virtutibus,* non ea de causa quod verbum *emundare* ante Columellam reperiri non videtur, id quod vituperavit Rinckius, sed quia hoc loco ineptum est. Emundantur enim quae sordes susceperunt, non ipsae sordes.

Eiusd. c. § 2 in optimis codicibus scriptum est *Is* (dicitur de patre Themistoclis) *uxorem Acarnanam civem duxit, ex qua natus est Themistocles.* Atque id quidem recte ea de causa reiectum est quia, si Nepos matrem Themistoclis ex Acarnania oriundam tradidisset, *Acarnanidem* ei scribendum fuisset*). Non potest autem fieri ut homo Attici familiaris Graecae linguae tam imperitus fuerit ut quo nomine homines ex Acarnania oriundi appellarentur nesciret; neque ullum similis peccati certum indicium apud eum reperitur. Nam quod ad Them. 9, 4 edit. p. 29 notavimus longe alius generis est. At multo gravius vitium plerique inferunt, cum deteriores quosdam codices secuti *Acharnanam* scribunt eoque matrem Themistoclis Acharnis, pago

*) [Acarnanam *defendit Buechelerum secutus G. Loeschcke de titulis aliquot Atticis. Bonn. 1876 p. 29.*]

Attico, ortam significari contendunt. Nam qui Graece dicitur Ἀχαρνεύς Latine uno modo dici potest, *Acharnensis*. Deinde ineptissime mater Themistoclis[1] Acharnensis civis diceretur, quasi 17
suam quisque pagus civitatem habuisset, quae una erat Athenarum. In omni hac disputatione consulto nihil momenti ei rationi tribui quod nemo neque Acarnanidem neque Atheniensem matrem Themistoclis fuisse tradit, cum fieri possit ut auctor aliquis amissus ita tradiderit, quamquam id ob Plutarchi silentium parum verisimile videtur. Verum vidit Aldus, scribendum esse *Halicarnassiam*. Quod immerito tamquam nimis a codicum scriptura recedens vituperatum est. Scriptum enim fuit *Alicarnasiam*, ut Lys. 3, 5 in optimis codicibus est *Alicarnas*. Quid vero facilius fuit quam secundam eius nominis syllabam omitti, ex quinta litteram *n* fieri? Eandem autem formam quam hic codicum vestigia demonstrabant Lysandri loco modo commemorato restitui, quo *Halicarnasseus* edebatur, et quia causa non erat cur Nepos nomen illud variasse videretur et quia *ius* facilius quam *eus* in *us* transibat, quod cum noto compendio significatum idque compendium omissum esset, natum est *Alicarnas*. *Alicarnasii* apud Tacitum quoque appellantur ann. IV. 55.

Them. 2, 5 edebatur *huius enim classis mille et ducentarum navium longarum fuit, quam duo milia onerariarum sequebantur; terrestres autem exercitus* DCC *milium peditum, equitum* CCCC *milium fuerunt.* Sed cum milia in Danielino neutro postremorum locorum, in Guelpherbytano et Sangallensi posteriore tantum per notam apposita sint*), alterutrum item in codice archetypo factum esse statuendum est. Iam cum in Guelpherbytano et Sangallensi septingenarius et quadringenarius numerus notis significati sint, non credemus quod Rothius refert in Danielino fuisse *septingentorum* et *quadringentorum*: in collatione enim eius codicis proposita hac editionis Longolianae scriptura: *septingentorum milium ped. eq. quadr. milium f.* nihil notatur nisi *milium* utrobique in codice abesse. Quod autem in Guelpherbytano legitur DCCum, id potius ob proximum genitivum a librario positum quam contra optimos codices utroque loco *milium* adiiciendum videri debet. Nam si scriptorem posteriore tantum loco milia apposuisse optimis codicibus credemus, non DCC *peditum*,

*) [*item in Parcensi.*]

equitum CCCC *milium*, sed ne quid esset ambigui, DCC *peditum, equitum* CCCC *milia* eum scripsisse statuemus.

Paus. 2, 4 in litteris Pausaniae ad Xerxem haec in codicibus scripta sunt: *Id si feceris, et Spartam et ceteram Graeciam sub tuam potestatem se adiuvante redacturum pollicetur.* Ex his ut sententia efficeretur, ad *redacturum* supplendum esset *te*. At non potest alius accusativus suppleri nisi quo subiectum verbi
18 a quo[1] accusativus cum infinitivo aptus est significetur, et si posset, haec a Thucydidi verbis discederent quae expressisse Nepotem constat, I. 128: γνώμην ποιοῦμαι, εἰ καὶ σοὶ δοκεῖ, θυγατέρα τε τὴν σὴν γῆμαι καί σοι Σπάρτην τε καὶ τὴν ἄλλην Ἑλλάδα ὑποχείριον ποιῆσαι. δυνατὸς δὲ δοκῶ εἶναι ταῦτα πρᾶξαι μετὰ σοῦ βουλευόμενος. Itaque ad sententiam recte iam Longolius scripserat *te adiuvante redacturum se*, codicum vestigia premens Bosius effecit *se adiuvante te*. Hanc emendationem neque Rothius neque Beneckius commemorarunt, complures recentiorum, cum recepissent et Thucydidis etiam verba ascripsissent, ita interpretati sunt ut *se* ablativum, *te* accusativum esse contenderent. Unum dubitari poterat utrum Bosii coniectura sequenda an *sub tuam potestatem te adiuvante redacturum* scribendum esset. Sed mihi quidem Bosiana ratio facilior visa est.

Item Paus. 3, 4 egregia emendatio ab omnibus editoribus ante nos spreta est. Leguntur ibi haec in optimis codicibus: *Id postquam Lacedaemonii rescierunt, legatos cum lava ad eum miserunt, in qua more illorum erat scriptum: nisi domum reverteretur, se capitis eum damnaturos.* Critici ad unum omnes pro corrupto illo *lava* Aldi commentum *scytala* receperunt. Quo quid potest magis temerarium et arte destitutum cogitari? Verum invenit Petrus Daniel, qui una littera adiecta *clava* effecit. Est enim hoc plane ex Nepotis consuetudine ut Graeca vocabula quae peculiarem in republica usum habebant Latinis quae communi eorum significationi responderent exprimeret, quamvis Romani iis peculiari illa significatione non uterentur. Eius rei indicio sunt *testula* et *testarum* vel *testularum suffragia* quibus Them. 8, 1. Ar. 1, 2. Cim. 3, 1 ὀστρακισμόν vertit; quae ne quis inutiliter a nobis comparari putet, quia in Cimone ascriptum sit *quod illi* ὀστρακισμὸν *vocant*, inde quod Nepos hanc explicationem non adiecit cum primum hoc vocabulum verteret satis apparet etiam non addito Graeco vocabulo Latino huius

generis eum uti potuisse. Et similiter scriptores Latini rei rusticae σκυτάλην ex arboribus serendi causa decisam *clavam* et *clavolam* appellant; et Apollinaris Sidonius baculum philosophorum *clavam* dixit. Exempla praebebit Forcellinii lexicon s. vv. *clava* et *talea*.

Paus. 4, 5 in Danielino et Guelpherbytano haec leguntur:
Quem cum supplicem dei videret in ara sedentem, *quaerit causae*
quid sit tam repentini consilii et extremis verbis vel ascriptum
vel suprascriptum *repentino consilio*. Hoc in Sangallensi, illud
in plerisque deterioribus et, ut videtur, in familia ex codice *E*
orta[1] (legitur certe in Vossiano primo et tertio et editione Sa- 19
varonis) praelatum est, itemque editores antiquiores *repentini*
consilii, recentiores *repentino consilio* probaverunt. Per se ipsum
utrumque verum esse potest. Quod si nesciremus utrum illud
repentino consilio ex codice petitum an coniectura inventum esset,
aut etiamsi ex codice petitum esse constaret, tamen, cum qualis ille codex fuisset non teneremus, ratio postularet ut id quod in perpetuitate verborum positum est sequeremur neque ei scripturam dubiae auctoritatis praeferremus. At mihi quidem certum est neque in codice archetypo quicquam suprascriptum fuisse quod ex codice petitum sit nisi ex eo unde archetypus est descriptus neque in reliquos codices quicquam ex codicibus nisi qui ea ratione de qua p. 2 diximus ex archetypo orti essent pervenisse. Haec me recte statuisse intellegetur cum consideraverimus quemadmodum ex iis quae suprascripta sunt ea sint comparata quae iis quibus suprascripta sunt praeferre cogimur. Facili enim coniecturae debentur praef. 4 *cenam* pro *scenam*; Ar. 1, 2 *quamquam* pro *cumcum*; Chabr. 1, 2 *in eo* pro *in ea* vel ut novo errore in Guelpherbytano legitur qui illam correctionem habet, *in eam*; 3, 2 *posset* pro *possit*; Eum. 4, 4 *funere* pro *munere*. Oscitantia librarii aliud exarantis atque in codice quem describebat legebatur, sed postea codice accuratius inspecto errorem corrigentis haec orta sunt: Paus. 5, 1 *ammoneri* *al. admoneri*; Dion. 2, 1 *magis* (aberrarat librarius ad verba c. 1, 5 *magis admirati*) suprascripto *maxime*; 10, 2 *facta* suprascripto *mutata* in uno Guelpherbytano (in reliquis est *mutata*); Dat. 4, 5 *capit* suprascripto *sumit* (*sumit* habet Danielinus *)); Pel.

*) [*diem Parcensis*.]

1, 1 *lucide* correctum *dilucide* (*dilucide* Danielinus); Timol. 4, 3 *constituerunt* suprascriptis *constituissent tum;* Hann. 3, 1 *effecto* correctum *suffecto* in Guelpherbytano (peculiaris error est huius codicis); Att. 9, 2 *commendationem* suprascripto *vel commoditatem* in Danielino et 10, 5 *praesidium* suprascripto *vel praesidio* in eodem (*commoditatem* et *praesidio* ceteri omnes). Ag. 3, 2 non definio utrum mala coniectura in archetypo supra *insigniusque* scriptum fuerit *insignibusque* an hoc per errorem scripto illud corrigendi causa suprascriptum sit, sed alterutrum in causa fuit ut in Danielino*) scriberetur *insignibusque*, in Guelpherbytano *insigniisque* suprascriptis *u* et *l'bus*, quorum priore is qui hunc codicem exaravit ipse suum errorem correxit. Denique dubitationem librariorum de scriptura codicis quem describebant haec significant: Iph. 2, 2 *adduxit al. adcluxit***) in Danielino; Ag. 4, 1 *iussu* suprascripto *missu* in Danielino, *missu* suprascripto *iussu* in Guelpherbytano, nisi potius hoc fuit in utroque codice. Atque ita ea quae recta sunt ex hoc genere comparata esse videmus; quid quod aliis locis ea quae aut in codice archetypo aut in eo quem *B* diximus suprascripta fuisse apparet deteriora esse altera scriptura demonstrari potest? Nam Alc. 8, 3 si Nepos ita scripsisset: *Alcibiades ad exercitum venit Atheniensium ibique praesente vulgo agere coepit: si vellent, se coacturum Lysandrum dimicare aut pacem petere; spondet Lacedaemonios eo nolle classe confligere quod pedestribus copiis plus quam navibus valerent; sibi autem esse facile Seuthem, regem Threcum, deducere ut eos terra depelleret; quo facto necessario aut classe conflicturos aut bellum composituros* (ita enim haec distinguenda sunt, non, ut Wiggersius, qui *spondet* invenit, et Rothius fecerunt, *spondet* superioribus verbis adiungendum, quo facto et post ea verba, quae legentes omnes illis *agere coepit* coniungent, praeter exspectationem *spondet* adiicitur et quae excipiunt plane abrupte inferuntur), ita igitur ut dixi si Nepos scripsisset, nemini in hac oratione quicquam mutandum videri poterat. At qui haec inveniret: *ut eum terra depelleret; quo facto necessario aut classe conflicturum aut bellum compositurum,* ei facile apparet quae causa esse potuerit cur his illa quae paulo ante posuimus substituere mallet.

*) [*et in Parcensi*]

**) [*cf. Spicil.* II. 3, 4.]

Iam haec, quae nequaquam a Nepotis consuetudine abhorrere
edit. p. 59 probavi, in Danielino, de quo falso relatum esse
Rothius vidit, et Guelpherbytano perpetua oratione scripta, illa
inter versus suprascripta sunt. Intellexit hoc loco quid verum
esset Beneckius; quo magis miror alio loco eum non plus quam
reliquos vidisse. Pel. enim 3, 2 in Danielino scriptum est *Al-
lata est enim epistola — in qua omnia de profectione eorum per-
scripta erant* et supra *eorum* positum *exulum* idque in omnibus
reliquis codicibus alteri substitutum est*). Quod quis non videt
ab eo positum esse qui *eorum* aut explicare vellet aut corrigere,
quia exules, cum tanto intervallo ante commemorati essent, pro-
nomine significari non posse putaret? At Nepotem saepe simili
neglegentia pronomine usum esse edit. p. 38 satis a nobis de-
monstratum est. Non minus apertum est Eum. 5, 5 in his
verbis: *Substringebat caput loro altius quam ut prioribus pedibus
plane terram posset attingere* quod in Guelpherbytano et ut edi-
tio Ultraiectina ostendit in Danielino suprascriptum est, *plene***),
ab eo esse positum qui *plane* significare *ganz* aut non intelle-
geret aut alios docendos putaret; itemque Ep. 4, 4 in his:
*Hunc Diomedon cum rogaret ut tuto exiret suaque quae attulerat
liceret efferre*, quae sunt in Danielino,[1] *attulisset* in codice *B* 21
(suprascriptum est enim in Guelpherbytano, in reliquis abiecto
attulerat receptum) ab eo esse ascriptum qui indicativum in
oratione indirecta non toleraret. Nam ne his quidem locis, si
exulum, plene, attulisset a Nepote essent scripta, cuiquam *eorum,
plane, attulerat* ascribere in mentem venire poterat. Secundum
haec ne Eum. quidem 5, 7, cum codices nostri ostenderent in
archetypo sic scriptum fuisse: *Tenuit autem se uno loco quamdiu
hiems fuit, quod castra subsidio habere non poterat* et supra *sub-
sidio* positum *sub divo*, hoc recepimus sed unde *subsidio* ortum
esse apparet, *sub dio*, id quod dudum in editione Ultraiectina
legebatur. Neque Att. 18, 5, cum in Guelpherbytano legeretur
(de Danielino non constat) *Attigit quoque poeticae* et supra duas
extremas litteras *l'am* positum esset, *poeticam* edidi sed *poeticen*,
quod aut ipsum aut *poeticem* codices familiae *Δ* exhibent, qua
re id quod in Guelpherbytano est in codice *B* fuisse confirma-

*) [eorum *habet etiam Parcensis.*]
**) [plene *est etiam in Parcensi.*]

tur. Nihil autem agunt qui ubique huiusmodi vocabulorum Latinam formam inferunt: ad auctoritates haec exigenda sunt, quae Nepotem et *musicam* (praef. 1) et *musicen* (Ep. 1, 2) dixisse demonstrant. Similem rationem duo loci habent quibus neque corrigendi neque explicandi causa, sed ut idem alio modo dici potuisse notaretur aliquid ascriptum est: Iph. 3, 4 *Nam pater quantum in se fuit Threcem me genuit vel creavit, contra ea mater Atheniensem* et Eum. 2, 2 *ex quo omnes coniecerant eum regnum ei commisisse vel commendasse quoad liberi eius in suam tutelam pervenissent.* Quorum locorum priore cum plerique ante Heusingerum et Bremium *genuit* probavissent (Bremius autem quare multo probabilius esset *genuit* interpolatum esse quam *creavit* neque dixit neque poterat dicere), altero fere omnes *commendasse*, recte Beneckius *genuit* et *commisisse* scripsit; sed quam parum firmo iudicio inde apparet quod priore loco utrum interpolatum esset incertum esse dixit.

Extremo Pausania, ubi haec in codicibus scripta sunt: *Inde posterius Delphici responso erutus atque eodem loco sepultus ubi vitam posuerat*, post *sepultus* adieci *est*. Unus enim locus praeter hunc in codicibus ita scriptus est ut ei legi refragetur quam ad Thras. 3, 2 edit. p. 66 exposui, ut tertias personas temporum finitorum verbi *esse* a Nepote non omitti dicerem nisi in sententiis et descriptionibus, hoc est commotiore orationis genere, neque eius usum in hac re a Ciceroniano discedere iudicarem, nisi quod Eum. 1, 1 paulo durius *fuisset* omisit*). Ibi Alcibiadis locum c. 1, 2 non commemoravi, quod ea quae inde
22 a § 4 leguntur sine causa[1] mihi a superioribus separari visa sunt; qui tamen locus, cum descriptionem habeat, ne ita quidem ut antea fiebat distinctus legi a nobis expositae repugnabat. Neque Ag. 7, 4 ab hac lege discedi edit. p. 120 demonstrata structura verborum *sic enim instructa* ostendi. Unus autem ille locus quem supra significavi Att. 21, 1 legitur. Ibi in codicibus haec scripta sunt: *Tali modo cum* VII *et* LXX *annos complesset atque ad extremam senectutem non minus dignitate quam gratia fortunaque crevisset (multas enim hereditates nulla alia re quam bonitate consecutus tantaque prosperitate usus est valetudinis ut annis* XXX *medicina non indiguisset), nactus est morbum.* Haec

---

*) [*cf. Spic.* II. 5, 3.]

duobus vitiis laborant. Primum enim *fortuna*, cum ea a *dignitate* et *gratia* separetur, hic nihil aliud quam res familiaris significari potest. Neque, si illa causa non impediret quominus fortunam felicitatem dici interpretaremur, multis hereditatibus capiendis creverat felicitate Atticus qui hereditates longe omnium maximas a patre et avunculo relictas multo ante cepisset. Deinde post perfectum *usus est* non poterat poni *indiguisset* sed aut *indigeret* aut, quod iam Heusingerus monuit, *indiguerit* ponendum erat. Itaque recte Lambinus et parenthesin verbo *consecutus* terminavit et *usus esset* scripsit, idemque ante *consecutus* inseruit *est*, quod tamen nos ut Pausaniae loco frequentiorem verborum collocationem secuti postponere ei voci maluimus. Saepe autem post litteras *us* coniunctum cum illis *est* excidisse notum est.

Lysandri initium sic in codice archetypo scriptum fuit: *Lysander Lacedaemonius magnam reliquit sui famam magis felicitate quam virtute partam. Atheniensis enim Peloponnesios sexto et vicesimo anno bellum gerentes confecisse apparet.* Editores omnes antiquam correctionem, quae etiam in codice collegii Romani inventa est, secuti *in* ante *Peloponnesios* inseruerunt. Sed cum apud Nepotem haec legantur: Alc. 4, 6 *non adversus patriam sed inimicos suos bellum gessit;* Chabr. 3, 1 *quod Chabrias adversum regem bellum gereret;* Timoth. 1, 2 *adversus Cotum bella gessit* et 4, 3 *hunc adversus tamen Timotheus postea populi iussu bellum gessit;* Dat. 1, 2 *in bello quod rex adversus Cadusios gessit;* Hann. 6, 1 *bellum gessit adversus P. Scipionem,* nusquam *bellum gerere in aliquem*, non videtur dubitandum esse quin hoc ponere noluerit. Quod autem in deterioribus quibusdam codicibus *adversus* ante *Peloponnesios* additum est, id omni probabilitate destituitur. Itaque sic statuendum est, *Peloponnesios* ab eo illatos esse qui Lysandrum *Atheniensis confecisse* dici non intellegeret et mancam[1] orationem supplendam putaret. Neque 23
enim paucae interpolationes ut in exiguas Nepotis reliquias irrepserunt; quas, cum hoc corruptelae genus facilius coniunctis et inter se comparatis quam singulis locis deprehendatur, hic colligere iuvat.

Igitur Alc. 1, 2 in his verbis: *disertus ut in primis dicendo valeret, quod tanta erat commendatio oris atque orationis ut nemo ei dicendo posset resistere* non id equidem reprehendo quod non-

nullos offendit, quod intra tam breve spatium bis *dicendo* poneretur (huius enim neglegentiae ex Nepote et alii exempla collegerunt, velut Bardilius ad hunc locum, et permulta ego ad Dat. 5, 6 edit. p. 94), sed sententia corrupta est. Nam cum Nepos commendationem oris atque orationis commemoret, apparet non quae dixisset Alcibiades eum admirabilia putasse, sed rationem qua illa proloqueretur. Itaque inde consequi non poterat ut dicendo ei nemo resistere hoc est eius orationem vincere posset; sed externa illa specie ita audientes capiebat et trahebat Alcibiades ut orationi eius assentiri cogerentur. Removetur hoc vitium Bardilii coniectura, qui ad leniendam eiusdem verbi repetitionem dubitanter *dicenti* proposuit; neque tamen inde tam facile *dicendo* corrumpi quam ex superioribus verbis a librario male oculis aberrante repeti poterat.

Alia ratione corrupta sunt verba eiusdem Alc. 4, 2: *Inimici vero eius quiescendum in praesenti, quia noceri non posse intellegebant, et illud tempus exspectandum decreverunt quo, si exisset, ut absentem aggrederentur*. Apparet inimicos non tamquam absentem, sed re vera absentem Alcibiadem aggredi voluisse. Deinde exeundum ei esse sciebant: itaque non ea condicione si exisset, sed eo tempore cum exisset aggredi eum constituebant. Male igitur Heusingerus commenticium illum Leidensem codicem hoc est coniecturam nescio cuius secutus retento vitioso *si* particulam *ut* delevit. Ad formam orationis et sententiam recte Klotzius scripsit *quom exisset, ut* cett.; mihi tamen probabile non videtur librarium *si* ex postrema littera particulae *quom* effecisse, quae praesertim lineola significari soleat. Verum viderat Lambinus, *si* illud delendum esse, nisi quod male *sic* post *ut* adiecit. Nimirum aliquis cui insolitum erat finale enuntiatum a primario alio interposito separari, cum particula *ut* comparationem indicari putaret, adiecto *si* laboranti orationi subveniendum existimavit.

Tertia in Alcibiade interpolatio c. 10, 2 apertis codicum indiciis deprehenditur, in quibus haec leguntur: *His Laco rebus commotus statuit accuratius sibi agendum cum Pharnabazo socie-|*
21 *tatem. Huic ergo renuntiat quae regi cum Lacedaemoniis essent, nisi Alcibiadem vivum aut mortuum sibi tradidisset.* Recte hic Schottus *societatem* delevit; quod vocabulum ad explicanda verba *quae regi cum Lacedaemoniis essent* in margine ascriptum deinde

a librario scriptoris orationi interpositum est. Non satisfecerunt haec Moschio; qui cum imperite illa *quae regi cum Lacedaemoniis essent* Latina esse negasset, quae dudum Scioppius exemplis a Bardilio in indice repetitis confirmaverat, oratione post *Pharnabazo* distincta deinceps sic scripsit: *Societatem huic ergo renuntiat quae regi cum Lacedaemoniis esset.* Secuti sunt alii, quamvis recte Bardilius ad Them. 4, 5 huic coniecturae constantem Nepotis usum refragari monuisset qui *ergo* particulam numquam post duo vocabula reiiceret. Plura hic temptata sunt; quae praetermitto, cum probabilia visum iri non putem.

Dion. 2, 3 in Guelpherbytano, deterioribus codicibus, editione Ultraiectina scriptum est *cum a Dionysio tyranno crudeliter violatus esset.* At Dionysius cum saepe antea commemoratus esset, non poterat Nepoti illo modo significandus videri, quasi aut, cum Dionysium appellasset, obscurum esset quem aut qualem diceret, aut, cum tyrannum, quemquam ignoraturum putaret significari Dionysium. Haec ante complura saecula intellecta sunt, et nisi in ipso archetypo certe in codice *B tyranno* punctis suppositis notatum est, quae inde in Guelpherbytanum transierunt. Quam correctionem secuti qui codicem collegii Romani et Sangallensem scripserunt itemque Savaro (deerat, ni fallor, in huius quoque codice) et recentiores editores idem vocabulum omiserunt.*) Neque enim in codice *B* non fuisse et postea esse adiectum cum Guelpherbytani auctoritas testimonio deteriorum codicum confirmata demonstrat, tum inde apparet quod, si scriptum fuisset *cum a Dionysio crudeliter violatus esset*, nulla causa excogitari potest quare post hominis nomen *tyranno* adiicere cuiquam in mentem venisset. Sed haec eadem ratio nobis quidem non *tyranno* sed *Dionysio* delendum esse ostendit: nam *tyranno* invento qui significaretur declarandum videri poterat.

Eodem Dionis capite refertur, cum in morbum incidisset Dionysius, Dionem a medicis petisse ut si forte in periculum vitae esset adductus sibi indicarent, ut de partiendo regno cum eo colloqui posset. Deinde § 5 in codicibus haec excipiunt: *Id medici non tacuerunt et ad Dionysium filium sermonem retulerunt. Quo ille commotus, ne agendi esset Dioni potestas, patri soporem medicos dare coëgit. Hoc aeger sumpto ut somno sopitus diem*

*) [*omisit etiam Parcensis.*]

25 *obiit*[1] *supremum*. Non eo utar ab uno Iustino id tradi quod extremis verbis significatur, Dionysium a suis interfectum esse: neque enim ideo minus credibile est Nepotem hanc famam ab aliquo scriptore traditam secutum esse. Sed ut tradere voluerit soporem illum a medicis Dionysio datum effecisse ut is moreretur, scribere tamen non potuit eum tamquam somno sopitum esse mortuum. Neque enim potione soporifera statim quisquam exanimari potest, sed antequam exanimetur, re vera in somnum incidat necesse est. Viderunt hoc antiqui critici qui et in codicibus et in editionibus quibusdam *ut* deleverunt. Sed id quidem cur adderetur causa non erat. Quid hic acciderit Danielinus admonet, in quo non *somno* sed *sumno* scriptum est. Etenim *ut* illud ortum est ex *ul'* hoc est *vel*, et eadem ratione cuius supra p. 18 sqq. [*23 sqq.*] complura exempla vidimus hic aliquis *somno* pro *sumpto* scribendum significaverat.

Cat. 3, 1 in his verbis: *Nam et agricola sollers et reip. peritus iurisconsultus et magnus imperator et probabilis orator et cupidissimus litterarum fuit* iam supra p. 8 dixi recte Klotzium ineptum *reipublicae* sustulisse ortum illud ex initio sequentis vocabuli, cum alii male *et* particula ante *iurisconsultus* inserta hoc vocabulum epitheto quod aequabilitas orationis desiderat privassent, alii diremptis verbis *reipublicae peritus* et *iurisconsultus* commate interposito hoc incommodum auxissent. Sed multae interpolationes ex Attici vita tollendae fuerunt. In ipso initio, c. 1, 2, haec in codicibus scripta sunt: *Patre usus est diligente, indulgente et ut tum erant tempora diti in primisque studioso litterarum*. Hic cum Ernstius *indulgente* suspectum sibi et auctoritate Medicei codicis hoc est coniectura sua tollendum dixisset, Buchnerus hoc vocabulum cum superiore coniunctum ad affectum patris erga filium retulit, quemadmodum sane apud Cic. in Verr. I. 44, 112 *diligentia indulgentiaque* ponitur. Sed ita necessario haec duo vocabula copula iungenda erant, ut ea artiore vinculo contineri et a sequentibus separari appareret, et haec ipsa quae sequuntur de moribus patris in universum non qualis is in filium fuerit dici demonstrant. Itaque recte *indulgente* in codice Patavino et ab aliis sublatum est. Ascripsit aliquis ut *diligente* explicaret, quod non ad rem familiarem referendum sed a diligendo derivandum esse existimabat.

Att. 2, 1 haec in codicibus leguntur: *Ipse adolescentulus*

propter affinitatem P. Sulpicii qui tr. pl. interfectus est non expers fuit illius periculi. Namque Anicia, Pomponii consobrina, nupserat[1] *M. Servio, fratri Sulpicii.* P. Sulpicii fratrem duobus 26
praenominibus appellatum grammatici praeter Lambinum toleraverunt Ursini opinionem secuti, qui in libro de familiis Romanis (in Graev. Thes. ant. Rom. vol. vii p. 1303) Sulpicios praeter praenomen omnibus commune, *Servium*, alterum habere consuesse affirmavit. Dixerunt de hac re praeter Nepotis interpretes Spanhemius de usu et praest. num. diss. x (vol. ii. p. 27 ed. Amstel. 1717), Drakenborchius ad Liv. ix 36, 2, Eckhelius doctr. num. vol. v p. 318. Atque id quidem quod Ursinus statuit nulla re comprobari potest. Nam Ciceronis locus de orat. i. 53, 227 itemque Livii xxv. 41, 11, qui praeter hunc Nepotis de quo agimus prolati sunt, ex codicibus sunt correcti. Neque inde quod idem homo a Livio iii. 31 *P. Sulpicius*, a Dionysio ant. x. 52 *Servius Sulpicius* appellatur effici quod Schotto visum est, nomen ei fuisse *P. Servio Sulpicio*, sed Livium et Dionysium de praenomine dissentiri recte iam Drakenborchius monuit. Aliorum autem sententia qui *Servium* apud Romanos gentis nomen fuisse affirmarunt nummis incertae aetatis comprobatur in quibus legitur *L. Servius Rufus.* Hanc qui sequentur iis M. Servium qui apud Nepotem commemoratur a Servio nescio quo adoptatum esse statuendum est. At *Servium* gentis nomen inferiore demum tempore esse factum quo nominum ratio commutata est et quo *Appium* quoque pro gentis nomine usurpatum esse Spanhemius p. 30 docuit constanti antiquitatis consuetudine statuere cogimur. Nam quae ex antiquiore tempore prolata sunt testimonia, eorum Velleii locus ii. 15, 2 (1) ab Heinsio secundum Appianum correctus est (vid. Drakenb. ad Liv. ep. lxxii), reliquis non id quod hominibus doctis visum est demonstratur. Neque enim Cicero nobilem iurisconsultum Servium Sulpicium et Appium Claudium Pulchrum aut Livius Appium Claudium decemvirum solis praenominibus appellarunt tamquam haec gentis nomina existimarent, aut ideo via Appia nominata est; sed haec facta sunt quia his praenominibus ab aliis hominibus praeter Claudios et Sulpicios raro usurpatis ii homines de quibus dicebatur satis significari videbantur. Eadem ratione haec explicanda sunt quae Spanhemius non commemoravit: Cic. ad Q. fr. ii. 6, 6 *me perlubente Servius allisus est* (quamquam

in Mediceo est *Sevius*) et Cael. ad Cic. fam. VIII. 4, 2 *Servium designatum tribunum plebi,* quibus locis recte idem homo intellegi videtur atque apud Cic. ad Q. fr. II. 13 2 *homo teter et ferus, Pola Servius* et Cael. fam. VIII. 12, 2 *non destitit arcessere*
27 *Polam Servium accusatorem*: satis enim[1] iis quibus Cicero et Caelius scribebant notus homo praenomine significabatur, atque ita et postposito praenomine *Pola Servius* populari consuetudine appellatus videtur. Num Romanus homo eodem modo ut Plut. Galb. 3 τὸν Σερουίων οἶκον Latine *Serviorum domum* dicturus fuerit, cum Sulpicios significaret, dubium est; sed Graeci Romanos homines praenomine appellare consuerunt. Tacitus hist. II. 48 Galbam significans eo magis scribere poterat *post Iulios Claudios Servios se primum in familiam novam imperium intulisse,* quod mos increbruerat imperatores praenominibus appellandi. Itaque cum unus Nepotis locus ab antiqua consuetudine discrepet, Lambinum secutus, qui tamen pro more inepte locum interpolavit, *M.* delevi. Adiectum est hoc praenomen ab aliquo qui *Servium* Sulpicium significari non intellegeret et, cum illud nomen esse arbitraretur, praenomen desideraret.

Similis ratio est eorum quae eiusdem Att. 15, 3 scripta sunt: *Quo fiebat ut omnia Ciceronum, Catonis Marci, Q. Hortensii, Auli Torquati, multorum praeterea equitum Romanorum negotia procuraret.* Praenomen nomini postponi a Nepotis consuetudine abhorret (non erat autem in Catone ea causa qua a Cicerone et Caelio Polam Servium dictum esse statuimus), neque a librario nomina traiecta esse probabile est, quae Pauli Manutii opinio fuit. Neque Lambini correctionem probo, qui *Marci et Q. Ciceronum, Catonis, Hortensii* scripsit, aut Heusingeri, cui praenomina et *Marci* et *Quinti* ab interpolatore *Ciceronum* nomini adiecta videbantur. Mire enim Ciceronum praenomina ponerentur, Catonis et Hortensii omitterentur; et Hortensii praenomen utique servari debet, quod Nepos consuetudinem quandam, ut videtur, temporis sui secutus semper addit (5, 4. 16, 1). Alia correctio in codice Haeneliano et quibusdam editionibus adhibita est, ut pro *Marci* scriberetur *Marii.* Quo nomine nihil cogeret nos quidem ut C. Marium filium significari putaremus de cuius familiaritate cum Attico c. 1 et 2 relatum est, quem eo tempore perisse ut Atticus negotia eius procurare non potuerit Manutius recte monuit; sed M. Marium intellegere liceret, familia-

rem Ciceronis ex huius epistolis notum. Verum is ut homo parum notus neque equestrem dignitatem egressus neque hoc loco neque sine praenomine commemorari poterat. Lenissima igitur correctio est ut praenomen *Marci* ab aliquo qui id aut excidisse putaret aut alios docere vellet *Catonis* nomini additum existimemus, nisi ille nota qua Hortensii praenomen significatum erat particulam *que* indi|cari et ipsum praenomen, quod ignora- 28
bat, sibi restituendum esse opinatus est.

Att. 10 refertur, cum Atticus adventu triumvirorum cum Q. Gellio Cano apud P. Volumnium lateret, Antonium ei sua manu scripsisse ut statim ad se veniret: se eum et illius causa Canum de proscriptorum numero exemisse. Sequuntur haec § 5: *Sic Atticus in summo timore non solum sibi, sed etiam ei quem carissimum habebat praesidio fuit. Neque enim suae solum a quoquam auxilium petiit salutis, sed coniuncti, ut appareret nullam seiunctam sibi ab eo velle fortunam.* At verba *sed coniuncti* ut recte haberent, post *sed* inserendum esset *etiam*. Quamquam nonnullos ita statuere video ut post *non modo, non solum* in altero membro *sed* eadem sententia atque *sed etiam* poni affirment; sed exemplorum quae proferunt longe maxima pars ita comparata est ut altero membro eiusmodi res commemoretur quae eam quae priore membro significata est aut comprehendat aut hac remota pro ea substituatur, pars corrupta est, velut hic ipse locus de quo agimus. Etiamsi enim scriptum esset *sed etiam coniuncti*, tamen ea verba prae gravitate eorum quae adiunguntur mirum in modum languerent. Animadversa haec sunt ab eo qui primus posuit quod in plerisque codicibus praeter Danielinum et Guelpherbytanum scriptum est, *coniunctim*; quo vocabulo ille significare voluit Atticum coniunctim et suae salutis et amici auxilium petisse. Sed horum verborum forma ita cum proximis superioribus coniuncta est ut inde tantum suppleri possint; iis autem adhibitis nihil possumus efficere nisi haec: *sed coniunctim suae salutis auxilium petiit*, quae inepta sunt. Itaque *coniuncti* illud ascriptum iudicavi ab eo qui orationem paulo breviorem explicare vellet. *Coniunctum* autem c. 7, 1 suppeditabat.

Att. 13, 6 de sumptu Attici domestico sic in codicibus refertur: *Nec praeteribo, quamquam nonnullis leve visum iri putem: cum in primis lautus esset eques Romanus et non parum liberaliter*

domum suam omnium ordinum homines invitaret, scimus non amplius quam terna milia aeris peraeque in singulos menses ex ephemeride eum expensum sumptui ferre solitum. Merito plerisque nimis exigua haec summa visa est. Drumannus autem hist. Rom. vol. v. p. 69 not. 48 mire eiusmodi asses intellegit quorum decem denarium efficiebant, cum eo tempore de quo agitur denarium sedecim assium fuisse constet. Sed nos contra eos non disputabimus qui eam summam quae in codicibus legitur satis magnam iudicarunt, cum aes omnino hic poni non potuisse
29 certum sit.[1] Recte enim Elberlingius observ. crit. in Caes. comm. de b. civ. p. 127 monuit Ciceronis aetate omnem pecuniae rationem non ad aes, sed ad argentum esse initam. Itaque ne ii quidem audiendi sunt qui numerum multiplicandum existimarunt. Verum vidit Paulus Manutius, delendum esse *aeris*. Id vocabulum ab eo interpolatum est qui sestertios intellegi ignoraret et cuius pecuniae apud Livium in antiquiorum temporum historia frequentem mentionem fieri vidisset eam hic quoque a scriptore commemoratam putaret.

Att. 17, 3 in codicibus haec scripta sunt: *Neque id fecit natura solum, quamquam omnes ei paremus, sed etiam doctrina. Nam et principum philosophorum ita percepta habuit praecepta ut his ad vitam agendam non ad ostentationem uteretur.* Hic *et* illud quod ante *principum* legitur pluribus nominibus vitiosum est. Primum enim ad Milt. 8, 3 edit. p. 17 demonstravimus Nepotem particulae *nam* numquam *et* subiecisse nisi cum alterum membrum eadem particula superiori respondente adiungeretur; id quod hic neque fit neque olim factum esse et alteram sententiae partem perisse statuere licet: nihil enim quod ea comprehensum fuerit excogitari potest. Sed huic rei non multum tribuemus qui idem *nam* quamvis paucis locis ante alias vocales inventum toleraverimus. Verum *et* illud pro *etiam* a Nepote positum videri deberet: id vero numquam ab eo factum esse certum est. Nam Milt. 3, 4 in omnibus codicibus praeter unum et fortasse alterum deteriorem haec leguntur: *si cum his copiis quas secum transportarat interisset Darius, non solum Europam fore tutam, sed etiam eos qui Asiam incolerent Graeci genere liberos a Persarum futuros dominatione et periculo; et facile effici posse.* In quibus particula *et* quae ante *facile* posita est pervagata ratione duo enuntiata copulari vix est quod moneam.

Neque vero perspicio quamobrem Klotzio verba *a Persarum dominatione et periculo* displicuerint et *liberos a Persarum futuros dominatione: id sine periculo et facile effici posse* non leni profecto mutatione scribendum visum sit. Thras. 1, 5, ubi edebatur *non solum princeps sed et solus initio bellum his indixit*, de Danielino non constat, in Guelpherbytano *sed etiam* servatum est.*) Eum. 7, 2, quo loco in codicibus *Quod et fecit* legitur, recte Heusingerum *fecit* vitiosum dixisse et *Quod ecfecit* emendasse infra demonstrabitur, cum quae ante haec verba leguntur correxerimus. Unus relinquitur locus praeter eum quem supra proposuimus quo vitiosum *et* in codicibus scriptum sit. Is est Att. 8, 3: *Excogitatum est a quibusdam ut privatum aerarium Caesaris interfectoribus ab equitibus Romanis constitueretur. Id facile effici posse arbitrati sunt, si et principes eius ordinis pecunias contulissent.* At hic sententia ipsum *etiam* respuit. Hoc enim illorum hominum qui Bruto et Cassio privatum aerarium conficere studebant consilium fuisse apparet ut principes ordinis equestris primi omnium pecunias conferrent, quo eorum exemplo ceteri ut idem facerent adducerentur. Atque id nisi ipsi ita fuisse intellegeremus docerent ea quae deinceps de Attico referuntur, qui cum appellatus a C. Flavio renuisset, tota res disturbata est. Non poterant igitur illi Bruti et Cassii familiares arbitrari se facile aerarium confecturos, si praeter alios, qui nulli dum erant, principes pecunias contulissent. Nam Bremium quidem, etsi in eo laudandum quod quid sententia requireret sensit, tamen quid aliud quam nugari dicemus cum verbis *et principes* significari *principes ante omnes* interpretatur? Itaque *et* delevi; quod ex antiqua scriptura *sei* ortum videtur, cui cum vulgaris substituta esset, prius illam fuisse litteris *ei* suprascriptis notatum est. Neque eo loco a quo digressi sumus sententia magis quam hoc *etiam* admittit. Neque enim illo enuntiato in quo verba *et principum philosophorum* posita sunt quicquam declarari potest quod praeter alias res Attici proprium fuerit (nam praeter doctrinam eum naturam secutum esse antea erat declaratum), aut praeter principes philosophos alii homines aut aliae res scriptoris menti obversari poterant. His de causis codicem Sangallensem et affines secutus hoc quoque loco *et* eieci; quod

*) [*idem in Parcensi.*]

quemadmodum illatum sit facilem habet explicatum. Etenim in Guelpherbytano vocabulum *principum* ita scriptum est ut inter *p* et *u* littera erasa sit. Non dubito igitur quin in codice archetypo ut in editione Veneta *principium* scriptum fuerit. Hoc cum homo imperitus a *principio* derivaret et *nam* ascriptum putaret ut *doctrinam* corrigendum esse significaretur, *doctrinam* et *principium* interposita particula coniunxit. Neque enim antiquos librarios in corrigendo sententiam curasse, ne verba quidem ultra proxima multa exempla sunt.

Revertimur ad Lysandrum. Namque ea verba c. 1, 1 de quibus supra diximus in codicibus haec excipiunt. *Id qua ratione consecutus sit latet. Non enim virtute sui exercitus sed immodestia factum est adversariorum, qui, quod dicto audientes imperatoribus suis non erant, dispalati in agris relictis navibus in hostium venerunt potestatem.* Animadversum est ab Ernstio inepte latere dici qua ratione Lysander Athenienses confecisset, cum id ipsum deinceps explicaretur. Oblocuti sunt alii argu-
31 mentis parum ido|neis usi. Primum Heusingerus, cui praeiverat Lambinus, ita haec verba interpretatur ut quo suo consilio Lysander illam rem consecutus sit obscurum dici putet: nimirum non consilio eius, sed felicitate effectum esse. Sed neque verbis *qua ratione* idem significari potest atque his *quo suo consilio* (neque enim solo rationis vocabulo ratio ab eo qui aliquid consecutus est inita significatur, qua in re sententiae ab Heusingero propositae acumen positum est), neque scriptorem quo suo consilio Lysander bellum confecisset latere, sed nullo eius consilio hoc effectum esse apparere existimasse sequentia docent. Deinde Heinrichius ineptissime hanc esse sententiam affirmavit ut non intellegi diceretur qui factum esset ut Athenienses temere vagati opprimerentur. Quibus enim verbis huiusmodi quicquam hoc loco significatur, aut cui nisi stultissimo homini id obscurum videri poterat? Superest Fischii ratio a Bremio proposita, quam complures recentiores interpretes secuti sunt. Is haec verba arte cum superioribus coniuncta haec significare contendit, qua ratione Lysander Athenienses vicisset ab hominibus non perspectum esse; ideoque scriptorem id deinceps explicare. At qui aliquid latere ait is hoc non sibi minus quam aliis obscurum esse dicit. Sed Ernstius ut recte vitium animadvertit, ita quod proposuit, ut ante *latet* particula *non* interpone-

retur, aptum non est, neque magis aliorum inventum *patet*. Observatum est enim iam ab aliis quod perspicuum est, contrariis illis *apparet* et *latet* compositis argutias quasdam scriptorem esse consecutum. Itaque neque *latet* mutandum est et negativa particula qua carere non possumus ita adiicienda ut haec verba cum superioribus coniungantur. Vidit haec Struchtmeierus, sed parum probabiliter pronomini *id* substituendum putavit *nec*. Potius ante *id* inserendum erat *neque*, quae particula post *apparet* facile excidebat. Scripsi autem *neque*, non *nec*, quod facilius videbitur excidere potuisse, quia, ut ad praef. 4 edit. p. 4 monui, Nepos eandem legem secutus atque Caesar et Hirtius numquam ante vocalem *nec* posuit. Unum locum qui huic legi repugnabat, Eum. 10, 2 ubi in bonis codicibus legitur *se eum defensurum nec umquam deserturum*, ex deterioribus corrigere non magis dubitavi quam duos Hirtii, b. Alex. 10, 3 et 54, 3. De poetarum in hac re usu disputavit Carolus Lachmannus Propertii sui p. 365.

Lys. 1, 5 haec in codicibus scripta sunt: *Namque undique qui Atheniensium rebus studuissent eiectis decem delegerat in unaquaque civitate quibus summum imperium potestatemque omnium*[1] *rerum committeret. Horum in numero nemo admittebatur nisi qui* 32 *aut eius hospitio contineretur aut se illius fore proprium fide confirmarat.* Atque illud *in numero* novissimi editores receperunt. Non pertractabo hic uberius illum locum de praepositione *in* cum ablativo verbis motum significantibus adiuncta. Id omnes concedent nisi qui codicum auctoritatem ratione non adhibita sequi consuerunt concessitque Beneckius, si recte eius verba intellexi, admitti aliquem in numero ita tantum dici posse ut eum in numero esse et ut in eo numero maneat ei permitti intellegatur. At id ab hoc loco plane alienum est. De deligendis enim decemviris dicitur, non quid delectis et constitutis factum sit. Et quis credat scriptorem adeo sibi ineptum finxisse Lysandrum ut postquam aliquis in hunc numerum pervenisset tum demum exquireret num hospitio suo contineretur fidemque ab eo exigeret? Itaque editionem Ultraiectinam secutus *numerum* restitui. Nam ablativum vocabulorum secundae declinationis saepissime errore librariorum pro accusativo positum esse Beneckium ignorare miror.

Et ipsa perversa et perverse defensa sunt haec verba Lys.

2, 2: *Victor ex Asia cum reverteretur Thasumque divertisset, quod ea civitas praecipua fide fuerat erga Athenienses, proinde ac si iidem firmissimi solerent esse amici qui constantes fuissent inimici, pervertere eam concupivit.* Hic eos quorum constantes inimici Thasii fuissent Athenienses a scriptore significari contendunt. Quod cum faciunt, duas res non vident. Primum enim cum aliquem fecisse aliquid dico proinde ac si res aliqua aliquo modo se haberet, hoc me significare apertum est falso eum hanc rem ita se habere statuisse. Num igitur hanc opinionem falsam esse putamus in qua secundum codicum scripturam Lysander fuisse dicitur, ut qui constantes inimici fuissent eosdem firmissimos amicos esse solere crederet? Mihi quidem haec adhuc omnium consensu probata sententia videbatur. Sed maius est alterum. Ipse enim scriptor verbis proximis superioribus dixit Lysandrum Thasum pervertere concupisse, quod ea civitas praecipua fide erga Athenienses fuisset. Itaque qui illam explicationem probabunt statuant necesse est praecipua fide esse erga aliquem hoc esse constantem eius esse inimicum. Neque enim in eam latebram confugere licet qua Lambinus usus est ut superiore tempore Thasios Atheniensibus inimicos et postremo praecipua fide erga eos fuisse significari diceret, quarum rerum in verbis supra propositis ne minimum quidem vestigium est. Vitium dudum sublatum est: recte enim in editione Ultraiectina
33 annotatum est *non* post *proinde ac si* inse|rendum esse; quae particula saepe nulla perspicua de causa a librariis omissa est. Nam quae Longolius posuit: *proinde ac si iidem firmissimi solerent esse inimici qui constantes fuissent amici*, ea non minus inepta sunt quam quae in codicibus leguntur. Neque enim ita rectius particulae *proinde ac si* ponuntur, neque *firmi inimici* sic Latine dicuntur, neque Lysander, si Thasios Atheniensibus inimicos fore existimasset, eos pervertere concupisse cuiquam videri poterat.

Alc. 2, 1 ex parte codicum scriptura recte ab Heusingero emendata est in hunc modum: *socerum habuit Hipponicum, omnium Graeca lingua loquentium* (in codicibus est *Graecae linguae eloquentia*) *ditissimum: ut, si ipse fingere vellet, neque plura bona reminisci neque maiora posset consequi quam vel natura vel fortuna tribueret.* Item plerique viderunt *reminisci* corruptum esse: fingere enim scriptor ponit Alcibiadem, non superiorem memo-

riam repetere. Nam iis qui *reminisci* hic eadem sententia atque *excogitare* dici contendunt non est cur respondeamus; quam huius verbi significationem quod Beneckius duobus Appuleii locis probare conatus est, eorum altero, Apol. p. 601 Oud., in Florentino scriptum est *fingite aliquid, eminiscimini,* non *reminiscimini,* altero, eiusdem Apol. p. 514, ubi haec leguntur: *finge quidvis, reminiscere, excogita,* recte Pricaeus *eminiscere* scribendum dixit. Idem *eminisci* Heusingerus apud Nepotem ponendum coniecit, idque nonnulli probarunt. Sed recte alii id verbum ab antiquiore scriptore alienum iudicarunt, quippe quod, si ab Appuleio discesseris, in glossis tantum extremae aetatis inventum sit. Quamquam Heusingerus quidem a Varrone id commemoratum esse putavit de ling. Lat. VI. 44 p. 63 Bip.: *Sic reminisci, cum ea, quae tenuit mens ac memoria, cogitando repetuntur. Hinc etiam comminisci dictum, a con et mente, cum finguntur in mente quae non sunt, et ab hoc illud quod dicitur reminisci, cum commentum pronuntiatur;* quo loco Heusingerus *quod dicitur eminisci* scribendum esse suspicatus est, idque Muellerus recepit. At ipsa Varronis verba demonstrant verbum quod commemoravit a *comminiscendo* adiuncta praepositione *pro* derivatum fuisse. Hinc efficitur *pcminisci*, hoc est *procomminisci;* quod lenissima mutatione restituitur: nam in scriptura Langobardica *p* et *r* vix discernas. Simile est quod Plautus posuit Trin. IV. 2, 70, *recomminisci.* Verbum autem non scriptoribus, sed in communi sermone usitatum se commemorare ipse Varro adiectis verbis *illud quod dicitur* demonstrat, id quod iam Heusingerus
monuit; quo minus *eminisci* illud suum, etiamsi[1] a Varrone po- 31
situm recte coniecisset, Nepoti obtrudere debebat. Hunc vero *cōminisci* scripsisse a nullo intellectum esse miror, praesertim cum eo verbo plerique in interpretando utantur.

Alc. 2, 3 a Nepote scribi non potuerunt quae in codicibus leguntur: *Postquam robustior est factus, non minus multos amavit; in quorum amore, quoad licitum est, odiosa multa delicate iocoseque fecit, quae referremus, nisi maiora potiora haberemus.* Neque enim ulla ex parte scriptor Alcibiadi licitum esse existimare poterat ut odiosa, cuiuscumque generis erant, faceret. Quod si quis verba *quoad licitum est* interpretari volet *quamdiu potuit,* ut fecit Heusingerus, facultas quidem odiosa faciendi non apparet quo tempore Alcibiadi eripi potuerit. Praeterea oratio

ita conformata est ut scriptor *odiosa* praecipue commemorare voluisse videatur; quod contra esse et potissimum delicate iocoseque factorum eum mentionem iniicere in animo habuisse causa docet qua ne haec referret se prohibitum esse scribit, nimirum quod maiora potiora habuerit. Itaque si illa delicate iocoseque facta odiosa fuisse significasset, in hunc modum scripsisset: *multa delicate iocoseque fecit, satis illa quidem odiosa.* Quae eadem ratio Barthii coniecturae refragatur qui *otiosa* scribendum esse suspicatus est. Itaque mihi Nepos scripsisse visus est *quoad licitum est otioso*, hoc est *quoad ei licuit qui in gravioribus rebus occupatus non esset.* Exposueram haec in Philologi vol. I p. 667. Nuper Theodorus Bergkius in Mus. Rhen. vol. VII p. 158 scribendum coniecit *odiose multa*, *multa delicate iocoseque fecit* et verbis *quoad licitum est* significari putavit *quamdiu vixit.* Verum sic illa verba ita demum poni possunt, si minus diu quam optabile erat aliquid per vitae spatium fieri licuit. Deinde verba *quae referremus* cett. non minus ad illa *odiose multa* quam ad postrema *multa delicate iocoseque* referenda essent. Itaque hac coniectura quae reprehendimus nequaquam remota sunt.

Alc. 5, 2 ex Matthiae Gesneri emendatione scribendum esse *Id Alcibiades diutius celari non potuit* neque diutius vitiosam codicum scripturam *Alcibiadi* tolerandam quaest. Caes. p. 189 monui; ubi eum locum qui unus ad codicum vitium defendendum proferri poterat, Hirt. b. Alex. 7, 2, bonos codices secutus correxi. Apud Nepotem *Alcibiadi* inde ortum esse quod librarius ad initium sequentis vocabuli aberrasset Heusingerus intellexit, qui id eodem modo atque Gesnerus corrigendum dixit. Nam ut Wiggersium secuti Alcibiadis nomen ab interpolatore potius quam a Nepote positum statuamus non adducimur.

Alc. 6, 4 sic editur: *Postquam astu venit, contione advocata sic verba fecit ut nemo tam ferus fuerit quin eius casum lacrimarit inimicumque iis se ostenderit quorum opera patria pulsus fuerat.* Quae verba duplici vitio laborant. Primum enim qui fieri potest ut verbo *venit* accusativus *astu* nulla praepositione adiecta coniungatur? Et tamen hanc rem unus Breitenbachius, quod sciam, mentione dignam putavit. Atque is quidem Nepotem in vocabulo *astu* eandem rationem quam in urbium nominibus secutum esse existimavit. Sed ut hoc facere posset,

illud vocabulum non appellativum, sed proprium nomen ei visum esse statuendum est. Quod plane incredibile est, adeo eum Graecae linguae imperitum fuisse; de qua re in simili causa supra p. 16 [*20*] monui. Itaque praepositionem *in* a librario omissam esse iudicabimus, id quod ob postremam litteram particulae *postquam* factum esse apparet. Alterum vitium inest in verbis *casum lacrimarit.* Grammatici quidem nostri qui artes composuerunt satis securi inter alia affectum significantia, velut *dolere, lugere, horrere, gemere, plorare*, quibus accusativus adiungitur, hoc quoque verbum enumerant. Sed id recte fieri antiqui scriptoris nullo exemplo praeter hoc confirmari potest. Nam quod Terent. Eun. v. 1, 13 commemorant: *Num id lacrimat virgo?* neutri pronominis aliam rationem esse atque substantivi notum est. Ne Ovidii quidem *lacrimatae cortice myrrhae* Fast. i. 339, quod exemplum a Rudimanno ii p. 221 ed. Stallb. cum Corneliano coniungitur, huc pertinent, non magis quam *oculi vinum lacrimantes* apud Rutilium Lupum de fig. ii. 7 p. 110 ed. Ruhnk. Statium recte commemorant qui Theb. ix. 100 hominem *lacrimandum* dixit. A Nepote vero scriptum esse *casum lacrimarit* eo minus adducor ut credam quod totum hoc ei debetur qui in codice aliquo singulas voces primus diremit. Quam rem si paulo aliter instituimus, efficitur quod scriptori Ciceronis aequali accommodatum est, *casu inlacrumarit.*

Alc. 7, 4 edidi *primus Graecae civitatis in Threciam introiit*, itemque de reg. 1, 1 *Hi fere fuerunt Graecae gentis duces qui memoria digni videantur praeter reges,* cum utroque loco in optimis codicibus *Graeciae* scriptum esset, priore editionem Ultraiectinam, altero et hanc et deteriores codices secutus. Neque enim verum est quod a plerisque affirmari video, Nepotem nominibus propriis pro adiectivis usum esse; quae consuetudo ab aequalibus scriptoribus plane aliena poetarum et inferioris aetatis scriptorum est, quamquam ne hi quidem nominibus rerum inanimarum, terrarum, urbium, montium, ita usi sunt, sed hominum populorumque[1] et quibus persona subesse existimabatur 36
fluminum, qua eadem ratione Mela ii. 6, 2 dixit *nostrum et Oceanum mare* et iii. 1, 1 *Oceano litore*, potest dixisse Catullus carm. 115, 6 *mare ad Oceanum*, non dixit Caesar b. Gall. iii. 7, 2 *proximus mare Oceanum*, ne Tacitus quidem ann. i. 9 *mari Oceano*, ut ostendit quod hist. iv. 12 in Mediceo scriptum

est, *mare Oceanus*. Nepotem vero mira perversitate quidam in
iis quae scripsit Paus. 3, 2 *in agro Troade* extremo nomine pro
adiectivo usum contendunt, scilicet feminino genere masculino
coniuncto. Eodem igitur modo interpretabuntur apud Caes. b.
Gall. I. 30, 2 *terram Galliam*, b. Afr. 3, 5 *terram Africam*,
apud Liv. XXX. 32, 6. XXXVIII. 47, 6. XXXIX. 17, 2 *terram Italiam*,
XXX. 58, 5 *terram Hispaniam*, et a nobis cum dicimus *das land
Italien*, nomen terrae pro adiectivo poni asseverabunt. In iis
quae apud Nepotem Milt. 4, 2 leguntur *copias in campum Ma-
rathona deduxerunt*, cum Graecos campum illum τὸν Μαραθῶνα
appellasse constet, *Marathona* item per appositionem a scriptore
positum iudicavi; poteram motum ad oppidum Marathonem
significari statuere. Nam in motu quoque ad locum significando
Latinos urbium nominibus ita usos esse ut vicinitatem compre-
henderent, quod eos fecisse cum referrent quid apud urbem
accidisset ad Hann. 4, 1 edit. p. 154 ostendi, Ciceronis verba
demonstrant pro Rosc. Am. 7, 20: *res ad Chrysogonum in castra
L. Sullae Volaterras defertur* ⟨sim. Liv. I. 59, 12. 60, 1⟩. Neque
vero *rex Perses* et *Molossus*, qui quibus locis apud Nepotem lege-
rentur ad Them. 8, 2 edit. p. 27 annotavi, ita dicuntur ut *Perses*
et *Molossus* adiectivorum locum teneant, sed eâ Latinorum con-
suetudine qua semper *hominem Gallum* et similia, nunquam
Gallicum dicunt, de quibus qui nesciunt docebit ars Madvigii ad
quam in editione relegavi; atque hinc ille poetarum et inferioris
aetatis scriptorum usus manavit de quo supra dixi. Sed duobus
illis locis de quibus disputare instituimus prudentiores homines ita
succurrunt ut *Graeciae* genitivum esse dicant aptum ab altero *ci-
vitatis* et *gentis*, quemadmodum Con. 5, 2 Conon magnam aucto-
ritatem sibi constituisse dicatur *non solum inter barbaros, sed
etiam omnes Graeciae civitates*. Sed recte dicuntur *gentes* et *ci-
vitates Graeciae* cum singuli populi aut singularum urbium cives
intelleguntur, non dicitur neque *gens* neque *civitas Graeciae*
cum universa natio et omnium urbium cives significantur. Ita-
que hac quoque explicatione reiecta illi duo loci ita ut diximus
emendandi sunt. Atque ipso Cononis loco paulo durius, quod
faciendum esse edit. p. 70 monui, in priore membro praepo-
37 sitione *inter* po|sita in altero *apud* intellegitur. Itaque mihi
semper probabile visum est Heusingeri inventum, qui *civitatis*
scripsit (invitus se quartum casum pluralis numeri intellegere

malle dixit, voluit secundum singularis), modo ne ut ille *Graeciae* retineamus sed hic quoque *Graecae civitatis* corrigamus. Verum quia illa ratio non tam firma est ut quae in codicibus leguntur ab auctore non potuisse scribi evincat, mutare haec non sum ausus.*) Idem vero vitium quo Nepotem liberavimus satis antiquo tempore Sallustii locum occupavit. Apud Nonium enim p. 492 Merc. haec leguntur: *Galliae pro Gallicae. Sallustius hist. lib.* IIII: *cum interim lumine etiamtum incerto duae Galliae mulieres conventum vitantes ad menstrua solvenda montem ascendunt.* Quo loco Sallustium *Gallae mulieres* scripsisse, etsi nemo intellexit, certissimum est.

Alc. 10, 4 haec eduntur: *Missi clam vicinitati in qua tum Alcibiades erat dant negotium ut eum interficiant. Illi cum ferro aggredi non auderent, noctu ligna contulerunt circa casam eam in qua quiescebat eamque succenderunt, ut incendio conficerent quem manu superari posse diffidebant.* Hic verba *circa casam eam* Scioppio debentur: in codicibus est *circa sammeam.* Sed superest alterum vitium. Neque enim illos qui ligna circa casam contulerant casam, sed ligna succendisse apparet: cur enim, nisi hoc facere vellent, ligna contulissent? Itaque scribendum est *eaque succenderunt.* Quod si quis putat, cum legamus homines illos lignis circa casam collatis hanc succendisse, sponte nos intellegere ligna ab illis succensa esse eaque re casam ignem concepisse, intellegimus nos quidem ista quia aliter facta esse nisi ab ineptis hominibus non possunt; sed nemo tam perverse narrat ut, cum id commemoraverit quod ita tantum commemoratione dignum est ut quare factum sit cognoscatur, hoc, quare factum sit, commemorandum non putet.

Ultimi capitis initium ita in Danielino et Guelpherbytano scriptum est: *Hunc infamatum a plerisque tres gravissimi historici summis laudibus extulerunt: Thucydides, qui eiusdem aetatis fuit, Theopompus, qui post aliquanto natus, et Timaeus; qui quidem duo maledicentissimi nescio quo modo in illo uno laudando consuerunt.* Extrema verba et corrupta esse et quam sententiam habuissent intellectum est. Nimirum cum perpaucis contingat ut ab uno maledicenti scriptore laudentur, Alcibiadi contigisse admiratus erat auctor ut, quod vix fieri potuisse crederes, duo

*) [Graecae civitatis *in edd. recepit N.*]

maledicentissimi in eo laudando consentirent. Itaque in codice collegii Romani et affinibus, ut videtur, *consenserunt* scriptum
38 est, Rothius *consentire*[1] ante *consuerunt* inserendum iudicavit, in Sangallensi correctione *conscierunt* ex *consuerunt* effectum est idque in reliquos codices transiit. Horum duo priora longius ab optimorum codicum scriptura discedunt, tertium ab hoc loco alienum est. *Consciscere* enim *consensu decernere* significat, ut ipsa verbi origo et exempla docent, Livii I. 32, 12 *dic, inquit ei quem primum sententiam rogabat: quid censes? Tum ille: puro pioque duello quaerendas censeo itaque consentio consciscoque* et 13 *senatus populi Romani Quiritium censuit consensit conscivit ut bellum cum Priscis Latinis fieret* et X. 18, 2 *Tusci fere omnes consciverant bellum.* Neque hoc ut solemne verbum nisi de publicis decretis ponitur, neque consciscere quisquam in aliqua re facienda potest. Vidit haec Wiggersius, idemque invenit quod et sententiae et arti satisfacit, *concinuerunt.**)

Thras. 3, 3 deteriores codices et editores fere omnes secutus scripsi *Nam cum quidam ex iis qui simul cum eo in exilio fuerant caedem facere eorum vellent cum quibus in gratiam reditum erat publice, prohibuit et id quod pollicitus erat praestitit.* Recepto enim quod in optimis codicibus legitur, *fuerunt,* ea quae hoc enuntiato relativo referuntur non cum reliqua narratione coniungerentur sed ab hac separata ideo tantum quia reliqua narratio de iis admonebat interiicerentur. Id quod fieri poterat si hoc enuntiato remoto plena sententia esset, non poterat pronomine *iis* posito, quod nisi adiuncto enuntiato relativo intellegi nequit. Idem Ham. 1, 5 servavi *cum Catulus negaret bellum compositurum nisi ille cum suis qui Erycem tenuerunt armis relictis Sicilia decederent:* neque enim scriptor suam orationem Catuli verbis interposuit sed ut edit. p. 148 monui paulo durius directam Catuli orationem retinuit. Neque Dat. 9. 2 in his verbis: *De quibus quod inimici detulerunt, neque credendum neque neglegendum putavit* erat cur *detulerant* scriberetur.**) Nam cum causale enuntiatum et poni et omitti posset, id unum require-

---

*) [conspirant *Hauptius, quod probavit N.; vid. Add. et Spicil.* II. *1, 12.*]

**) [*In edd. N. et hoc loco ex Parcensi et Ultraiectino et Ham. 1, 5 plusquamperfectum restituit.*]

batur ut quod illo tradebat scriptor eodem modo atque quod primario enuntiato narrabat factum esse referret.

Thras. 4, 2 haec in optimis codicibus scripta sunt: *Bene ergo Pittacus ille qui* VII *sapientum numero est habitus, cum Mitileni ei multa milia iugerum et agri munera darent, Nolite, oro vos, inquit, id mihi dare quod multi invideant, plures etiam concupiscant.* Hic qui verba *qui* VII *sapientum numero est habitus* et Dat. 1, 1 *Datames primum militum numero fuit apud Artaxerxen eorum qui regiam tuebantur* servarunt (servarunt autem omnes, nisi quod Datamis loco in editione Ultraiectina scriptum est *primum e militum numero*) in ea opinione fuerint necesse est, in qua[1] permultos esse video, ut aliquem et in numero et 39
numero alicuius rei esse eadem sententia dici existiment. Quod fieri nullo modo potest. Nam qui in aliquo numero esse dicitur eum unum esse ex his qui illum numerum efficiunt apparet; ablativo autem praepositione detracta cum id quod proprium est alicuius indicetur, qui numero alicuius rei esse dicitur eum huius rei numerum tenere, hoc est ei rei parem sive pro ea re esse, intellegamus necesse est. Recte igitur Dat. 9, 2 legitur *cum ei nuntiatum esset quosdam sibi insidiari qui in amicorum erant numero*, Ep. 7, 1 *erat enim ibi privatus numero militis*, Ag. 4, 8 *praedicabat mirari se non sacrilegorum numero haberi qui supplicibus eorum nocuissent;* Thrasybuli loco *numero* nullo modo, Datamis ita tantum poni poterat ut *militis* scriberetur, quod tamen sequentia non patiuntur. Itaque praepositionem *in*, quae facillimo errore excidit, priore loco post *qui*, altero post *primum* adieci. Non ignoro aliorum quoque scriptorum locos eodem vitio laborare; sed eos attingere neque volo, quia me omnes collectos habere non confido, neque necesse est, cum tam perspicua et certa sit ratio a nobis proposita ut ne levibus codicum vitiis impugnetur verendum non videatur. Maiore studio critici proxima verba eius loci quem supra ex Thrasybulo posuimus tractarunt. Nam cum Aldus edidisset *cum ei Mytilenaei multa milia iugerum agri muneri darent*, Bosius non solum aliquid muneri sed etiam munus et plures res munera dari exemplis collectis dici probasset, Staverenus *et* in duobus codicibus non legi retulisset, Heusingerus scripsit *cum ei Mytilenaei multa milia iugerum agri munera darent.* Sed ne haec quidem arti satisfacere Klotzius intellexit, qui ex optimorum codicum

scriptura haec efficienda putavit: *cum Mytilenaei multa milia iugerum ei agri munera darent.* Verum *agri munera*, ut Phoc. 4, 3 *munera magnae pecuniae*, tum demum recte data esse dicerentur si antea quae res muneri data esset non significaretur, multis milibus iugerum commemoratis perverse agri illa munera appellantur, tamquam alius rei esse potuissent.*) Quod si verba *multa milia iugerum* eo loco quo in codicibus leguntur retinere volumus, duae rationes relinquuntur. Aut enim, quod nequaquam probabile est, *et* in codice collegii Romani, in quo post *agri* ponitur, eo loco servatum esse quo in codice archetypo fuerit positum, in optimis libris nulla perspicua de causa traiectum esse statuendum est et ex ea scriptura haec efficienda sunt: *cum Mytilenaei multa milia iugerum agri ei munera darent;* aut
10 *et* deleto prima verba ita conformanda sunt:[1] *cum Mytilenaei ei multa* cett. Hanc rationem iniit Beneckius (nam quod scriptum est apud eum *Mytilenae ei* typothetae deberi annotatio ostendit; quod tamen ipsum ne quis arripiat, a Nepotis scribendi genere alienum est); neque in illa Beneckii ratione id improbabile est aliquem, cum qua ratione duo accusativi ponerentur non intellegeret, his copulam interponendam putasse. Id vero incredibile est Romanum hominem qui litteras didicisset ita omni aurium sensu fuisse destitutum ut verba *Mytilenaei ei* hoc modo coniuncta ferret. Correctio huic loco adhibenda est specie vehementior, re lenissima. Scripserat enim Nepos *cum Mytilenaei agri munera ei, multa milia iugerum, darent.* In his cum *Mytilenaei* male distracti essent, ut scriberetur *Mytilen ei,* alius librarius a primo *ei* ad alterum aberravit, sed cum verba *ei multa milia iugerum* scripsisset, animadverso errore his subiunxit quae praetermiserat *ei agri munera* eaque quo loco collocanda essent significavit; ea signa postea neglecta, ex *Mitilen*, ut species nominis esset, *Mitileni* facti, *et* ex altero *ei* ortum est.

Con. 1, 1 cum haec ex codice archetypo propagata essent quae leguntur in Danielino et Guelpherbytano: *Nam et praetor pedestribus exercitibus praefuit et praefectus classis magnas mari gessit,* intellegeretur autem ita inepte in priore membro praetorem, in altero praefectum poni, quasi inter hos nescio quid discriminis intercederet, neque recte classes gestas dici, ne duc-

*) [*cf. Spicil.* II. 2, *15*].

tas quidem mari quas terra ductas existimare nemini in mentem venire posset, recte in eo codice unde reliqui orti sunt *res* ad *magnas* adiectum est. Verum prava verborum collocatione scriptum est *res magnas*, cum deberet *magnas res*. Ita enim constanter haec collocantur, velut Con. 5, 3 *simulans ad regem eum se mittere velle magna de re*, Dion. 1, 3 *aderat in magnis rebus*, Pel. 2, 3 *magnae saepe res non ita magnis copiis sunt gestae*, ⟨Ham. 4, 1 *magnas res secunda gessit fortuna*⟩*) itemque Dat. 6, 6 *Pisidae nova re commoti*, Hann. 11, 6 *nova re perterriti*. Alia ratio est Them. 1, 3 *nulla res maior sine eo gerebatur*, Att. 4, 4 *si qua res maior acta est*, Cat. 2, 3 *multas res novas in edictum addidit*; quibus locis pronomine aut adiectivo cum substantivo coniuncto alterum adiectivum per appositionem adiicitur.

Con. 5, 4 desertis optimis codicibus alios secutus scripsi *Inde nonnulli eum ad regem abductum ibique eum perisse scriptum reliquerunt* et Ag. 8, 2 *cum annorum* LXXX *subsidio Tacho in Aegyptum isset* et Timol. 5, 2 *se maximos labores summaque adisse pericula*, cum in codice archetypo *periisse, iisset, adiisse* scriptum fuisse constaret**). Tam pauca enim huius formae exempla apud | antiquiores pedestris orationis scriptores in bonis 41
codicibus reperiuntur ut hos semper contracta usos esse mihi persuadeam, quamquam apud Plautum et Terentium certa dissolutae exempla sunt.

Dion. 1, 2 haec in codicibus leguntur: *Dion autem praeter nobilem propinquitatem generosamque maiorum famam multa alia ab natura habuit bona, in his ingenium docile, come, aptum ad artes optimas, magnam corporis dignitatem, quae non minimum commendatur, magnas praeterea divitias a patre relictas, quas ipse tyranni muneribus auxerat.* Hic plerique Lambini emendationi *commendat* repugnant aut codicum scripturam retinentes aut alia multo longius ab ea discedentia nulla probabili ratione adducti temptantes, velut Struchtmeierus *quae non minimum commendavit*, Wopkensius *qua non minimum commendabatur*, Heusingerus *qua non minimum commendaretur*, quamquam hic

---

*) [*add. Spicil.* II. 3, 3; *ubi Con.* 1, 1 res *post* mari *potius addendum monuit N.*]

**) [*in Parcensi et Con.* 5, 4 perisse *et Timol.* 5, 2 adisse *legitur.*]

quidem recte Lambinum secutus est. Atque haec commenta illis ipsis qui invenerunt, nedum aliis, Lambini ratione magis placere potuisse satis mirum est, mirabilius illud eos qui codicum scripturam servarunt non vidisse inepte id commendari dici quod natura tribueret neque suo labore et studio quisquam consequi posset.

Eiusdem c. § 4, ubi extremo verbo aperte corrupto haec in optimis codicibus leguntur: *Legationes vero omnes quae essent illustriores per Dionem administrabantur; quas quidem ille diligenter obeundo, fideliter administrando crudelissimum nomen tyranni sua humanitate tenebat*, eiusdem Lambini correctionem *leniebat* cum Heusingero praetuli, cum reliqui editores aliam in deterioribus codicibus inventam, *tegebat*, essent secuti. Per se recte utrumque dici et res ipsa docet et exempla ab Heusingero collecta. Sed idem Heusingerus vere monuit fidem excedere Dionis humanitate occultatam esse tyranni crudelitatem ita ut ad hominum aures non perveniret. Et longe facilius fiebat ut littera *t* in *l* transiret et *i* post *n* excideret quam ut *n* ex *g*nasceretur.

Item Dion. 5, 3 editorum inconstantia tollenda est minuendumque studium veris diu inventis deteriora excogitandi. Ibi haec in codicibus scripta sunt: *Sed Dion fretus non tam suis copiis quam odio tyranni maximo animo duabus onerariis navibus quinquaginta annorum imperium munitum quingentis longis navibus, decem equitum centumque peditum milibus profectus oppugnatum, quod omnibus gentibus admirabile est visum, adeo facile perculit ut post diem tertium quam Siciliam attigerit Syracusas introierit.* Vitiosum coniunctivum *attigerit* ita correxerat Aldus[1]
42 ut *attigerat* scriberet. Rothius *attigit* coniicere quam illud probare maluit. At constanter Nepos eam legem secutus est quam exposuit Madvigius artis suae § 338 b, nota 1, ut eam rem post quam aliquid intervallo aliquo interiecto accidisset plusquamperfecto referret. Exempla haec sunt: Ar. 1, 5 *postquam Xerxes in Graeciam descendit, sexto fere anno quam erat expulsus, populiscito in patriam restitutus est;* 3, 3 *decessit fere post annum quartum quam Themistocles Athenis erat expulsus;* Cim. 3, 3 *post annum quintum quam expulsus erat in patriam revocatus est*; Dion 10, 3 *diem obiit circiter annos* LV *natus quartum post annum quam ex Peloponneso in Siciliam redierat*: Ham. 4, 2 *nono anno postquam in Hispaniam venerat in proelio pug-*

nans adversus Vettones occisus est; Hann. 7, 4 *huc ut rediit, praetor factus est, postquam rex fuerat, anno secundo et vicesimo;* 8, 1 *Hannibal anno tertio postquam domo profugerat, L. Cornelio Q. Minucio consulibus, cum* v *navibus Africam accessit;* ⟨Att. 22, 3 *Itaque die quinto, postquam id consilium inierat, decessit.*⟩*)

Neque Dion. 6, 3 vitiosam codicis archetypi scripturam: *Deinde orta dissensio est inter eum et Heraclidem; qui quidem principatum non concedebat, factionem comparavit* novo Klotzii invento *qui quia* quam vetere *qui quod* corrigere malui, quamquam per se non minus recte illud quam hoc ponitur. Nam si a reliquis signis discedimus, iisdem litteris *qd* et *quod* et *quidem* in codicibus significantur, ita ut haec facilius permutentur quam *qd* et *qa* hoc est *quia.*

Iph. 2, 5 ex optimis codicibus nuper haec reducta sunt: *Idem subsidio Lacedaemoniis profectus Epaminondae retardavit inceptus. Nam nisi eius adventus appropinquasset, non prius Thebani Sparta abscessissent quam captam incendio delessent,* itemque apud Senecam ep. xviii. 5 (108), 15 novissimi editores optimos codices secuti scripserunt *Inde mihi quaedam permansere, Lucili: magno enim in omnia inceptu veneram; deinde ad civitatis vitam reductus ex bene coeptis pauca servavi.* At apud Nepotem quae Epaminondae incepta fuerint sequentia verba ostendunt, nimirum ut Spartam caperet incendioque deleret. Haec vero Iphicrates non ut tardius procederent, sed ut plane irrita essent effecit. Monuerat haec Heusingerus: et tamen Beneckius *retardavit inceptus*, quidquid Heusingerus obloqueretur, rei vel maxime accommodatum esse asseveravit. Quam levitatem sane admirarer, nisi tota eius viri praefatio ostenderet eum de plerisque rebus confidenter asseverare quam prudenter disputare maluisse. Ne apud Senecam quidem recte *inceptus* ponitur. Ut enim et res ipsa per se et se|quentia ostendunt, ea in quae se 43
venisse scribit incepta Senecae erant. Inepte igitur in omnia incepta magno se inceptu venisse diceret. Recte in deterioribus codicibus et apud Senecam *impetu* et apud Nepotem *impetus* restituta sunt. Qui autem impetus alicuius tardiores reddit is efficit id quod Iphicratem effecisse Nepoti declarandum erat, ne Epaminondas ea quae petisset consequeretur.

---

*) [*vid. Spicil.* ii. *1*, *8*.]

Iph. 3, 4 Bruecknerus in libro optimo quem de Philippo, Amyntae filio, rege Macedonum, scripsit p. 38 not. 30 rationem proposuit qua scriptura optimi codicis Guelpherbytani, a quo reliqui meliores non longe discedere videntur, defenderetur. Putavit enim ille in his verbis: *Menesthea filium reliquit ex Tersa natum, Coti regis filia* nomen matris Menesthei a scriptore esse positum. At cum ille Cotum antea non commemorasset, mentionem eius iniicere non potuit quin cuius populi rex esset declararet idque hoc loco eo minus quod totius narratiunculae quae excipit acumen in eo positum est ut patria filiae Coti legentibus nota sit. Itaque retinendum est quod editur, *ex Thressa natum*, idque iam in Sangallensi, cum *Trasa* scriptum esset, correctione effectum est*).

Chabr. 1 refertur fugatis ab Agesilao conducticiis catervis Chabriam reliquam phalangem obnixo genu scuto, proiecta hasta impetum hostium excipere iussisse eaque re effecisse ut Agesilaus suos iam incurrentes tuba revocaret. Deinde haec in codicibus leguntur: *Hoc usque eo tota Graecia fama celebratum est ut illo statu Chabrias sibi statuam fieri voluerit quae publice ei ab Atheniensibus in foro constituta est. Ex quo factum est ut postea athletae ceterique artifices his stantibus statuis ponendis uterentur, cum victoriam essent adepti.* Extrema verba in editione mea adeo corrupta dixi ut neque emendari possent neque quam sententiam habuissent, quae quidem recta esset, invenire liceret. In antiquissimis editionibus *statibus* pro *stantibus* positum, in Ultraiectina praeterea *in* ante *statuis* adiectum, reliqua servata sunt. Haec etsi litterarum similitudine commendantur, tamen ea de causa recte repudiata sunt quod incredibile esset Nepotem athletis et ceteris artificibus quos commemoravit, quicumque illi fuerunt, eo statu quo milites Chabriae usos esse retulit statuas positas existimasse. Itaque Claudius Puteanus scribendum esse coniecit *his statibus in statuis ponendis uterentur quibus victoriam essent adepti;* quae inutili additamento auxit Petrus Faber *in* ante *quibus* adiecto. Sane non id dici debuit per illos
44 status athletas[1] et alios artifices victoriam adeptos esse; sed recte aliquo statu fecisse aliquid is quoque dicitur qui id cum eo statu esset fecit. Illam Puteani coniecturam recentiores om-

*) [tressa *habet Parcensis.*]

nes secuti sunt, neque alia sententia videtur a Nepote poni potuisse nisi ut artifices a se commemoratos statuas sibi eodem statu ponendas curasse diceret quo vicissent. Quod etsi perversum erat, rem quae facillime hominibus se offerret et commendaret Chabriae demum exemplo increbruisse iudicare, neque ita factum esse constat, tamen Nepoti ita visum esse non est quod negemus. At verba quae Nepos posuerit Puteani coniectura restituta esse nequaquam credibile est. Primum enim quem librarium *cum* scripsisse credemus cum *quibus* invenisset? Deinde neque Puteanus neque alius quisquam vidit quod apertum est, inepte athletis ceteros artifices adiungi, quasi vero ii omnes in certaminibus prodissent. Itaque haec verba gravius corrupta sunt, neque dubitari potest quin quaedam exciderint quibus qui artifices dicerentur fuerit definitum. Quod autem primo loco reprehendimus a Scheffero quoque animadversum est, cui *quomodo* scribendum videbatur. Sed id ei vocabulo quod in superiore enuntiato positum fuisse necesse est, in quo tota res vertitur, *statibus* vel *statu*, non respondet. Id vero recte videtur intellectum esse quae forma extremi enuntiati fuisset. At ex particula *quom* una relativi forma probabiliter efficitur, *quo*. Ponam igitur quae et a Nepote scribi et a librariis ita corrumpi potuisse putem ut ea quae in codicibus leguntur inde orerentur, sed ita ponam ut alia eadem et fortasse maiore probabilitate praedita excogitari posse facile concedam. Si enim scriptum fuerit *Ex quo factum est ut postea athletae ceterique artifices in certaminibus certantes eo statu in statuis ponendis uterentur quo victoriam essent adepti*, si ex his verba *in certaminibus certantes* una syllaba extrita sic in codice aliquo scripta fuisse statuimus: *in c̄tamibus c̄tātes*, et ex duobus prioribus vocabulis *his stantibus* effici et a tertio ad *statuis* ita aberrari potuit ut quae adiecimus omitterentur. Verum haec, ut dixi, lusisse me existimari volo*).

Chabr. 2, 1 cum in optimis codicibus scriptum esset *Nam Nectebenin adiutum profectus regnum ei constituit*, effeci *Nectenebin*, quod proxime accedit ad *Nectenibin*, qua nominis forma Theopompum usum esse (eum autem per Iphicratem, Chabriam, Timotheum maxime secutus videtur Nepos) in editione annotavi.

---

*) [*cf. Addenda. Edidit N.* iis statibus in statuis ponendis uterentur, quomodo victoriam essent adepti.]

Superiores quidem longius a codicum vestigiis discedentes *Nectanebum* aut *Nectanabum* aut *Nectanabin* scripserant. Postremum[1]
45 in editione Ultraiectina positum plerisque ideo praeferendum visum est quod Nepos Ag. 8, 6 secundum optimorum codicum vestigia, in quibus *Notonabide* legitur, *Nectanabide* scripsit; quae forma ibi in eadem editione Ultraiectina restituta a Plutarcho item in Agesilao posita est. Sed licuit sine dubio scriptori alio loco alia forma uti. Accidit autem hic ut litterae aut syllabae a librario male traiicerentur. Quo eodem errore Cim. 1, 2 et 4 ex *Helpinice* facta est *Helpicene*, et Alc. 4, 5 et 6, 5 editionem Ultraiectinam et plerosque editores secutus ex *Eumolpidis* natos esse *Olympidas* iudicavi. Neque enim Nepotem nomen notissimi mysteriorum sacerdotii ignorasse credibile est, neque quicquam excogitari potest quod eum in hunc errorem induxerit ut inauditos illos *Olympidas* commemoraret.

Chabr. 3, 3 servavi haec quae in codicibus leguntur: *Itaque Chabrias quo ei licebat plurimum aberat*, neque perspicio quae causa superioribus fuerit ut aut *quod* aut *quom* scriberent, quorum posterius in margine codicis Marciani alterius positum Klotzius recepit. Sane Theopompus, cuius verba in editione ascripsi, refert Chabriam plurimum in Aegypto vixisse. Sed cum ibi commorari non posset, ut paulo ante a Nepote relatum est, num quid impedit quominus in alia loca quo licebat abisse videatur? Nam id quidem non puto *abesse in aliquem locum* minus recte cuiquam dici visum esse.

Dat. 1, 2 in codicibus haec leguntur: *Quo factum est, cum in eo bello cecidisset Camisares, paterna ei traderetur provincia.* Quibus in verbis cum particulam *ut* excidisse appareret, a Lambino post *factum est* inserta est. Sed Heusingerus, cum observasset Nepotis consuetudini accommodatum esse ut enuntiatum illud *cum in eo bello cecidisset Camisares* alteri *ut paterna ei traderetur provincia* non interiiceretur, sed praeponeretur (de qua re dixi editionis p. 13), eundem ordinem hic quoque restituendum esse suspicatus est, et Klotzius *ut* ante *paterna* collocavit. Verum ibi quamobrem particula exciderit non intellegitur. Itaque eam inter *ei* et *traderetur* inserui et duos Nepotis locos quibus eodem modo retracta est particula in editione ascripsi. Quorum altero qui est Eum. 8, 2: *Itaque periculum est ne faciant quod illi fecerunt, sua intemperantia nimiaque li-*

*centia ut omnia perdant neque minus eos cum quibus steterint
quam adversus quos fecerint*, male novissimi editores ita distin-
guunt ut verba *sua intemperantia nimiaque licentia* superioribus
quod illi fecerunt adiungantur. Perverse enim Nepos de Roma-
norum veteranis, de quibus hanc orationem insti|tuit, id tantum 46
referret quid ne facerent periculum esset, de Macedonibus, qui
hic similitudinis causa commemorantur, non solum quid fecis-
sent, sed etiam quibus rebus fecissent. Quo accedit ut, si de
Macedonibus tantum retulisset eos sua intemperantia nimiaque
licentia omnia perdidisse, illa vitia in Romanis non fuisse, sed
nescio quibus rebus eos idem facturos quod Macedones existimasse
videretur.

Dat. 6 inde a § 3 refertur Metrobarzanem, Datamis soce-
rum, cum equitibus ad hostes transfugisse; Datamem re com-
perta in vulgus edidisse suo iussu Metrobarzanem profectum
esse pro perfuga quo facilius receptus hostes interficeret: quare
omnes confestim sequi debere, ut adversarii et intra vallum et
foris caederentur. Inde quae excipiunt ita in codicibus scripta
sunt: *Hac re probata exercitum educit, Metrobarzanem persequi-
tur tantum, qui dum ad hostes pervenerat, Datames signa inferri
iubet. Pisidae nova re commoti in opinionem adducuntur perfugas
mala fide compositoque fecisse, ut recepti maiori essent calamitati.
Primum eos adoriuntur. Illi cum quid ageretur aut quare fieret
ignorarent, coacti sunt cum eis pugnare ad quos transierant ab
hisque stare quos reliquerant; quibus cum neutri parcerent, cele-
riter sunt concisi.* Nihil dicam de Lambini correctione a pleris-
que superiorum recepta, qui oratione post *persequitur* distincta
scripsit *qui tantum quod ad hostes pervenerat;* quae cum lon-
gissime a codicum vestigiis discedant, tamen ne Latina quidem
esse ab Heusingero et Bremio observatum est. Ex iis verbis
quae supra posui apparet hoc fuisse Datamis consilium ut Me-
trobarzanem ad hostes pervenire pateretur et id tantum ageret
ut fugientem quam proxime sequeretur; simulatque autem ille
hostibus se coniungeret, impetum faceret et hac re Pisidas in
eam opinionem adduceret ut Metrobarzanem ipsum quoque ad
se oppugnandos venisse putarent. Itaque recta sunt verba *Me-
trobarzanem persequitur tantum*, quorum haec est sententia ut
Datames Metrobarzanem nihil aliud nisi persecutus esse et con-
sulto tanto spatio antecedere passus esse dicatur ne eum aggre-

deretur. Verum sequentia ferri non possunt, neque Beneckius quid ageretur perspexit, qui se illa defendisse existimarit ascripto Livii loco XXXII. 24, 5: *dum in unam partem oculos animosque hostium certamen averterat, pluribus locis scalis capitur murus.* Livii enim loco, cum plusquamperfecto *averterat* indicetur quod per aliquod temporis spatium factum erat, recte particula *dum* ponitur; apud Nepotem vero *pervenerat* non spatium,
47 sed momentum temporis significat. Leve[1] vitium est hoc loco, quod recte sustulit is cuius coniectura tamquam ex commenticio illo Leidensi codice prolata est. Scripserat enim Nepos *Metrobarzanem persequitur tantum; qui cum ad hostes pervenerat, Datames signa inferri iubet.*

Miror novissimos editores praeter Rothium etiam cognita codicum auctoritate in nominibus propriis, cum deteriorum codicum scriptura a superioribus esset retenta, hos quam optimos sequi maluisse, quasi vero credibile esset cetera omnia in optimis codicibus, nomina in deterioribus maiore fide servata esse. Quod contra esse apparet neque in hoc genere magis quam in reliquis ullam deteriorum codicum scripturam probari posse nisi quam nos quoque certis argumentis adducti coniectura restituendam putaremus. Sed ante omnia mirum accidit quod Dat. 7, 1, cum in Danielino filius Datamis *Sysinas* appellaretur, in Guelpherbytano dubium esset utrum ita an *Sysmas* legeretur, ab omnibus quod in reliquis codicibus scriptum est, *Scismas*, servatum est. At *Scismas* num usquam commemoretur dubito; *Sysinam* vero iam Bosius notaverat idem nomen esse atque *Sisinem* vel *Sisinnem*, cuius nominis homo Perses apud Arrianum anab. I. 25, 5. 7, Curtium III. 7, 11 sqq. (in codd. est *Sisenes*), Iosephum ant. Iud. XI. 4, 4 sqq., Scytha apud Lucianum Tox. 57 sqq. commemoraretur. Apud Arrianum Ellendtius ascripsit eiusdem VII. 6, 7 et Bekkeri anecd. I. 173, 29; ego addo Strab. XII p. 537: καθ' ἡμᾶς δὲ [τὰ Νῶρα] Σισίνου ὑπῆρξε χρηματοφυλάκιον τοῦ ἐπιθεμένου τῇ Καππαδόκων ἀρχῇ*). Nos vero in barbaris nominibus, si quid constantia quadam in optimis codicibus scriptum erat, his ne ea quidem praetulimus quae aliorum scriptorum testimoniis confirmarentur, cum haec nomina non ab

---

*) [*cf. Spicil.* II. 3, 10.]

omnibus eodem modo pronuntiata et scripta esse vel maxime probabile videatur. Itaque *Autophrodatem* quam *Autophradatem*, Alc. 10, 3 *Susametrem* et Dat. 6, 3. 5 *Metrobarzanem* quam *Susamithrem* et *Mithrobarzanem* scribere maluimus*). De Graecis nominibus Alc. 7, 4 *Bizanthen* servavimus, cuius scripturae etiam apud Xen. anab. VII. 5, 8 in codicibus vestigia sunt; debuimus item *Piraeum* constanter in optimis codicibus aut scriptum aut significatum, qua forma Romanos esse usos Plauti et Terentii exemplis Iacobus Fridericus Heusingerus ad Cic. de off. III. 11, 46 probavit, quamquam hunc in eo errasse quod Graecos quoque ita dixisse statuit recte monuit Zumptius. Ex aliis, in quibus ut in editione ad puerorum maxime usum accommodata vulgarem rationem servavimus, partim rectissima ducimus, ut *Helpinicen* Cim. 1, 2. 4, *Calchidem*[1] Timoth. 3, 5 et in Latino scriptore *Gongulum* Paus. 2, 2 et *Zacunthios* Dion. 9, 3 (*astu* retinui quia semper ita scribitur); partim non improbabilia, ut *Hagesilaum*, *Alicarnasium*, *Ephaestionem*, et quae ad Latinam consuetudinem conformata videntur, *Gnidum* Con. 4, 4, *Peloponnensum*, *Peloponnessum* et *Chersonessum*. Timol. vero 5, 2 et 3, cum in optimis codicibus scripta essent *Lamistius*, *Lamystio*, *Lamystii*, non dubitavimus quin iis obsequeremur qui, ut apud Plut. Timol. 37 legitur, hic quoque *Laphystium* restituendum iudicarunt. Et Milt. 7, 5, cum in codicibus legeretur *sagoras*, Longolium secutus *Stesagoram* quam ut alii fecerant *Tisagoram* ponere malui, quia facilius priores litterae illius quam huius nominis a librario omitti potuisse videbantur, etsi utrum Nepos posuisset in annotatione dubium esse dixi.

Dat. 9, 1 haec in codicibus scripta sunt: *At rex, quod implacabile odium in Datamen susceperat, postquam bello eum opprimi non posse animadvertit, insidiis interficere studuit; quas ille plerasque vitavit.* Sed nihil ad rem pertinebat ut Datamen insidias declinasse referretur; id referendum erat qui eventus illarum insidiarum fuisset: quamvis enim declines insidias, tamen fieri potest ut iis capiare. Itaque Nepos scripsit *evitavit;* cuius verbi prima littera, quia eadem erat postrema superioris vocabuli, a librario praetermissa est. Discrimen quod inter *vitare* et *evitare* intercederet duobus exemplis demonstratum est in editione Ger-

*) [*In edd. posterioribus* Susamithrem *et* Mithrobarzanem *restituit N.*]

manica lexici Forcelliniani: Cic. de fin. v. 7, 20 *Ne vitationem quidem doloris ipsam per se quisquam in rebus expetendis putavit, nisi etiam evitare posset* et Sen. ep. xv. 1 (93) extr. *Quid autem ad rem pertinet quamdiu vites quod evitare non possis?* Addo tertium, eiusdem Sen. ep. iv. 1 (30), 6 *Mors enim admota etiam imperitis animum dedit non vitandi inevitabilia.* Apud Nepotem vero quo magis appareat *vitavit* ferri non posse, illis ipsis verbis quae supra posuimus subiicitur narratio qua Datamen insidias quasdam ad se delatas non vitasse, sed obviam isse insidiatoribus eosque vicisse refertur. Evitare autem ut effugere non solum is dicitur qui vitando aliquid effugit, sed quicumque non opprimitur, quidquid ipse fecit.

Ep. 2, 2 haec eduntur: *At philosophiae praeceptorem habuit Lysim Tarentinum, Pythagoreum; cui quidem sic fuit deditus ut adolescens tristem ac severum senem omnibus aequalibus suis in familiaritate anteposuerit neque prius eum a se dimiserit quam in doctrinis tanto antecessit condiscipulos ut facile intellegi posset pari modo superaturum omnes in ceteris artibus.* Eademque in optimis
49 codicibus leguntur, nisi quod duo horum aperta vitia, *Lysiam* et *possit*, recte sublata sunt. At nulla ratione pro argumento quo demonstraretur quantopere Epaminondas Lysidi fuisset deditus id poni poterat quod eum non prius a se dimisisset quam condiscipulos in doctrinis antecessisset; qua re suo commodo consulebat Epaminondas, amorem praeceptoris nullum significabat. Itaque *dimisit* scribendum est.

Ep. 3, 4 haec et eduntur et in codicibus scripta sunt: *Paupertatem adeo facile perpessus est ut de re publica nihil praeter gloriam ceperit, amicorum in se tuendo caruerit facultatibus; fide ad alios sublevandos saepe sic usus est ut iudicari possit omnia ei cum amicis fuisse communia.* Hic *fidem*, cum *facultatibus* opponatur, et eorundem quorum facultates commemoratae erant, hoc est amicorum, intellegendam esse neque, quacumque sententia positam interpretamur, facultates illas comprehendere apparet. At neque Epaminondas, si facultatibus amicorum non esset usus, demonstrare poterat omnia sibi cum amicis esse communia, et quae deinceps narrantur, ut quam vere ea quae supra posuimus relata sint comprobetur, ipsis amicorum facultatibus usum esse Epaminondam ostendunt. *Nam,* inquit Nepos, *cum aut civium suorum aliquis ab hostibus esset captus aut virgo*

amici nubilis quae propter paupertatem collocari non posset, amicorum consilium habebat et quantum quisque daret pro facultatibus imperabat. Itaque quin *fide* corruptum sit dubitari non potest. Nepos autem *eidem* scripserat; quae antiquior scribendi ratio in omnibus codicibus servata est Phoc. 2, 1 *eidem cum prope ad annum octogesimum prospera pervenisset fortuna, extremis temporibus magnum in odium pervenit suorum civium* et § 4 *cum Nicanorem insidiari Piraeo Atheniensium a Dercylo moneretur eidemque postularet ut provideret ne* cett., puto, quia utroque loco dativus videbatur, ut priore etiam recentioribus quibusdam grammaticis, satis illis quidem inepte, visus est. Sed Epaminondae loco cum ex illo *eidem* maiusculis litteris scripto facili errore natum esset *fidem*, ob verbum *usus est* aliquis *fide* correxit*).

Ep. 5, 2 in optimis codicibus scriptum est *Meneclidem*, § 5 primum *Meneclides*, tum vocativo casu *Meneclida*, deinde *Meneclidas*, nisi quod tertia syllaba leviter corrupta est. Sane verisimile non est scriptorem eodem loco eundem hominem duplici nominis forma appellasse. Itaque antiquiores editores ultimo loco codicum scriptura mutata *Meneclides* scripserant; Heusingerus et recentiores ultimo *Meneclidas* servare et duobus prioribus *Meneclidam* et *Meneclidas* scribere maluerunt. At primum qui- 50
dem probabilius uno quam duobus locis codicum scriptura mutatur; deinde, si duobus prioribus locis scriptum fuisset *Meneclidam* et *Meneclidas*, haec mutare nemini in mentem venire poterat, ultimo autem cum *Meneclides* legeretur, vel maxime probabile est aliquem qui ab hoc nominativo vocativum *Meneclida* declinari non posse crederet *Meneclidas* scribendum censuisse. Qua in opinione si quis hodie quoque erit, ut fuit Heusingerus, Ciceronem audiat Tusc. III. 12, 26 Thyesten alloquentem *Tu te, Thyesta, damnabis?* et Aeeten *O stultissime Aeeta!* Bremius vero Nepotem in Thebanorum nominibus constanter eodem exitu quo est *Meneclidas* usum affirmat. At quot ea sunt? *Epaminondas* et *Pelopidas;* quibus in nominibus exitus ille omnium consuetudine erat receptus. Licuit vero ei, puto, in tertio alio exitu uti, ut aliis scriptoribus in aliis licuit, neque in Thebanis minus quam in Lacedaemoniis; ex quibus cum

*) [*vid. Addenda.*]

Them. 3, 1 *Leonidam* et Pel. 1, 2 *Phoebidam* appellasset, tamen et Them. 4, 2 *Eurybiadem* et Ag. 1, 2 *Leotychidem* dixit.

Ep. 8, 3, ubi haec leguntur: *Epaminondas a Thebanis morte multatus est, quod eos coegit apud Leuctra superare Lacedaemonios, quos ante se imperatorem nemo Boeotorum ausus fuit aspicere in acie*, miror quid Madvigio acciderit ut opusc. alt. p. 223, cum perfecta illius formae cuius est *ausus fuit* recte tum poni exposuisset cum aliquid per aliquod temporis spatium statu aliquo fuisse significaretur, hic *ausus fuit* aptum esse negaret et aut *ausus fuerat* aut *ausus est* scribendum esse contenderet. Id ipsum enim scriptor refert Epaminondam in periculo iudicum significari voluisse eo temporis spatio quod ante se imperatorem fuisset eo statu rem fuisse ut Lacedaemonios nemo Boeotorum in acie aspicere auderet.

Ep. 10, 3 consentiente testimonio codicis Danielini, collegii Romani, Sangallensis haec in archetypo scripta fuisse evincitur: *Idem, postquam apud Cadmiam cum Lacedaemoniis pugnare coepit, in primis stetit*, nisi quod *Achademiam* scriptum fuit. Qui Guelpherbytanum scripsit, cum sententia animo comprehensa verba in exemplari posita, ut fit in exscribendo, non satis diligenter aspexisset, *cum Lacedaemoniis pugnatum est* posuit, deinde animadverso errore et *coepit* et reliqua ut in exemplari invenit perscripsit, litteris vero *tum est* punctis suppositis non *re* sed *ri* suprascripsit neglecta prima exemplaris scriptura id secutus quod correctione effectum sententiam requirere animadvertisset. Haec ideo paulo pluribus exposui ne quis in illa Guelpherbytani
51 scrip|tura latere aliquid putaret quod ex codice archetypo servatum esset; cui opinioni consentiens eorum codicum testimonium quos supra nominavi refragatur. Sed correctionem quam scriptor Guelpherbytani suscepit iam in codice *B* fuisse indicio est quod eadem in Sangallensi supra versum est notata. Hanc cum antiquiores editores secuti essent, quaest. Caes. p. 164 negavi Latinos certo subiecto non significato activum *coepit* infinitivo passivo coniunxisse, cumque id quod in editione Ultraiectina legitur, *pugnari coeptum est*, quod recentiores plerique receperunt, omni probabilitatis specie destitueretur*), a Nepote *pugna coepit* scriptum esse dixi. Idem Klotzius coniecit in Iah-

*) [*vid. Spicil.* II. *3, 13.*]

nii annall. vol. XLVI p. 82 et exempla ascripsit; quae qui desiderabunt ab ipso petant. Nunc id addo quod iam a Bremio recte observatum est, ne eam quidem licentiam qua alios eiusdem aetatis scriptores non abstinuisse quaest. Caes. p. 19 demonstravi, ut subiecto significato activum verbum *coepi* infinitivo passivo coniungerent, Nepotem admisisse; sed eadem forma quae Caesari et Ciceroni legitima est Timoth. 3, 1 scripsit *bello Athenienses undique premi sunt coepti*, Ep. 7, 1 *desiderari coepta est Epaminondae diligentia*, Hann. 11, 5 *repente in eas vasa fictilia de quibus supra mentionem fecimus coniici coepta sunt.*

Pel. 2, 1 haec in codicibus scripta sunt: *Hi omnes fere Athenas se contulerant, non quo sequerentur otium sed ut quemque ex proximo locum fors obtulisset eo patriam recuperare niterentur.* Hic Madvigius ad Cic. de fin. p. 848 [*²832*], cum et *locum* occasionem interpretari licere recte negasset nec *quemque* eodem significatu quo *quemcumque* a Latinis dici demonstrasset, *quem ex proximo locum fors obtulisset* scribendum esse coniecit. Quam emendationem Beneckius cum recepisset, postea hoc eum fecisse poenituit et praefationis p. 37 Lambini *quemcumque*, quamquam alius locus praeter ipsas Athenas intellegi non posset, tamen multo rectius sibi videri dixit cum propter huius loci rationem tum propterea quod *quemque* verisimilius esset ortum esse ex *quemcumque* quam particulam *que* adiectam esse a librariis. Itemque Klotzius in censura editionis Beneckianae, quae legitur in Iahnii annall. vol. XLVI, p. 83 Madvigii coniectura improbata ipse *quemquem* corrigere non dubitavit. Iam quod Beneckius ex *quemque* probabilius *quemcumque* quam *quem*, Klotzius unum omnium maxime probabiliter *quemquem* effici contendit, de eo mihi ita videtur ut a litterarum similitudine nihil horum ceteris probabilius putem, qui et notam litterae *m* et ex duabus syllabis eadem littera finitis alteram omitti[1] et easdem litteras bis poni 52
a librariis sciam et hic, cum *ut quem* scriptum esset, ab aliquo qui particula *ut* consilium significari non perspiceret facile frequentem formulam *ut quemque* poni potuisse intellegam. Klotzium vero admiror latuisse disputationem Madvigii ad Cic. de fin. p. 423 [*²419*] (neque enim notam fuisse et refutatione indignam esse visam adducor ut credam) qua ille scriptores Ciceronianae aetatis pronomine *quisquis* praeter hanc formam et *quidquid* et ablativum *quoquo* et genitivum qui pronuntiando corruptus inesset

in *cuicuimodi* usos non esse exposuit, accusativo *quemquem* comicos veteres usos esse; cuius ne Klotzius quidem alia exempla posuit praeter unum Terentii et alterum Plauti quae eadem cum tertio eiusdem Plauti ascripserat Madvigius. Itaque *quemquem* a Nepote alienum esse statuendum est: quamquam enim ille complura posuit quae apud Plautum et Terentium legimus, in aequalium scriptorum libris qui hodie supersunt non deprehendimus, tamen huiusmodi res ei coniectura obtrudi ratio non videtur. Superest igitur, si recte Klotzius malam esse Madvigii coniecturam affirmavit, Lambini *quemcumque*. Atque hoc vocabulum ad huius loci rationem multo accommodatius esse simplici relativo *quem* argumentis comprobare Beneckius quidem, ut solet, neglexit, Klotzius comprobare conatus quod voluit non effecit. Recte apertum esse ait Nepotem haec dicere voluisse (ipsa Klotzii verba retineo quo error eius et facilius agnoscatur et firmius reprehendatur): *Diese hatten sich fast sämmtlich nach Athen begeben, nicht um dort, in welcher absicht wol andere nach Athen sich begaben, in musse zu leben, sondern der ort selbst galt ihnen gleich und sie sahen bei der wahl ihres aufenthalts nur darauf dass der ort so nahe als möglich ihrem vaterlande wäre, um von da aus ihr vorhaben dasselbe wiederzugewinnen ausführen zu können.* Sed quod haec a Nepote vix aptius declarari potuisse putat quam iis verbis quae ipse ab eo scripta esse coniecit quaeque recte ita convertit: *Diese hatten sich fast sämmtlich nach Athen begeben, nicht um in musse daselbst zu leben sondern damit sie welchen ort ihnen immer der zufall in grösstmöglicher nähe der vaterstadt angewiesen* (potius *dargeboten*) *sich dort* (accuratius *an diesem*) *bestrebten das vaterland wiederzugewinnen*, haec igitur quod eandem sententiam quam supra eius verbis exposui referre existimavit, immutata orationis coniunctione ipse se decepit. Nam verbis *sed ut quemcumque ex proximo locum fors obtulisset eo patriam recuperare niterentur* a superioribus separatis et eo modo quo a Klotzio factum est ex apta in
53 absolutam orationem conver|sis demonstratur quid in deligendo loco spectaverint exules, hoc est antequam constituissent quo se conferrent; qua in re nihil mirum est incertum etiamtum illum locum dici. At ea coniunctione qua Klotzius illa verba a Nepote posita putat quid exules spectaverint postquam Athenas se contulissent declaratur. Tum vero exulibus locum quo patriam

recuperare niterentur nequaquam incertum sed certum atque constitutum fuisse, ipsas Athenas, quae deinceps narrantur ostendunt. Itaque *quem* non solum non male a Madvigio inventum esse apparet sed illud esse unum quod a Nepote poni potuerit. Nam eum locum quem ex proximo fors obtulisset (apud Nepotem coniunctivus ponitur quia exulum sententia declaratur) non magis obscurum erat Athenas dici quam Timoth. 1, 2 post verba *Samum cepit* his adiectis: *in quo oppugnando superiori bello Athenienses mille et* CC *talenta consumpserant id ille sine ulla publica impensa populo restituit* dubium erat quin eadem Samus significaretur. Beneckium vero, cui, cum alium locum praeter ipsas Athenas intellegi non posse vidisset, tamen *quemcumque* recte poni visum est, quid iudicemus nisi quae illius pronominis significatio esset ignorasse?

Pel. 2, 5 Lambinum secutus edidi *Qui cum tempore ipso quo studuerant pervenissent, domum Charonis deverterunt, a quo et tempus et dies erat datus.* Atque Lambinus quidem sensu quodam veri ductus cur codicum scripturam *devenerunt* corruptam putaret non exposuit, neque mihi ea de causa visa est quod paulo ante bis *pervenire* ponitur, de qua Nepotis neglegentia monui p. 25 et hoc loco verba proxima superiora edocere poterant. Tolerarem *venerunt: devenerunt* a loci sententia abhorret. Hoc enim verbo etsi non semper venire aliquem ex loco superiore in inferiorem aut quae illis respondent ex meliore in peiorem significatur, nusquam tamen aliter utuntur scriptores Latini, certe antiquiores, nisi ut aliquem loco quem tenuit relicto et quasi possessione eius omissa in alium venire declarent. At hic, cum quod ante refertur, exules pervenisse, non possit aliter intellegi nisi ut Thebas pervenisse dici existimentur (falso, quamquam eadem sententia efficitur, plerique interpretes verba *quo studuerant pervenissent* coniungunt; quo facto non *tempore ipso* scribi poterat, debebat *illo ipso tempore**), sed ut dicere institueram, cum exules paulo ante Thebas pervenisse relatum esset, ineptum erat narrare eos ex hoc oppido Charonis domum venisse, quasi ea in oppido non fuisset.

Pel. 3, 1, cum in codicibus scriptum esset *Id illi vino epulisque dediti usque despexerunt ut ne quaerere quidem de tanta*

---

*) [*at vid. Addenda.*]

54 *re laborarint*, recte a primis editoribus post *usque* additum est *eo*. Neque enim codicum scriptura defendi potest huiusmodi exemplis: Plaut. Men. v. 1, 27 *mea quidem hercle causa vidua vivito, vel usque dum regnum obtinebit Iuppiter;* Terent. Heaut. I. 1, 84 *usque dum ille vitam illam colet —, interea usque illi de me supplicium dabo;* Cic. Verr. I. 5, 12 *fateatur se privatum hominem praedonum duces vivos atque incolumes domi suae, usque dum per me licuerit, retinuisse;* Liv. XXXIII. 18, 16 *Macedones, usque dum ordines et veluti stipata phalanx constabat, moveri nequiverunt;* Cic. ad Att. xv. 23 *Quousque? inquies. Quoad erit integrum: erit autem usque dum ad navem*, ubi *ibimus* intellegitur; Plaut. Mil. II. 2, 113 *ibo odorans quasi canis venaticus, usque donec persecutus vulpem ero vestigiis;* Ter. Ad. IV. 6, 6 *domi certum obsidere est, usque donec redierit.* Nam particulis *dum* et *donec* non minus quam *quoad* tempus ad finem aliquem pertinens indicatur, ita ut *usque dum* et *usque donec* eodem modo dicantur atque nostra *bis solange* et *bis solange bis*, quorum illud particulis *usque dum* quattuor prioribus locis, hoc iisdem quinto et particulis *usque donec* respondet. Haec autem significatio in particula *ut* neque inest, neque si inesset, hic *usque* eodem modo explicari posset, cum a particula *ut* separatum sit. Itaque *usque* aut interpretandum esset *omni ex parte*, qua significatione ponitur sequente eadem particula *ut* apud Terent. Eun. II. 1, 14 *opus faciam, ut defetiger usque, ingratiis ut dormiam*, aut *per omne tempus*, qua ratione sequentibus particulis *ut*, *dum*, *donec*, *quoad* positum videri debet non solum a Plauto Most. v. 1 (2), 12 *pergunt turbare usque, ut ne quid possit conquiescere*, Rud. III. 4, 10 *est aequum ibi te usque habitare, donec totum carcerem contriveris* et Ter. Heaut. v. 1, 77 *eum adeo exornatum dabo, usque ut, dum vivat, meminerit semper mei*, 2, 30 *usque id egi dudum, dum loquitur pater*, Hec. I. 2, 50 *usque illud visum est Pamphilo neutiquam grave, donec iam in ipsis nuptiis* cett. ⟨et Horat. sat. I. 4, 20 *usque laborantes, dum ferrum molliat ignis*⟩, sed etiam a Cic. Brut. 22, 87 *usque illum, quoad ei nuntiatum esset consules descendisse, omnibus exclusis commentatum in quadam testudine cum servis litteratis fuisse*, ad fam. XII. 19, 3 *mihi quidem usque curae erit quid agas, dum quid egeris sciero*, Planco ap. eund. ad fam. x. 7, 2 *usque mihi temperavi, dum perducerem eo rem ut dignum aliquid et consulatu meo et vestra exspectatione*

efficerem, Varrone de ling. Lat. i. 45 p. 7 Bip. *ubi quidque constitit, locus; ab eo praeco dicitur locare, quod usque demittit, quoad in aliquo consistit pretium.* Ita enim hic Varronis locus emendandus videtur, quo in codicibus legitur *usque*| *id emit.* 55
Quae quod Muellerus Goeschenii suasu ita explicat ut praeconem emere dici putet quia is opus certa pecunia praestandum a conductoribus reipublicae acquirat, non emit ille quoad pretium consistit, sed cum constitit. Demittit vero pretium post maiora pretia minora pronuntians, donec ad minimum pervenit. Sed ut ad Nepotem revertamur, eo loco quem supra posui apparet eum non id dicere voluisse, magistratus Thebanorum nuntium de exulum adventu ad se delatum per omne tempus despexisse, sed ita despexisse ut statim cogitare de eo omitterent. Neque *usque despexerunt* explicare licet *omni ex parte despexerunt*, cum omni ex parte nemo despiciat nisi qui ne quaerere quidem de eo quod despicit laboret, ita ut, si illud significare voluisset, sequentia a scriptore adiici non potuissent. Quo accedit quod hac significatione particula *usque* a scriptoribus Nepotis aequalibus non est posita. Recte vero illud quoque factum est quod *eo* insertum est non *adeo*, quae particula propter initium sequentis verbi facilius excidisse videri possit. Nusquam enim Nepos *usque adeo* posuit, *usque eo* pluribus locis, ut Dion. 4, 5 *usque eo vitae statum commutatum ferre non potuit ut se de superiore parte aedium deiecerit;* Chabr. 1, 3 *hoc usque eo tota Graecia fama celebratum est ut illo statu Chabrias sibi statuam fieri voluerit;* Ep. 9, 3 *usque eo retinuit quoad renuntiatum est vicisse Boeotios.* Gellium vero, qui vii. 18 ex quinto exemplorum Nepotis haec refert: *eos tamen qui ad Hannibalem non redissent usque adeo intestabiles invisosque fuisse ut taedium vitae ceperint necemque sibi consciverint,* Nepotis verba non ipsa sed immutata a se ponere cum orationis forma docet tum illa *taedium vitae ceperint*, pro quibus non dubium est quin Nepos taedio vitae captos dixerit.

Ea verba de quibus modo disputavimus, Pel. 3, 2 in optimis codicibus haec excipiunt: *Accessit etiam quod magis aperiret eorum dementiam. Allata est enim epistola Athenis ab Archino uno ex his Archiae, qui tum maximum magistratum Thebis obtinebat, in qua omnia de profectione eorum perscripta erant.* De altero *eorum* dictum est p. 20. Sed superiora verba nemo ali-

ter intelleget nisi ut epistolam ab Archino, qui unus fuerit ex his Archiae sociis de quibus scriptor paulo ante dixit, allatam esse referri putet. At scriptorem eodem modo atque Plutarchum epistolam Archiae allatam retulisse quae sequuntur ostendunt: *Quae cum iam accubanti in convivio esset data, sicut erat signata sub pulvinum subiiciens In crastinum, inquit, differo res severas.* Hoc vitium leni mutatione sustulit Bosius, ita ut pro *uno* scri-
56 beret *uni* et verbis *uni ex*[1] *his* per appositionem dativum *Archiae* subiici statueret; *uno* autem idem intellexit inde ortum esse quod librarius haec ad Archinum pertinere putaret. Nam quod ipsum *uno* retineri et dativum intellegi posse existimavit, neque *uno* ab antiquioribus pro dativo ponitur, neque, si positum esset, scriptor ea forma hic usus esset, ubi omnes ablativum intellecturos esse fugere eum non poterat. Sed cum Plutarchus epistolam non ab Archino, sed ab hierophante quodam cui ipsi quoque Archiae nomen fuisset missam esse narraret, Aldus incredibili illa licentia *ab Archia hierophante Archiae* scripsit, et Bosius, antequam rectius de hoc loco statueret, *ab Archia uni ex his, Archiae* scribendum coniecit, et utraque interpolatione coniuncta Heusingerus *ab Archia hierophante uni ex his, Archiae* edidit. Unum ex his tribus commentis editores omnes secuti sunt praeter Klotzium: nam Rothium hic ut ubique codices sequi non est quod commemorem. Klotzius vero probabiliter se haec ex codicum scriptura effecisse existimavit: *ab Archia cognomini eius, Archiae,* cum ante eum Staverenus legi posse dixisset *ab Archia hierophante cognomini Archiae*, ineptissime hac condicione adiecta, si codices addicerent. Haec probabilia esse mihi quidem non persuadetur, et is est scriptor Nepos qui permulta narret quae et ab omnium reliquorum auctorum narratione discrepant neque quin falso narrata sint dubitari potest. Quod tamen in hac re quis demonstrabit, quae praeter Nepotem ab uno Plutarcho narratur? Adiectivo autem *cognominis*, cum Plautus usus esset, Nepotem et aequales scriptores usos esse nullum exemplum est. Neque enim eo quod apud Plinium hist. nat. VI. 2, 5 haec leguntur: *Quo loco Henetos adiicit Nepos Cornelius a quibus in Italia ortos cognomines eorum Venetos credi postulat*, his igitur non adducor ut *cognomines* a Nepote positos existimem, id quod Klotzio visum est. Sed Livium ea voce usum credo, apud quem V. 34, 9 haec in codicibus scripta sunt: *haud procul*

Ticino flumine, cum in quo consederant agrum Insubrium appellari audissent, cognomine Insubribus pago Haeduorum ibi omen sequentes loci condidere urbem; quo loco mihi non *cognominem* scribendum, id quod Io. Fridericus Gronovius coniecit, sed *Insubribus* delendum videtur. Sive enim Gronovii coniecturam sequimur sive codicum scripturam ita explicamus ut pagum Haeduorum cognominem dici statuamus Insubribus qui adventu Gallorum illum agrum tenuerint (quamquam num hoc tradere Livius voluerit admodum dubium videtur), inepte *Insubribus* adiicitur, quasi nomine agri Insubrium posito quod nomen pagi Haeduorum fuisset dubium esse[1] posset. Nam quod alii ita interpretantur 57
ut pago Haeduorum cognomen Insubribus fuisse significari existiment, neque cognomen illud sed nomen pago erat neque unius substantivi ablativus ita poni potest ut participio verbi *esse* intellecto ablativi absoluti vice fungatur.

Pel. 4, 1, ubi haec leguntur: *Itaque haec liberandarum Thebarum propria laus est Pelopidae,* nescio qui factum sit ut neque ipse attenderem neque eorum reminiscerer quae Madvigius epist. ad Orell. p. 136 disputavit. Rectissime enim ille gerundivum de praeterito tempore poni negavit et hoc Nepotis loco *liberatarum* scribendum esse monuit.

Ag. 6, 3 cum in reliquis codicibus scriptum esset *Sic adulescentulos simulata laudatione recuperavit et adiunctis de suis comitibus locum tutum reliquit*, in Guelpherbytano *adulescentulis,* in editione Ultraiectina *adulescenteis*, et Rothius et Beneckius *adulescentis* scribendum coniecerunt. Recte statuit uterque incredibile esse eum qui editionem Ultraiectinam correxit *adulescenteis* positurum fuisse, si in codice Danielino *adulescentulos* invenisset. Sed dubium est utrum *adulescentis* invenerit (nam hunc accusativi exitum recte Rothius in Danielino fuisse iudicavit ubicumque alterum qui in Ultraiectina est, rarissimum illum in libris antiquis neque in ullo alio Nepotis codice inventum, enotaverat Daniel; quod ille fecerat amore quodam huius formae hominibus aetatis suae communi ductus non minus quam Gifanius cum *Thraeces* et *Thraeciam* in eodem codice se legisse simulat, pro quibus *Threces* et *Threciam* scripta fuisse recte idem Rothius Danieli et reliquis Nepotis codicibus credidit: nam ne in aliorum quidem scriptorum libris nisi perpaucis locis illae formae inveniuntur), sed ut dicere institueram, dubium est

utrum *adulescentis* in Danielino scriptum fuerit an idem quod in Guelpherbytano indeque *adulescenteis* illud coniectura effectum sit. Utrum verum sit certo discerni nequit; ratio quidem suadet ne Guelpherbytani fidei nisi certis argumentis coacti derogemus. Quod si in Danielino quoque *adulescentulis* scriptum fuerit, equidem *adulescentulos* recte in reliquis codicibus positos puto. Eadem dubitatio c. 7, 1 nascitur, quo loco neque Rothius neque Beneckius se quicquam suspicatos esse significarunt. Ibi enim in Guelpherbytano vitiose scriptum est *cum interim Agesilaus destitit*, in reliquis codicibus *cum interim Agesilaus non destitit*, in editione Ultraiectina *cum interim numquam Agesilaus destitit**).

Eum. 1, 5 Lambinum secutus edidi *Namque apud nos re*
55 *vera*,[1] *sicut sunt, mercenarii scribae existimantur; at apud illos e contrario nemo ad id officium admittitur nisi honesto loco et fide et industria cognita*. Nam quod in codicibus scriptum est *contrario* omissa praepositione id recte plerique non solum a Nepote, apud quem Iph. 1, 4. Ham. 1, 2. Att. 9, 3 in omnibus codicibus *e contrario* legitur, sed ab omnibus antiquis scriptoribus alienum iudicarunt. Neque tamen recte fit quod apud Cic. Tim. 12, quo loco nonnulli *contrario* a Cicerone scriptum putarant, in codicibus haec leguntur: *iram et metum et reliquos motus animi, comites superiorum et iis etiam contrarios dissidentes*, Stephani coniecturam secuti *contrarie* edunt, quod nulla probabilitate efficitur; neque rectius Goerenzio *dissidentes* delendum videbatur. Ipsa codicum scriptura servanda est. Nam ut apud Caes. b. Gall. II. 24, 4 Numidae diversi dissipatique fugere dicuntur (plura collegerunt Dukerus et Drakenborchius ad Liv. X. 33, 10) et apud Ovidium Metam. II. 73 Phoebus *Rapido*, inquit, *contrarius evehor orbi*, ita rectissime eadem adiectiva participiis coniunguntur. Et coniunxit alio loco utrumque Cicero, pro Cael. 5, 12 *Neque ego umquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto, tam ex contrariis diversisque inter se pugnantibus naturae studiis cupiditatibusque conflatum*, quo loco ego quaest. Caes. p. 151 male aut verba *inter se pugnantibus* delenda aut ante haec, ut Lambinus fecerat, *atque* inserendum dixi. Hoc

---

*) [*Edidit N. Parcensem et Ultraiectinam secutus* 6, 3 adolescentis, 7, 1 numquam Agesilaus destitit.]

Cicero dicit Catilinae studia cupiditatesque et adversa inter se pugnasse, quae a quibus superarentur, et cum in eodem animo colligata essent, in diversas partes nitentia, quae a quibus traherentur. Superest Vitruvii locus viii. 1, 7, ubi in codicibus haec scripta sunt: *Campestribus autem locis contrario non possunt habere copias, nam quaecumque sunt non possunt habere salubritatem.* Quae cum corrupta esse appareret, neque a superioribus neque a Schneidero probabiliter correcta sunt, quorum illi scripserunt *Campestribus autem locis contrario non possunt haberi copiae, quae etsi sint, non possunt* cett., hic *Campestres autem loci e contrario non possunt habere copias, et quaecumque sunt non possunt* cett. Scribendum est, ni fallor, *Campestribus autem locis contraria: non possunt habere copias, neque, cum quae sunt, possunt habere salubritatem.* Campestribus locis contraria esse vel accidere ait atque in montibus de quibus ante dixit: non posse haec campestria loca copias habere, neque, cum quae copiae sint, salubritatem has copias habere posse.

Eum. 3, 5 in optimis et plurimis codicibus haec scripta 59
sunt: *Itaque hoc eius fuit prudentissimum ut deviis itineribus mili|tes duceret in quibus vera audire non possent et his persuaderet se contra quosdam barbaros proficisci.* Quae cum Bosius probasset, recte Heusingerus monuit in hac oratione non *ut duceret*, sed *quod duxit* scribendum fuisse. Etenim verba *hoc eius fuit prudentissimum* rem quae prudentissima dicitur factam esse indicant, quae qualis fuisset alio enuntiato explicari non poterat nisi quod particulam *quod* et perfectum indicativi haberet: particulae *ut* adiuncto coniunctivo ea est natura ut quid futurum sit declaret. Atque ita de hac re Nepotem retulisse ut non quid fecisset Eumenes sed quid facere voluisset traderet demonstrant quae subiecit: *Itaque tenuit hoc propositum.* Haec cum antiquitus animadversa essent, in codice collegii Romani et affinibus ante *ut* insertum est *consilium;* quam interpolationem quod superiores editores secuti sunt nondum cognita codicum ratione ignoscendum est, nobis quin repudianda sit dubium esse nequit. Quae in optimis codicibus leguntur ex hac scriptura orta sunt: *Itaque hoc ei uifūst prudentissimum.* In quibus litterae quas mutavimus quam facili errore nasci potuerint apparet; gravissima autem codicis archetypi vitia antiquiore orthographia non intellecta et litteris male separatis aut coniunctis nata esse demon-

strant quae Milt. 5, 3 et Att. 20, 4 scripta sunt, priore loco *acie e regione instructa nona partis summa*, altero *exul tum his terris*, cum scribi deberet illo *acie regione instructa non apertissuma*, ut restituit Rothius, hoc quod Paulus Manutius invenit, *ex ultumis terris*. Eadem de hoc loco in Philologi vol. I p. 667 disputavi.

Eum. 7, 1 haec in codicibus scripta et ab omnibus editoribus servata sunt: *invidiam verens, quam tamen effugere non potuit, si potius ipse alienigena summi imperii potiretur quam alii Macedonum, quorum ibi erat multitudo, in principiis Alexandri nomine tabernaculum statuit in eoque sellam auream cum sceptro ac diademate iussit poni eoque omnes quotidie convenire, ut ibi de summis rebus consilia caperentur, credens minore se invidia fore, si specie imperii nominisque simulatione Alexandri bellum videretur administrare.* At nequaquam Eumenes sperare poterat minore se invidia fore quamdiu ipse bellum administrare videbatur, quamvis hoc se Alexandri auspiciis facere diceret. Nam id nobiles illi Macedones neque Eumenem affectare putabant neque ipsi affectabant ut suis auspiciis bellum administrarent, sed cum id auspiciis liberorum Alexandri administraretur, his auspiciis ipsos potius quam Eumenem administrare aequum censebant. In eadem igitur sententia mansissent, si Eumenes se Alexandri
60 auspiciis[1] bellum administrare simulasset. Et res ipsa et reliquorum scriptorum narratio docet contentionem de imperio ita tollere studuisse Eumenem ut id eorum ducum qui aderant nemini concederetur, sed ab ipso Alexandro teneri simularetur. Atque ita Nepotem quoque de Eumenis consilio retulisse demonstrant verba § 3: *Nam cum non ad Eumenis principia, sed ad regia conveniretur atque ibi de rebus deliberaretur, quodammodo latebat, cum tamen per eum unum gererentur omnia.* Itaque non *administrare*, sed *administrari* scripsit.

Inter haec verba quae modo emendavimus et ea quae ad emendationem nostram confirmandam ascripsimus in codicibus haec interiiciuntur: *Quod et fecit.* Hic cum Heusingerus *fecit* eadem significatione atque *effecit* poni posse negasset et *Quod effecit* scribendum dixisset, alii obloculi sunt alii assenserunt, non ita tamen ut iis qui Heusingero repugnaverant satis firmiter responderent. Atque Bremius quidem nihil attulit refutatione dignum ascriptis locis Paus. 2, 5 et Eum. 2, 5, quorum priore

in omnibus fere codicibus, certe in optimis non *fecerit*, sed *perfecerit* legitur, altero, ubi haec leguntur: *interficere conatus est; et fecisset, nisi ille clam noctu ex praesidiis eius effugisset*, iam Heusingerus monuerat verbum *facere* ut saepe vicibus verbi antea positi fungi, ita ut *fecisset* idem esset atque *interfecisset*. Bardilius vero ascripsit ex Nepotis Ep. 3, 6 *eamque summam cum fecerat,* ex Catull. 5, 10 *cum multa milia fecerimus* et quibus praecipue nititur ex eiusdem 74: *Gellius audierat patruum obiurgare solere, si quis delicias diceret aut faceret. Hoc ne ipsi accideret, patrui perdepsuit ipsam uxorem et patruum reddidit Harpocratem. Quod voluit fecit: nam quamvis irrumet ipsum nunc patruum, verbum non faciet patruus.* Poterat permulta, qualia ex pluribus generibus collecta sunt in lexico Forcelliniano. At his non demonstratur verbo quod est *facere* praeter actionem eventum actionis significari, id probatur quod exemplis probari non est necesse, cum aliquem efficere aliquid aliis indiciis intellegatur, saepe hunc eam rem quam efficiat facere dici. Neque hoc magis in illo verbo accidit quam in aliis quae actionem significant. Velut cum me viam munire dico, et facere me quae viae muniendae sint et hac actione ut via muniatur efficere significare possum, sed alterum ita tantum si eventus aliis indiciis cognoscatur. Ita et Epaminondae loco et apud Catull. 5, 10 *summam* et *multa milia* effecta esse ex totius loci sententia perspicimus et apud eundem 74, 5 *quod voluerat* effecisse Gellium intellegimus:[1] nam id unum voluisse eum poeta dixerat, 61
hoc ne ipsi accideret, quod inepte fecisse diceretur, nisi effecisset. Eumenis vero loco a quo disputatio nostra nata est in relativo *quod*, cum id adiuncto verbo *fecit* non minus ad *credens* quam ad reliqua quae superiore enuntiato continentur referri possit, nullum indicium inest unde effecisse Eumenem intellegamus quod fecisse dicatur. Itaque hic necessario *Quod effecit* scribendum erat.

Eum. c. 8 refertur Antigonum, cum duae essent viae qua ad hostium hiberna pervenire posset, altera longior et copiosa, brevior altera, sed per loca deserta et inopia aquae laborantia, ut imprudentes adversarios opprimeret, breviore ad eos contendere constituisse. Deinde § 7 haec in codicibus leguntur: *Ad hanc rem conficiendam imperavit quam plurimos utris atque etiam culleos comparari, post haec pabulum, praeterea cibaria*

cocta dierum decem, ut quam minime fieret ignis in castris. Item quod habebat omnis celat. Sic paratus qua constituerat proficiscitur. Hic recte in primis editionibus pro particula *item* positum est *iter**). Nam quod Rothius praeoptavit ut scriberetur *item iter*, neque probabilius efficitur et insuavem affert similium syllabarum repetitionem. Neque tamen illa correctione locus persanatus est. Numquam enim poetae comici aut pedestris orationis scriptores Latini aliquem iter habere dixerunt nisi ita ut aut quo aut qua iter haberet significarent. Sic Plautus Asin. II. 3, 6 *huc quia habebas iter,* Terent. Eun. V. 8, 35 *iter hac habui*, Cic. ad fam. II. 12, 2 *iter habebant ad Adiatorigem*, ad Q. fr. II. 6, 2 *ille in Sardiniam iter habebat*, ad Att. VIII. 11 D, 2 *Caesarem iter habere Capuam*, Caes. b. civ. I. 14, 3 *iter ad legiones habebat,* 51, 1 *iter habebant ad Caesarem,* III. 11, 2 *iter ex Macedonia in hiberna Apolloniam Dyrrhachiumque habebat,* 106, 1 *eum Aegyptum iter habere.* Lucano scribere licuit II. 439 *nullas nisi sanguine fuso gaudet habere vias.* Itaque apud Nepotem scribendum est *Iter quo habeat omnis celat.*

Eum. 9, 3 non servavi quae in codice archetypo scripta fuerunt: *Certos mittit homines ad infimos montes qui obvii erant itineri adversariorum hisque praecepit ut prima nocte quam latissime possint ignis faciant quam maximos*, neque Hann. 10, 5 *classiarios convocat hisque praecepit omnes ut in unam Eumenis regis concurrant navem,* sed priore Lambinum, altero Sangallensem, codicem collegii Romani, affines**) secutus *praecipit* scripsi motus non tam eo quod utroque loco altera res praesenti tempore enuntiata erat, quamquam et praemisso et sequente per-
62 fecto Milt. 4,[1] 1 optimo codici Danielino non tantum tribui ut inter haec praesenti interiecto scriberem *classem quingentarum navium comparavit eique Datim praeficit et Artaphernem hisque ducenta peditum, decem milia equitum dedit*, sed *praefecit* reliquorum codicum tenui; verum, ut dixi, non tam hac de causa illos locos mutavi quam quia praeter hos nullum inveni quo in narratione Nepos perfecto primarii enuntiati in apto praesens coniunctivi subiecisset. Apud Caesarem quidem b. civ. III. 40, 5, ubi in codicibus scriptum est *D. Laelium ab Asiatica classe*

---

*) [*idem in Parcensi.*]

**) [*idem testantur Parcensis et ed. Ultraiectina.*]

abductum reliquit qui commeatus Bullide atque Amantia importari in oppidum prohibebat, non me poenitet de coniectura *prohibeat* posuisse, cum et sententia ut ita facerem flagitaret neque deesset alterum eiusdem scriptoris exemplum, b. civ. III. 20 extr. *legem promulgavit ut sexenni die sine usuris creditae pecuniae solvantur*. Ne Cicero quidem hac coniunctione abstinuit de off. I. 11, 36: *Cato ad Popillium scripsit ut, si eum patiatur in exercitu remanere, secundo eum obliget militiae sacramento*. Nam *obliget* scriptum est in diversae originis codicibus a c d e apud Orellium, Gudiano primo et secundo aliisque apud Heusingerum; *obligaret*, quod in uno bono b et deterioribus f et Guelpherbytano quarto legitur, correctioni deberi demonstrat quod in eodem b, ut in a d Gudiano secundo, scriptum est *patitur*, unde non *pateretur*, quod deteriores codices secuti edunt, etsi id poni potuisse in addendis ad Caesaris mei p. 85, 3 monui, sed ut in c factum est *patiatur* scribendum esse efficitur*). Iis non utor quae apud Sall. Cat. 34 scripta sunt: *Ad haec Q. Marcius respondit: si quid ab senatu petere vellent, ab armis discedant, Romam supplices proficiscantur*, quia *respondit* et *vellent* facili librariorum errore pro *respondet* et *velint* scribi potuerunt; multo minus his apud eund. Iug. 13: *legatos Romam mittit, quis praecepit primum uti veteres amicos muneribus expleant* cett. et 28: *legatos mittit hisque — praecepit omnes mortales pecunia aggrediantur*, quae simillima iis quae supra ex Nepotis codicibus proposuimus servaverunt editores, cum utroque loco *praecipit* ne auctoritate quidem codicum destitueretur. Adeo enim fere semper in his et similibus litterae *e* et *i* a librariis permutatae sunt ut apud Nepotem certe, cum auctoritas codicum per se ipsa infirma aliis etiam rationibus elevetur, committendum non videatur ut errore librariorum decipiamur.

Eodem Eumenis loco de quo modo diximus non recepi quae paulo inferius in ⟨Parcensi,⟩ Guelpherbytano, Sangallensi, editione Ultraiectina, hoc est codice archetypo, scripta nuper commendata sunt:' *itemque postera nocte faciant*. Neque enim *item* 63
est *auf dieselbe weise*, sed *ebenfalls*.

Eum. 11, 5 haec in codicibus scripta sunt: *Huic Eumenes*

---

*) ⟨alia exempla praebent Plaut. Bacch. 287 (cf. 291). 353; Lentulus ap. Cic. ad fam. XII. 14, 5; Liv. XLIII. 2, 2.⟩

Utinam quidem istud evenisset! sed eo non accidit quod numquam cum fortiore sum congressus. Non enim cum quoquam arma contuli quin is mihi succubuerit; non enim virtute hostium, sed amicorum perfidia decidi. Neque id falsum. Nam et dignitate fuit honesta et viribus ad laborem ferendum firmis neque tam magno corpore quam figura venusta. Hic cum omnes intellexissent inepte extrema superioribus adiungi, de ratione qua vitium tolleretur in diversas sententias discessum est. Buchnero enim excidisse quaedam visa sunt, Heusingerus omnia quae post *decidi* leguntur spuria iudicavit eique recentiores plerique assenserunt. Sed hi neque qui factum esset ut aliquis haec ascribenda putaret explicare potuerunt (nam quod Heusingerus c. 10, 4 post verba *parvi futuros* collocata fuisse existimavit, ne ibi quidem quare ascripta sint ullam causam video) neque alium locum afferre quo in codicibus Cornelii Nepotis aut tam multa interpolata essent aut quae ad res a scriptore narratas pertinerent aut tantam harum rerum scientiam proderent quantam haec produnt. Verissime enim hic Eumenis formam describi ostendunt quae de eadem re Plutarchus tradidit Eum. 11: ἦν δὲ καὶ τὸ εἶδος ἡδύς, οὐ πολεμικῷ καὶ τετριμμένῳ δι' ὅπλων ἐοικώς, ἀλλὰ γλαφυρὸς καὶ νεοπρεπὴς καὶ πᾶν τὸ σῶμα διηρθρωμένος ὡς ὑπὸ τέχνης ἀκριβῶς τοῖς μέλεσι θαυμαστὴν συμμετρίαν ἔχουσιν. Itaque recte Buchnerum statuisse iudicavi post verba *Neque id falsum* item ut Lys. 2, 3 complura excidisse, cumque Bremius se videre negasset quae excidere potuissent quibus apte verba illa de forma Eumenis subiicerentur, in editione mea locum ita supplevi ut et hoc apparere putem et unde lacuna orta sit et quod non recte tradi eidem Bremio visum est, quomodo dignitas et venustas in Eumenis corpore coniuncta fuerint eaque dignitas qua ratione honesta dici potuerit, quod neminem docuisse Heusingerus questus est.

Phoc. 4 de adventu Phocionis, cum is in vincula coniectus Athenas deductus esset, ut ibi de eo legibus iudicium fieret, haec narrantur: *Magni concursus sunt facti, cum alii reminiscentes veteris famae aetatis misererentur, plurimi vero ira exacuerentur propter proditionis suspicionem Piraei maximeque quod adversus populi commoda in senectute steterat.* Deinde omnes haec a Nepote scripta existimant: *Qua de re ne perorandi quidem ei data est facultas et dicendi causam. Inde iudicio legitimis*

quibusdam confec|tis damnatus traditus est undecimviris. Sed in- 64
epte commemoratur Phocioni ne perorandi quidem et causam dicendi facultatem esse datam antequam iudicium haberetur, quam facultatem si ille eo tempore petisset, iure esset negata. Et res ipsa et quae ab aliis scriptoribus traduntur ostendunt Nepotem in iudicio Phocioni eam facultatem ademptam retulisse. Quod si quis hoc quidem sponte ab omnibus qui haec legant intellegi neque fuisse cur a scriptore declararetur, *iudicio* autem sententiam iudicum significari putet, neque ita aliquem iudicio damnari dici existimo reliquis quae in iudicio fiunt exclusis neque hic certe id fieri poterat. Nam legitima illa quibus confectis iudicio damnatus dicitur Phocion, cum proxima ante sententiam iudicum esset peroratio rei, antequam perorandi facultas adimeretur confecta sint necesse est. Itaque recipiendum erat quod in codice Axeniano sive casu sive consilio scriptum est, *in iudicio*, et haec verba sic distinguenda: *Qua de re ne perorandi quidem ei data est facultas et dicendi causam in iudicio; legitimis quibusdam confectis damnatus traditus est undecimviris.* Nam ne ita quidem, si *in iudicio* scribitur, haec verba a superioribus separari possunt, ne quae sequuntur ideo dici videantur in iudicio facta esse ut quae antea commemorantur non in iudicio, sed nescio quando facta esse demonstretur. Vocabulis *in* et *inde*, quae eadem nota ī significantur, nulla in codicibus aut facilius aut saepius permutantur*).

Timol. 3, 4 Freinshemius vidit inepte haec in codicibus scribi: *Cum tantis esset opibus ut etiam invitis imperare posset, tantum autem amorem haberet omnium Siculorum ut nullo recusante regnum obtineret, maluit se diligi quam metui,* idemque una littera abiecta, ita ut pro *obtineret* scriberet *obtinere*, corruptam sententiam emendavit. Secutus est nemo; tres omnino quod sciam refutare Freinshemium conati sunt. Atque horum Bosius quidem nimis nugatorie re vera Timoleontem imperium obtinuisse narrat, qui id proximis verbis deposuisse dicatur. Quasi vero idem esset imperium atque regnum. Id ipsum inepte diceretur tantum amorem omnium Siculorum habuisse Timoleontem ut nullo recusante imperium obtineret: neque enim hoc quidem permagnum erat. Heusingerus vero et Tzschuckius

*) [*add. Spicil.* II. 5, 12.]

certe quae sententia requireretur viderunt, sed in eo errarunt quod *obtineret* eadem sententia atque *obtinere posset* poni putarunt. Numquam enim in apta enuntiatione coniunctivo posse aliquid fieri indicatur: id saepe fit ut quae et fieri et posse fieri dicere licet ea fieri dicantur, velut in his Cic. ad fam. I.
65 7, 6 *eam esse naturam provinciae tuae ut illius*[1] *reditum vel adiuvando confirmares vel neglegendo impedires* et II. 19, 1 *nec is qui attulerat a te acceperat, ut ex eo scirem quo ex loco aut quo tempore essent datae.* Ex iis autem exemplis quae Tzschuckius ascripsit (nam Heusingerus nihil quo explicationem suam confirmaret adiecit) alterum, Eum. 6, 1 *consultum utrum repetitum in Macedoniam veniret,* vix ab homine vigilanti ascriptum putes, alterum, Timol. 5, 3 *hoc a diis immortalibus semper precatum ut talem libertatem restitueret Syracusanis in qua cuivis liceret de quo vellet impune dicere*, rationem quidem habere a nostra consuetudine abhorrentem neque vero eam in coniunctivo esse positam ad Ep. 4, 4 edit. p. 102 ostendi.

De regg. 1, 3 cum testimonio omnium codicum praeter tres deteriores haec in archetypo scripta fuisse evinceretur: *Tres sunt praeterea eiusdem generis: Xerxes et duo Artaxerxes, Macrochir quoque et Mnemon*, et *quoque* recte quidem omnibus inepte hic poni visum esset neque tamen cur interpolatum esset ulla causa appareret, ita ut deleri posset, quod omnes recentiores editionem Ultraiectinam, Lambinum, tres illos deteriores codices secuti fecerant, in Philologi vol. I p. 667 vocabulum illud ex *cognomine* quod in codicibus *gnomīe* scriptum fuisset ortum iudicavi*). Quod autem in Guelpherbytano et quattuor deterioribus codicibus scriptum est *Artaxerxe*, error horum codicum existimandus est neque inde *Artaxerxae* efficiendum, ut Iacobo Friderico Heusingero ad Cic. de off. III. 11, 48 visum est**). Neque enim ideo quod Latini accusativo huiusmodi nominum ad primam declinationem conformato usi sunt reliquis casibus eos eandem formam tribuisse statuere licet.

Ham. 1, 2 Guelpherbytanus et deteriores codices cum illo consentientes haec in archetypo scripta fuisse demonstrant: *Cum autem eius adventum et mari et terra male res gererentur Car-*

---

*) [*cf. Addenda.*]

**) [Artaxerxe *etiam Parc.* Artaxerxae *in ed. 7. a. 1873 recepit N.*]

thaginiensium, ipse ubi affuit numquam hosti cessit neque locum nocendi dedit saepeque e contrario occasione data lacessivit semperque superior discessit. Haec cum corrupta esse appareret, iam in codicibus emendandi pericula facta sunt, in Sangallensi, codice collegii Romani, aliis ut *cum ante eius adventum* scriberetur*), in quattuor deterioribus *cum autem eius adventu.* Editores omnes prius secuti sunt. Sed ante adventum Hamilcaris res Carthaginiensium male gestae esse tum demum recte dicerentur, si post adventum eius fortuna commutata bene essent gestae. At summae rei nullam mutationem esse factam et ab ipso tantum Hamilcare eo loco ubi affuisset rem bene gestam scriptorem significare voluisse ea declarant quae deinceps tradidit. Nam cum Carthaginienses ante adventum Hamilcaris paene omnia in Sicilia amisisse retulisset, neque quicquam ab eo recuperatum, sed aliquid tantum eorum quae superfuerant defensum, et ubi ille non affuerit, apud Aegates insulas ita Carthaginienses esse victos ut finem facere belli statuerent narravit. Vidi qui verbis *ubi affuit* tempus significari putaret; quod quamquam male fieri sequentia ostendunt, tamen ne admissa quidem hac explicatione argumenta nostra infirmari apparet. Itaque probandum est quod in quattuor deterioribus codicibus scriptum esse retuli, *cum autem eius adventu.* Verba *eius adventu* pervagata ratione hac sententia poni: *eo tempore quo adveniebat,* non est quod moneam. Illud non praetermittam hac ratione et pauciora in scriptura codicis archetypi mutari et aptius haec verba superioribus adiungi.

Paulo post in Guelpherbytano haec leguntur: *Ille etsi flagrabat bellandi cupiditate, tamen paci serviundum putavit, quod patriam exhaustam sumptibus diutius calamitates belli ferre non posse intellegebat, sed ita ut statim mente agitaret, si paulum modo res essent refectae, bellum renovare Romanosque armis persequi, donicum aut ut rte vicissent aut victi manus dedissent.* Neque in Danielino dubium est quin eadem scripta fuerint, in quo Gifanius suam se coniecturam *aut virtute* invenisse retulit**). Reliquorum codicum alii *aut ut certe*, alii *aut certe* exhibent. Apertum est finem illum quoad Hamilcar renovato bello cum

*) [*Idem in Parcensi et ed. Ultraiectina.*]

**) [*Danielini scripturam esse* aut virtute *confirmat Parcensis.*]

Romanis contendere voluerit ita comparatum fuisse ut neque omnium bellorum communis esset neque idem atque superioris belli: nam nisi ita fuisset, quid novo bello opus erat? Iam cum superiore bello Carthaginienses victi manus dedissent, omnium autem bellorum is exitus sit ut qui contendant aut vincant aut victi manus dent, adiectum esse aliquid a scriptore quo exitus huius belli quod animo agitabat Hamilcar accuratius definiretur idque in illis *ut rte* latere necesse est. Itaque probare non possumus quae Reinholdus Klotzius in Iahnii annall. XLVI p. 89 coniecit, aut *donicum aut ipsi vicissent* aut *donicum aut populum Romanum vicissent* scribendum esse; ex quibus in praefatione editionis suae prius tantum commemoravit, nos neutrum ne a litterarum quidem similitudine probabile iudicamus. Neque Handius, qui Tursell. II p. 18 *donec vi aut arte vicissent* scribendum coniecit (nam *donicum* ille a Nepote alienum putabat immemor quam multa is ex antiquiore sermone a Caesare et Cicerone spreta ascivisset), neque qui scripturam codicum quorundam *aut certe* tenuerunt aut aliorum *aut ut certe*
67 ita correxerunt ut *aut vi*[1] *certe* efficerent quid sententia requireret perspexerunt. Nemo enim nisi aut vi aut arte vincit; *certe* autem *vincere* Latine non dicitur, et superiore bello Romani et vi vicerant et certam victoriam reportarant. Aliorum commenta ita omni verisimilitudinis specie destituta sunt ut ne commemoranda quidem videantur. Unum enim inventum est quo nihil magis codicum vestigia premat, Gifanii *aut virtute*, idemque sententiae satisfacere edit. p. 148 demonstravi.

Eiusdem c. § 5 vehementer miror ab omnibus fere haec retineri: *Hoc consilio pacem conciliavit; in qua tanta fuit ferocia, cum Catulus negaret bellum compositurum, nisi ille cum suis qui Erycem tenuerunt armis relictis Sicilia decederent, ut succumbente patria ipse periturum se potius dixerit quam cum tanto flagitio domum rediret.* In quibus *in qua* ita explicant ut idem atque *in qua concilianda* esse dicant. Sed gerundivum omitti non posse apparet, quippe quo adiecto quod vocabulo significatur nondum esse indicetur et num futurum sit dubium relinquatur. Plane alienum est quod Bremius ascripsit ex Herod. I. 65 μετέστησε τὰ νόμιμα πάντα καὶ ἐφύλαξε ταῦτα μὴ παραβαίνειν: neque enim τὰ νόμιμα postquam a Lycurgo mutata erant minus νόμιμα erant. Cortius autem ad Sall. Cat. 12, 4 et 27, 4, ad quem

Heusingerus nos relegat, nihil affert quod ad rem de qua agitur pertineat. Recte in editione Ultraiectina scriptum est *in quo*.

Ham. 2, 3 perversam sententiam habent haec verba: *Quibus malis adeo sunt Poeni perterriti ut etiam auxilia a Romanis petierint eaque impetrarint*. Neque enim eo quod perterriti erant Poeni efficere poterant ut Romani auxilia mitterent. Nepos scripsit *impetrarunt*.

Hann. 5, 2 non toleravi quae in codicibus scripta sunt: *Quo repentino obiectu viso tantum terrorem iniecit exercitui Romanorum ut egredi extra vallum nemo sit ausus*. Nam nomine quod est *obiectus* antiquiores pedestris orationis scriptores omnino non sunt usi, ab omnibus autem ita positum est ut actio significaretur. Hic vero id quod obiiciebatur intellegendum esset. Deinde iure Bremius miratus est non eiusmodi participium hic esse positum quo quid ab Hannibale esset factum indicaretur. Haec omnia removentur lenissima mutatione quae in editione Ultraiectina abhibita est. Scribendum est enim *Quo repentino obiecto viso*; in quibus *viso* nomen esse, *obiecto* participium neminem fugere potest*).

Hann. 8, 1 haec in codice archetypo scripta fuerunt: *At Hannibal anno tertio postquam domo profugerat, L. Cornelio Q. Minucio consulibus, cum* v *navibus Africam accessit in finibus Cyrenaeorum,*[1] *si forte Carthaginienses ad bellum Antiochi spe fidu-* 68
ciaque, cui iam persuaserat ut cum exercitibus in Italiam proficisceretur. Quae cum vitiosa esse appareret, Rothius deleta particula *ut* deinceps *proficiscerentur* scribendum coniecit idque Klotzius probavit. Idem ego facere non dubitarem, si quod Klotzius existimavit in archetypo scriptum fuisset *proficiscerentur*, id quod in uno deteriore codice et editione Argentoratensi legitur. At non solum interpolatum aliquid statuere, sed etiam alterum ita corruptum ut tum demum si hoc corruptum fuerit causa interpolationis perspiciatur quid est aliud nisi dubia dubiis probare? Superest igitur ut excidisse quaedam iudicemus; quod idem ante aliquot saecula complures iudicasse indicio sunt quae in codice Urbinate in margine sunt ascripta, *excitare posset*, in codice collegii Romani aliisque post *fiduciaque* inserta, *inducere posset*, in Monacensi post *Antiochi* adiecta, *incitare pos-*

---

*) [*cf. Spic.* II. *5, 11.*]

set. Verum horum nihil probabiliter suppletum est, in Monacensi etiam quae coniungenda erant male separata sunt. Ego ut quid et a Nepote scribi et a librariis facili errore omitti potuisset demonstrarem, post *fiduciaque* adieci *possent induci*, ita ut haec ob eas litteras quae verbis *fiducia* et *ĩduci* communes sunt excidisse statuerem. Eadem ratione alium locum supplevi, sed ita ut quin id ipsum restituerim quod Nepos scripserit non dubitem. Att. enim 12, 3 haec in archetypo scripta fuisse codices nostri demonstrant: *Nam cum L. Saufeii, equitis Romani, aequalis sui, qui complures annos studio ductus philosophiae habitabat habebatque in Italia pretiosas possessiones, triumviri bona vendidissent consuetudine ea qua tum res gerebantur, Attici labore atque industria factum est ut eodem nuntio Saufeius fieret certior se patrimonium amisisse et recuperasse.* Ipsa verba *studio ductus philosophiae* docere poterant Athenis Saufeium habitasse, nisi id ex Ciceronis epistolis ad Att. VI. 9, 4. VII. 1, 1. XVI. 3, 2 constaret. Itaque recte in codice collegii Romani aliisque *Athenis* additum est, sed male ante *habitabat* positum, quo loco qua de causa exciderit non apparet. Collocandum erat post *habitabat*: ideo enim omissum est quia duae extremae litterae huius verbi et prima sequentis, *habebat*, eaedem erant atque tres primae *Athenarum.* Accedit quod haec verborum collocatio Nepotis consuetudini accommodatior est.

Hann. 8, 3 cum haec in codicibus legerentur: *Antiochus autem, si tam in agendo bello consiliis eius parere voluisset quam in suscipiendo instituerat, propius Tiberi quam Thermopylis de summa imperii dimicasset,* Lambinus eos qui gererent bellum id
69 agere[1] dici insolens sibi videri monuit et *in gerendo bello* scribendum esse suspicatus est. Quem reprehenderunt multi, neque tamen ullum antiquiorum pedestris orationis scriptorem praeter Sallustium hac ratione illa verba posuisse demonstrare potuerunt. Nam apud Caesarem de b. Gall. III. 28, 1 in interpolatis tantum codicibus scriptum est *longe alia ratione ac reliqui Galli bellum agere instituerunt*, in integris *bellum gerere coeperunt.* Sed certa haec videntur: Sall. Iug. 109, 2 *se missum a consule venisse quaesitum ab eo pacem an bellum agitaturus foret*, orat. Cottae § 11 *talem honorem bonus nemo volet, cum fortunae et maris et belli ab aliis acti ratio reddenda aut turpiter moriendum sit*, Grat. Cyn. 334 *nisi et accessus et agendi tempora belli no-*

verit, Ovid. art. am. I. 182 *bellaque non puero tractat agenda puer*, Trist. II. 230 *bellaque pro magno Caesare Caesar agit*, Curt. IV. 12, 29 *finge iustum intulisse te bellum, cum feminis ergo agere debueras?* Mel. I. 16, 1 *genus usque eo quondam armorum pugnaeque amans ut aliena etiam bella mercedibus agerent*, Lucan. IV. 2 *at procul extremis terrarum Caesar in oris Martem saevus agit non multa caede nocentem, maxima sed fati ducibus momenta daturum.* Non negabo tamen praeter Sallustium ab aliis quoque antiquioribus agere bellum eos dici potuisse qui bellum gererent; id nego ab ullo scriptore aut agere bellum eadem sententia qua gerere bellum aut agere et suscipere bellum contraria inter se poni potuisse. Nam cum quis agere bellum aut aliam rem dicitur, omnis motus et animi et corporis indicatur eius hominis qui in ea re est occupatus. Itaque non minus qui suscipit quam qui gerit bellum agit. Neque apud Sallustium Cotta belli ab aliis imperatoribus gesti rationem sibi reddendam queritur, sed in quo et movendo et gerendo aliorum hominum, et hostium et Romanorum, nullae suae partes fuissent. Tam late autem illorum verborum significatio patet ut Livius vel eum qui bella scriberet agere bella dicere potuerit x. 31, 10: *supersunt etiam nunc Samnitium bella, quae continua per quartum iam volumen agimus;* quod vernacule vertas *mit denen wir zu thun haben, uns beschäftigen.* Recte igitur apud Nepotem Lambinus *in gerendo bello* scribendum coniecit. Nam qui suscepit is proprie gerere dicitur, hoc est sustinere, nisi quod in gerendo simul motus significatio inest. Vitium inde ortum est quod omissa lineola qua syllaba *re* notatur *gendo* scriptum erat; id quod perverse correctum est.

Hann. 9, 3 consilium Hannibalis refertur quo is pecuniam quam secum portabat avaritiae Gortyniorum eripuerit. Ibi et in|
codicibus et in editionibus haec leguntur: *Amphoras complures* 70
complet plumbo, summas operit auro et argento. Has praesentibus principibus deponit in templo Dianae simulans se suas fortunas illorum fidei credere. His in errorem inductis statuas aeneas quas secum portabat omnes sua pecunia complet easque in propatulo domi abiicit. At inepte commemoratur omnes statuas quas habuerit Hannibalem pecunia complesse, quasi ille hoc egisset ne qua statua inanis relinqueretur. Apparet tot statuas esse completas quot pecuniam quam Hannibal secum portabat cape-

rent: utrum omnibus ad hanc rem opus fuerit necne plane ad rem de qua agitur non pertinet. Id vero agebatur ut pecunia omnis conservaretur. Itaque Nepos *omni* scripsit; unde repetita proxima littera *omnis* et deinceps *omnes* a librariis factum est. Quid ab auctore scriptum esset perspexit qui epitomas harum vitarum confecit a Rothio ex codice Patavino editas, qui p. 191, 21 apud Rothium haec posuit: *pecuniam vero omnem statuis aeneis quas secum habebat inclusam secum ad Prusiam detulit.*

Hann. 11, 6 recte Lambino vitiosa visa sunt haec verba: *Postquam autem naves completas conspexerunt serpentibus, nova re perterriti, cum quid potissimum vitarent non viderent, puppes averterunt seque ad sua castra nautica retulerunt.* Pergamenos enim qui cum Bithyniis proeliarentur proras ad hostes conversas, puppes aversas habuisse apparet. Non poterant igitur avertere quod aversum erat. His contradici non posse putes; et tamen Lambinus nemini praeter Buchnerum persuasit. Plerique codicum scripturam satis defensam iudicant a Gronovio observatt. IV. 26 p. 827 ed. Lips., qui *puppes avertere* idem esse contendit atque πρύμναν κρούεσθαι. Id quod fieri nullo modo potest. Notum est enim hoc Graecos illis verbis significare: navem ita remis promoveri ut puppis antecedat. Qua ratione cum quis ab hoste recedere vult, ei, si puppem ad hostem conversam habet, sane est avertenda; si aversam, qui fiet ut avertat? Non magis verba *puppes averterunt* defensa sunt a Bremio et Daehnio, quorum ille nihil his verbis indicari putavit nisi Pergamenos navibus abisse, Daehnius puppibus naves significari existimavit. Harum explicationum prior adeo est nugatoria ut refutari non debeat; pro navi autem puppis a nullo scriptore pedestris orationis paulo antiquiore posita est (de qua re dixit Quintil. VIII. 6, 20), ne a poeta quidem ita, puto, ut sententia periclitaretur. Assentiendum est igitur Lambino hactenus quod codicum scripturam vitiosam esse dixit: sed quae ei substituenda esse coniecit,
71 *proras averterunt*[1] aut *puppes adverterunt*, eorum prius omni probabilitate destituitur, alterum non ita esset a Nepote scriptum, sed *puppes ad hostes verterunt.* Melius Buchnerus *puppes converterunt* scribendum suspicatus est. Mihi tamen omnium maxime probabile visum est *puppes verterunt* a Nepote scriptum idque ut insolentius a librariis mutatum esse. Puppes eadem ratione qua terga verti dicuntur.

Cat. 2, 2 ne quis miretur me corruptam codicum scripturam *Qua ex re iratus senatu peracto privatus in urbe mansit* ita correxisse ut Bosium secutus post *senatu* adiicerem *consulatu*, cum idem demonstraverim Nepotem, si ita scripsisset, non recte de hac re tradidisse, exponendum est qua ratione adductus tamen id faciendum putarim. Nam quae ab aliis proposita sunt, ut aut pro *senatu* poneretur *consulatu*, quae Pighii coniectura fuit, aut pro *peracto* substitueretur *post consulatum*, ea neque ullam probabilitatem habent neque id quod reprehendi removent. Neque omnino quicquam mutatis iis verbis quae in codicibus leguntur videtur effici posse. Quod si haec quidem ipsa sana esse, sed excidisse aliquid statuimus, lenissima est Bosiana ratio; quaecumque autem excidisse statuimus, quo peracto Scipio privatus in urbe mansisse dici potuerit nihil praeter consulatum reperio. Eandem rationem secutus sum Thras. 4, 4. Quo loco cum in codicibus haec legerentur: *Hic sequenti tempore, cum praetor classem ad Siciliam appulisset neque satis diligenter in castris eius agerentur vigiliae, a barbaris ex oppido noctu eruptione facta in tabernaculo interfectus est*, incredibile autem esset ita errasse Nepotem qui a nullo auctore relatum invenire potuisset in Sicilia perisse Thrasybulum, quem omnes ad Aspendum interfectum esse tradunt, item ut superiores Longolii correctionem *ad Ciliciam* probavi; qua errori substituitur error ille quidem, sed talis in quem incidisse Nepotem verisimile sit.

Att. 2, 4 cum haec in codicibus scripta essent de Attici erga Athenienses officiis: *Nam praeter gratiam, quae iam in adolescentulo magna erat, saepe suis opibus inopiam eorum publicam levavit. Cum enim versuram facere publice necesse esset neque eius condicionem aequam haberent, semper se interposuit atque ita ut neque usuram umquam ab his acceperit neque longius quam dictum esset debere passus sit*, sequentia autem verba: *Quod utrumque erat his salutare. Nam neque indulgendo inveterascere eorum aes alienum patiebatur neque multiplicandis usuris crescere*, haec igitur cum Atticum accepisse usuras ab Atheniensibus demonstrarent, Gottschalchius in superioribus Nepotem non *neque usuram umquam*,[1] sed *neque usuram iniquam* scripsisse iu- 72
dicavit. Cui cum alii assensi essent alii effugia temptassent, Holtzmannus in Zimmermanni diurnis antiquariis anni 1836 p. 867 haec quidem abiicienda esse demonstravit, ipse autem

rectam rationem invenisse sibi visus est qua codicum scriptura defenderetur. Putavit enim Atticum ita se interposuisse ut ab iis hominibus a quibus Athenienses pecuniam aequa condicione mutuam sumere non potuissent ipse sumeret, et cum ei aequa condicione sumere liceret, eadem daret Atheniensibus; verbis autem *neque usuram umquam ab his acceperit* Atticum pro opera sua quam in comparanda pecunia collocasset mercedem non accepisse significari statuit. Iam quod Holtzmannus alia ratione nisi ea quam ipse demonstravit Atticum se interposuisse negavit, quia ita tantum verbum illud quod est *interponere* proprio significatu poneretur, verum non est. Nam qui alterum difficultate liberat is quocumque modo id facit interponere se recte dicitur, nimirum inter difficultatem et eum qui difficultate premitur. Non repugno tamen quo minus hoc modo quem Holtzmannus exposuit Atticus se interposuisse videatur, modo ne hoc uno, sed sua quoque pecunia credita, et cum illo modo subveniret, aliena tamquam sua. Ita enim statuendum esse et quae sequuntur et superiora *suis opibus inopiam eorum publicam levavit* ostendunt. Quae vero Holtzmannus verbis *ut neque usuram umquam ab his acceperit* significari opinatus est fieri non potest ut a Nepote significata sint. Nam ut omittam tam tenuem ac nullam potius laudem Attici, quod is sordidissimo quaestu abstinuisset, non credibile videri a scriptore esse commemoratam, neque *usura* ullo alio loco ita ponitur ut merces eius qui pecuniam compararit significetur neque hic eo significatu positam esse sequentia demonstrant. Nam verbis *Quod utrumque* nullae res indicari possunt nisi quae proximis superioribus inde ab his *ut neque usuram* declarata sunt. Itaque cum ex inferioribus priora *Nam neque indulgendo inveterascere eorum aes alienum patiebatur* ad illa *neque longius quam dictum esset debere passus sit* referri appareat, altera *neque multiplicandis usuris crescere* et ad haec *neque usuram umquam ab his acceperit* referri et verbis *usuram umquam* idem significari atque *multiplicandis usuris* necesse est. Quod cum servata codicum scriptura fieri non possit, probanda est lenissima Gottschalchii correctio *ut neque usuram iniquam ab his acceperit*.

Att. 3, 3, cum relatum esset Atticum Athenis ita esse versatum ut summum Atheniensium amorem consequeretur, haec
73 in[1] codicibus adiiciuntur: *Igitur primum illud munus fortunae*

quod in ea potissimum urbe natus est in qua domicilium orbis terrarum esset imperii, ut eandem et patriam haberet et domum; hoc specimen prudentiae quod, cum in eam se civitatem contulisset quae antiquitate humanitate doctrinaque praestaret omnes, unus ei fuerit carissimus. Hic leve vitium extremorum verborum recte ab Heusingero sublatum est, qui *unus ei fuit carissimus* scribendum monuit. Gravius superiora verba occupasse *ut eandem et patriam haberet et domum* exposui in Philologi Schneidewiniani vol. I p. 668. Negavi enim eo quod Atticus Romae esset natus effectum esse ut is in eadem urbe domicilium haberet, quod non casu nascendi, sed eligendi iudicio constituerentur. Quo nomine reprehensus sum a Fleckeisenio, qui eiusdem Philologi vol. IV p. 339 nota 29 Nepotem *domum* hoc loco non dixisse ubi habitaret Atticus, sed ubi natus esset contendit idemque discrimen significasse quod a Cicerone de legg. II. 2, 5 indicaretur his verbis: *ego omnibus municipibus duas esse censeo patrias, unam naturae, alteram civitatis* et paulo post *alteram loci patriam, alteram iuris.* Ego vero vehementer miror haec ipsa Ciceronis verba Fleckeisenium non edocuisse illa quae apud Nepotem leguntur non ita ut voluit explicari posse. Quid enim? cum patria et loci ubi natus est aliquis et civitatis significationem comprehendat, recte aliquis et patriam habere urbem et in eadem natus esse dicetur? Recte igitur eum loqui putabit Fleckeisenius qui se et corpus et caput habere dicat. Sed confugiet fortasse eo ut Romanos communi loquendi consuetudine eam tantum patriam dixisse contendat quae iuris esset idque ipso illo Ciceronis loco probari existimabit, quo cum Cicero villam prope Arpinum germanam suam et fratris patriam dixisset, Atticus paulo post *Sed illud tamen,* inquit, *quale est quod paulo ante dixisti, hunc locum germanam patriam esse vestram? numquid duas habetis patrias? an est una illa patria communis? nisi forte sapienti illi Catoni fuit patria non Roma, sed Tusculum.* Quod non est ita, neque umquam adeo Romani apertam vocabuli illius originem oblivisci potuerunt ut eo nascendi locum non significarent. Sed Atticus cum duas uni homini patrias esse non posse putaret (quod re vera fieri non potest cum accurate loquimur; potest patria inter duas urbes divisa esse), sed cum ita statueret Atticus, cum quis in alia urbe natus alius civis esset, quia iuris longe maior in vita hominum vis erat quam naturae eam tan-

tum cuius civis esset patriam recte dici existimabat. Itaque
74 cum hac artiore significatione *patria*[1] nulla re adiecta dici non possit nisi de certae condicionis hominibus et ne de his quidem nisi minus accurate, nequaquam vero neque de his neque de aliis ita ut alteri vocabulo opponatur quod alteram patriae partem significet, quia cum duo vocabula inter se opponuntur plena significatione utrumque accipiendum est, neque illa *ut eandem et patriam haberet et domum* aliter intellegi posse atque a me factum est et recte mihi corrupta visa esse existimo. Neque coniecturae me poenitet eodem Philologi loco quem supra indicavi propositae: *ut eandem propriam haberet domum:* quorum verborum haec est sententia, Attico, in quamcumque se civitatem commorandi causa conferret, et ius fuisse Romae habitandi et ut ibi habitaret convenisse. Particulae *et* quas delevi vel exitu superiorum verborum male repetito nasci vel cum *patriam* scriptum esset interpolari potuerunt: *pr̄ia* autem et *ꝑpria*, quo modo *patria* et *propria* in codicibus scribuntur, quam facile permutari potuerint apparet. Neque tamen ita certa esse puto quae conieci ut id ipsum quod Nepos scripserit me restituisse contendam, neque illa recepissem si editio mea doctis hominibus parata esset. Tractavit haec eadem verba Bergkius in Mus. Rhen. vol. vii p. 159. Qui quae disputavit me non satis intellexisse fateor: quod autem verba *ut eandem et patriam haberet et domum* post *fuit carissimus* collocanda censet, id fieri non posse video. Nam domus Attico Athenae per tempus aliquod fuerunt, patria numquam, quippe qui neque natus esset Athenis neque civis factus.

Extrema verba eius loci de quo modo disputavimus, *unus ei fuerit carissimus*, et vitiosa dixi et recte ita a Heusingero correcta ut *fuit* ponendum moneret. Neque enim minus his verbis quam superioribus *quod in ea potissimum urbe natus est* ipse scriptor quid factum sit, non quid ab aliis aut traditum aut existimatum refert; qua una ratione coniunctivus poni poterat. Quo magis miror eundem Heusingerum c. 16, 1 non animadvertisse vitiose haec in codicibus esse scripta: *Humanitatis vero nullum afferre maius testimonium possum quam quod adolescens idem seni Sullae fuerit iucundissimus, senex adolescenti M. Bruto, cum aequalibus autem suis Q. Hortensio et M. Cicerone sic vixerit ut iudicare difficile sit cui aetati fuerit aptissimus.*

Quorum verborum cum plane eadem causa esset, ne hic quidem *fuit iucundissimus* et *vixit* scribere dubitavi.

Att. 8, 1, ubi haec in codicibus leguntur: *Secutum est illud occiso Caesare, quo res publica penes Brutos videretur esse et Cassium*[1] *ac tota civitas se ad eos convertisse videretur,* leni correctione contentus fui adhibita iam in editione Veneta ut *quom res publica* scriberem, cum *quo* vitiosum esse praeter alia coniunctivi qui sequuntur demonstrarent. Recte dicitur *illud* et nominativo et accusativo casu non minus quam plurali numero *illa;* qui numerus hic positus non est quia non plures res quae actae sint, sed universa reipublicae condicio quae fuerit indicatur. Eandem editionis Venetae correctionem permulti secuti sunt, sed plerique ita ut verba perverse distinguerent. Nam partim post *illud* partim post verba *occiso Caesare* puncto posito sequentia adiunxerunt inferioribus verbis *sic M. Bruto usus est ut nullo ille adolescens aequali familiarius quam hoc sene neque solum eum principem consilii haberet, sed etiam in convictu.* Iam cum priorem rationem sequimur, eorum qui punctum post *illud* ponunt, hoc vocabulo significatur *id quod sequitur*, hoc est quod Attico accidit. At cum Nepos superiorem locum de ratione qua Atticus tempore belli Caesariani in re publica versatus esset et inferiorem quo modo bello Mutinensi se gessisset his verbis inceperit: *Incidit Caesarianum civile bellum* (c. 7) et *Secutum est bellum gestum apud Mutinam* (c. 9), huius quoque loci initio qui inter illos interiectus est simili modo de rei publicae tempore dixerit necesse est. Quo eodem argumento, ut hoc interponam, Nepotem non ea scripsisse demonstratur quae Rothio ponenda visa sunt: *Secutus est illud* (institutum ex superioribus intellegi voluit) *occiso Caesare quoque, cum respublica* cett. Hoc vitium evitant ii qui punctum post verba *occiso Caesare* ponunt, sed in aliud incidunt. Nam particula *cum*, quae adiunctis verbis *occiso Caesare* ad haec referri potest, his a sequentibus separatis nescio quam rationem inter Brutorum et Cassii potentiam et Attici cum M. Bruto familiaritatem intercessisse significatur, qualis neque intercessit ulla neque ut intercessisse existimaretur scriptoris consilio accommodatum erat.

Eiusdem c. § 5 frustra defenduntur haec verba: *Neque multo post superior esse coepit Antonius, ita ut Brutus et Cassius provinciarum quae his necis causa datae erant a consule despera-*

tis rebus in exilium proficiscerentur. Hic verbis *necis causa* significari interpretantur *ob necem ab iis Caesari illatam*, provincias autem eas dici quae Bruto et Cassio Macedonia et Syria ad Antonium et Dolabellam translatis essent datae; quarum provinciarum eam quae Bruto decreta est Cretam fuisse ex Cic. Phil. II. 38, 97 constat, de Cassii provincia nihil Cicero refert, reliqui dissentiunt: Appianus (III. 8. 12. 16. 36. IV. 57) Cyrenas,
76 Plutarchus (Brut.| 19) Africam, Cassius Dio (XLVII. 21) Bithyniam nominat. Atque horum Plutarchum quidem errare certum est, cum Cicero Phil. III. 10, 26 Africam in annum 43 C. Calvisio decretam esse referat; Cassium Dionem eo argumento quo Drumannus usus est hist. Rom. I p. 140, quod in Bithyniam Tillius Cimber profectus esset, erroris convincere non possumus: nam Tillius Cimber hanc provinciam anno 44 obtinuit, Cassio autem et Bruto qui hoc anno praetores essent in sequentem annum provinciae decernebantur: sed videtur tamen maiore fide dignus Appianus, qui omnium accuratissime has res persecutus est et cuius narrationem Plutarchi error videtur confirmare. Sed ut ad Nepotis locum revertamur, reliquis uti diximus explicatis ii qui codicum scripturam defendunt genitivum *provinciarum* aptum esse narrant ab inferioribus *desperatis rebus* et his significari putant Brutum et Cassium desperasse fore ut provincias decretas a senatu obtinere sibi liceret. Ex his omnibus plane nihil probari potest. Nam primum in vocabulo quod est *nex* nulla inest eius qui necem infert significatio sed eius tantum qui patitur. Deinde nullae omnino provinciae Cassio et Bruto ea de causa decretae sunt quia Caesarem interfecerant. Syriam enim et Macedoniam Caesar dederat; quas post mortem Caesaris retinuerunt non quod eum interfecerant, sed quia acta Caesaris confirmata sunt; Creta et Cyrenae datae sunt ut iniuria quam ademptis prioribus provinciis passi erant aliqua ex parte leniretur; eae vero provinciae quas hic a Nepote significatas esse docebimus decretae sunt ut honesta specie Roma abessent, ubi se tuto versari non putabant. Denique cur Brutus et Cassius Cretam et Cyrenas se obtinere posse desperarent nulla causa erat, neque res provinciarum desperare eos dici posse qui se provincias obtinere posse desperent apertum est. Itaque cum duplex mendum haec verba occupasse appareat, alterum a Cuiacio correctum existimavi qui *dicis causa* scribendum coniecit;

quod lenissima mutatione efficitur, si, ut fit in antiquis codicibus, *nicis* scriptum fuisse statuimus; alterum ita removi ut ante verba *desperatis rebus* excidisse nonnulla iudicarem, eamque lacunam verbis *destituta administratione* explendam videri dixi ut et sententia et origo mendi appareret. Provincias autem eas significari monui quas Cicero iis locis quos ascripsi a senatu decretas esse refert, Bruto ut ex Asia, Cassio ut ex Sicilia frumentum Romam deportandum curarent; neque Drumannum secutus sum qui hist. Rom. I p. 140 et 164 Bruto ex Creta, Cassio Cyrenis frumenti deportandi curam mandatam esse contendit, Ciceroni autem ea[1] quae ad Att. XV. 9 et 11 scriberet 77
falso relata esse et de Bruto ab ipso Cicerone Phil. II. 38, 97 veriora tradita iudicavit. Neque enim recte iudicasse Drumannum ostendit quod Cicero in eadem epistola 11 libri XV ad Atticum in qua Asiam et Siciliam nominat § 2 Serviliam pollicitam esse scribit se curaturam ut illa frumenti curatio de senatus consulto tolleretur (intellegimus autem eam aliam curationem substitui voluisse), quae repetit ep. 12, 1. At tolli de senatus consulto nihil poterat nisi facto senatus consulto; facto autem senatus consulto quid contineretur Ciceronem, Brutum, Cassium, Serviliam ignorasse incredibile est. Nam id omitto omnia quae ep. 11 narrantur et quod Cicero ep. 12, 2 scribit, Brutum sibi dixisse se statim in Asiam iturum eumque navigia collegisse, non videri fieri potuisse nisi quid decresset senatus compertum fuisset*). Sed in hunc errorem Drumannus alio errore inductus est, quod has provincias frumenti Romam deportandi confudit cum illis de quibus supra dixi, quae Bruto et Cassio adempta Syria et Macedonia in annum 43 decretae erant. Ita factum est ut Ciceronem Phil. II. 38, 97 alia de Bruti provincia tradere putaret atque in epistolis ad Atticum, cum illo loco provincia in annum 43 decreta significetur, in his curatio frumenti in annum 44 mandata.

Att. 11, 2 praemissis his: *Quibus ex malis ut se emersit, nihil aliud egit quam ut plurimis quibus rebus posset esset auxilio. Cum proscriptos praemiis imperatorum vulgus conquireret, nemo in Epirum venit cui res ulla defuerit, nemini non ibi perpetuo manendi potestas facta est,* haec in codicibus subiiciuntur: *quin*

---

*) (add. ep. ad Att. XVI. 4, 4.)

etiam post proelium Philippense interitumque C. Cassii et M. Bruti L. Iulium Mocillam praetorium et filium eius Aulumque Torquatum ceterosque pari fortuna perculsos instituerit tueri atque ex Epiro his omnia Samothraciam supportari iusserit. Quae cum corrupta esse appareret, duabus propositis emendandi rationibus Simeonis Bosii et Lambini, quorum ille *qui etiam* hic *instituit* et *iussit* scribendum putavit, plerique priorem secuti sunt; quod non videntur facturi fuisse nisi falso *qui* in codicibus legi existimassent aut si, ad quam rem nemo praeter Paulum Manutium et Tzschuckium attendit, quam dure pronomen relativum poneretur intellexissent. Tamen ego quoque Bosianam rationem praetuli. Nam duram illam orationis conformationem quam in editione reprehendi idem a Nepote non alienam esse demonstravi. *Quin etiam* autem maiorem vim habet quam quae ei rei de qua refertur accommodata sit. Neque enim hoc ab Attico factum
78 esse nescio quam admirabile[1] videri poterat, sed cum maius esset quam reliqua, illis generatim significatis praeterea hoc factum esse separatim commemorandum videbatur. Pro *Mocilla* autem non posui *Motacillam*, quod Glandorpius faciendum existimabat, quia illud nomen a movendo non minus recte quam *momentum* declinatum esse videbatur. Sed in iis quae verba de quibus diximus excipiunt miror a permultis retineri quod in codicibus scriptum est: *Difficile est omnia persequi et non necessaria,* cum iam Longolius *necessarium* scribendum esse dixisset. Quid enim? hoc difficile est non necessaria persequi? an haec sibi quisquam qui quidem satis sanus sit persequenda putat?

Aegre fero me nihil in editione annotasse de compositione verborum veteris poetae quae Nepos Att. 11, 6 posuit:

Sui cuique mores fingunt fortunam hominibus.

Significavit enim mihi vir primarius, Carolus Lachmannus, non recte sibi post *cuique* adiectum videri *hominibus*, idemque *sui quique mores* scribendum coniecit; de qua compositione dixit Madvigius ad Cic. de fin. p. 699 [*²689*]. Eadem de his verbis disputavit Fleckeisenius Philol. vol. IV p. 340. Mihi tamen *cuique* recte defensum videtur a Klotzio. Persaepe enim fit ut praemisso vocabulo quo multitudo aliqua significatur deinde per appositionem subiiciatur *quisque*. Nihil igitur impedit quo minus inversa ratione singulis significatis deinde quo ex genere illi sint adiiciatur. Itaque in ipsa compositione non est quod

vituperes; id reprehendi potest, cum pronomine *cuique* posito nemini dubium esse possit quin homines significentur, tamen id deinceps declarari. Verum hanc abundantiam equidem ferendam puto, cum veteres poetas Latinos paulo pinguiore orationis genere usos esse constet. Itaque apud Nonium quoque p. 526 Merc., quem locum commemoravit Fleckeisenius, ubi mutilatis verbis haec leguntur: *sui cuique mores fingunt*, recte Rothium adiecisse arbitror *fortunam hominibus*, neque Fleckeisenio assentior qui aut nihil nisi *fortunam* supplendum aut hoc quoque loco *quique* scribendum iudicavit.

Att. 14, 3, ubi haec in codicibus leguntur: *Nullos habuit hortos, nullam suburbanam aut maritimam sumptuosam villam neque in Italia praeter Arretinum et Nomentanum rusticum praedium*, Rothius *Reatinum* pro Arretino ponendum significavit idque Klotzio tam certum visum est ut, cum reliqua nomina pleraque ita ut in editione Billerbeckiana invenerat scripta reliquisset, hoc tamen reciperet. Itaque ab utroque petendum videtur ut causas exponant quibus adducti Attico non Arretinum, sed Reatinum praedium fuisse iudicarint. Nam mihi quamvis sedulo anquirenti ut inve|nirem quo hoc probaretur 70 non contigit. Quod autem in annotatione ad hunc locum editionis p. 183 errore factum esse dixi ut a Cicerone ad Att. vii. 11, 1 haec scripta existimaretur: *Unam mehercule tecum apricationem in illo Lucretino tuo sole malim quam omnia istiusmodi regna* et his significari putaretur Attico praedium prope Lucretilem montem fuisse, neque ita in optimis codicibus legi, sed *lucrativo* Mediceus demonstrat, neque a Lucretili adiectivum *Lucretinus* declinari potest; quamobrem Faernus *Lucretilino* scribendum iudicabat. Ego vero *lucrativum solem* probare non dubito. Nam etiamsi Ciceronem alio loco hoc adiectivum posuisse non constaret (quod mihi quidem constat qui apud Quintil. x. 7, 27 nihil aliud optimos codices significare putem quam quod in mediocribus est et editur: *Neque enim fere tam est ullus dies occupatus ut nihil lucrativae, ut Cicero Brutum facere tradit, operae ad scribendum aut legendum aut dicendum rapi aliquo momento temporis possit**)), sed etiamsi hoc uno Ciceronis loco adiectivum *lucrativus* inventum esset, tamen ob eam causam de

---

*) [*confirmat optimus cod. Bernensis.*]

codicum fide dubitandum non existimarem. Quem vero Cicero lucrativum solem dixerit hoc loco, id ignoramus nos quidem, scilicet ut alia multa in his ad Atticum epistolis; quem potuerit dicere non difficulter invenitur. Nam lucrativus sol et is dici potuit quem Atticus negotiis surripuisset et is quo ut frueretur aliquo loci impedimento amoto effecisset.

Att. 15, 1 haec in optimis codicibus scripta sunt: *Quidquid rogabatur, religiose promittebat, quod non liberalis sed levis arbitrabatur polliceri quod praestare non posset. Idem in nitendo quod semel annuisset tanta erat cura ut non mandatam sed suam rem videretur agere.* Recte dicitur *annuere* adiuncto accusativo pronominis neutri generis, ut Cic. de orat. II. 70, 285 dixit *id quoque toto capite annuit.* Item *niti* toleraremus eodem illius pronominis casu adiecto, quamquam eius rei nullum apud pedestris orationis scriptorem exemplum inveniri arbitror: diversa enim sunt quae Cicero scripsit de sen. 10, 33: *moderatio modo virium adsit et tantum quantum potest quisque nitatur*, ubi accusativo modus nitendi significatur. Verum id ferri non potest ut ablativus gerundivi ponatur intellecto *eo*, non magis quam niti aliquis rem recte dici potest. Gerundium autem in tali oratione positum, ut *in nitendo* intellecto accusativo *id* dictum videri posset, et a Nepotis et ab omnium bonorum scriptorum consuetudine abhorret. Non magis fieri potest quod interpretes plerique nos facere iubent, ut post verba *in nitendo* intellegamus *id perficere* aut *ut id perficeretur*, quorum prius ne poni quidem recte poterat infinitivo gerundio subiecto; alterum poni poterat, omitti nullo modo. Nam quae comparant ex Cic. Acad. prior. 21 extr. *nitamur igitur nihil posse percipi* ea eandem habent orationis brevitatem de qua ego dixi ad Att. 21, 5 editionis p. 188 et Madvigius ad Cic. de fin. p. 32 [^{2}33], quae non admittitur nisi accusativo cum infinitivo subiecto. Itaque quin verba *in nitendo quod semel annuisset* corrupta sint dubitari non potest; corrigere unus Rutgersius temptavit, cui *in tuendo* scribendum visum est. Verum multo leniore mutatione efficitur *in nitendo, quom semel annuisset.*

C. 16, 3 Beneckius servavit quod in optimis codicibus scriptum est: *quae qui legat non multum desiderat historiam contextam eorum temporum*, cum superiores recte *desideret* edidissent, quod legitur in codice collegii Romani. Inepte enim fieri aliquid di-

citur ea condicione adiecta ut id fiat quod non fit. Indicativus futuri recte poneretur. *Desiderat* librarius scripsit soni similitudine verbi *legat* in errorem inductus.

C. 17, 1 haec in codice archetypo scripta fuerunt: *De pietate autem Attici quid plura commemorem? cum hoc ipsum vere gloriantem audierim in funere matris suae, quam extulit annorum* XC, *cum* VII *et* LX *se numquam cum matre in gratiam redisse, numquam cum sorore fuisse in simultate, quam prope aequalem habebat.* Quae cum vitio laborare perspectum esset, in plerisque codicibus *esset* ante VII *et* LX, in Ottoboniano *haberet* post ea verba adiectum est, in aliis aut *cum* aut et hoc et sequentia VII *et* LX deleta sunt. Horum neque quicquam probabiliter fit, neque *cum esset* VII *et* LX, quod editores receperunt, sed *cum ipse esset* VII *et* LX, ut accurate oratio conformaretur, scribi debebat; qua in re etsi Nepotem neglegentius versatum esse constat, tamen coniectura per se improbabili talia ei obtrudi ratio non videtur. Equidem nihil hic excidisse iudico, sed *cum* particulam ortam esse ex litteris *ann*, quo compendio *annis* significatum erat.

C. 18, 1 recentiores plerique defendunt haec quae in codicibus leguntur: *Moris etiam maiorum summus imitator fuit antiquitatisque amator; quam adeo diligenter habuit cognitam ut eam totam in eo volumine exposuerit quo magistratus ornavit.* Hic verbis *magistratus ornavit* significari putant Atticum magistratus relatis eorum rebus gestis celebrasse. Sed primum *ornare*, quod est instruere, saepe significat speciosum aliquid reddere, celebrare non magis quam nostrum *zieren*, nisi *laudibus* vel simile quid adiiciatur. Deinde quis tandem sibi persuadebit Atticum libro in[1] quo omnem populi Romani antiquitatem exposuisset 81
magistratus potius quam universum populum Romanum sibi celebrare visum esse; in quo quidem, cum omnes res illustres populi Romani essent notatae, permulta relata fuisse apparet quae nihil facerent ad laudem magistratuum. Relinquitur ergo ut Atticum hoc libro magistratus instruxisse interpretemur quo illi in re publica administranda adiuvarentur. At hoc quoque ineptum est. Nihil enim praeter historiam hoc libro comprehensum erat, qua exposita non magistratus magis quam omnes qui aut in re publica versarentur aut antiquitatis studiosi essent adiuvabantur; nihil de iis rebus quae ad ipsam honorum ad-

ministrationem pertinerent. Huc accedit ut eius rei commemorationem desideremus quam nisi persecutus esset Atticus non poterat hic liber annalis appellari: nam non ea solum quae deinceps enumerat Nepos, sed ante omnia magistratus suo quosque tempore notatos fuisse certum est. Itaque recte Ioannes Gerardus Vossius *quo magistratus ordinavit* scribendum dixit. Quod Heusingerum minus recte hoc loco poni iudicasse miror. Scripsit enim eodem modo Livius II. 21, 4: *tanti errores implicant temporum aliter apud alios ordinatis magistratibus.* Iis quae ad § 2 huius capitis editionis p. 184 de *propaginibus* annotavi addi potest Varronem quoque de ling. Lat. VIII. 24 p. 109 Bip. translate hoc vocabulo usum esse: *De quibus utriusque generis declinationibus libros faciam bis ternos: priores tres de earum declinationum disciplina, posteriores ex eius disciplinae propaginibus.*

Att. 18, 3 optimos codices secutus haec restitui: *Fecit hoc idem separatim in aliis libris, ut M. Bruti rogatu Iuniam familiam a stirpe ad hanc aetatem ordine enumeraverit notans qui a quoque ortus quos honores quibusque temporibus cepisset, pari modo Marcelli Claudii de Marcellorum, Scipionis Cornelii et Fabii Maximi Fabiorum et Aemiliorum.* Ac de extremis quidem verbis dictum est in editione; in superioribus Boeclerus et recentiores plerique *enumeravit* scripserunt. Quod scire velim quibus argumentis demonstrari possit Nepoti declarare non licuisse quid inde quod Atticus aliis libris separatim de familiarum origine exposuisset effectum esset. Equidem facile evincam hoc longe aptius ab eo factum esse quam si eos Attici libros quos deinceps enumerat ita commemorasset ut se exempli causa commemorare significaret. Nam qui nonnulla exempli causa commemorat, eum nequaquam certum est omnia commemorare quibus pro exemplo uti possit. At qui Attici vitam in libro de histo-
82 ricis Latinis enarraret, eum[1] efficere oportebat ut qui hanc vitam legerent de omnibus Attici libris ad historiam pertinentibus sibi referri scirent.

Non facile quod quidem plane certum sit constituitur de iis quae Att. 19, 3 leguntur. Ibi haec in codice archetypo scripta fuerunt: *Namque hic* (Atticum dicit Nepos) *contentus ordine equestri quo erat ortus in affinitatem pervenit imperatoris divi filii, cum iam ante familiaritatem eius esset consecutus nulla*

alia re quam elegantia vitae qua ceteros ceperat principes civitatis dignitate pari, fortuna humiliores. Tanta enim prosperitas Caesarum eum est consecuta ut nihil ei non tribuerit fortuna quod cuiquam ante detulerit et conciliarit quod nemo adhuc civis Romanus quivit consequi. Nihil hic impedimur mirificis Heusingeri erroribus; qui primum *humiliore* scripsit, quod in nullo codice legitur, et Atticum dignitate pari, fortuna humiliore dici interpretatus est quam ceteros principes quos elegantia vitae cepisset. Itane vero? Pari dignitate fuit Atticus atque Sulla, Pompeius, divus Iulius? Deinde non satis apparere ait qui factum sit ut scriptor hic Octaviani prosperitatem celebrandam putaret. Nimirum ne appareret ipse effecerat ineptissime superioribus verbis immutatis. Denique postremis verbis improbitatem impietatemque Augusto exprobrari narrat qui patriam per vim oppressisset, neque ei fortunam tribuisse quae aliis ante detulisset, sed his longe maiora, honores regales ac prope divinos. Itaque haec omnia ad Atticum referenda putavit ita mutata codicum scriptura ut *Caesarum* vel et hoc et *eum* et infra *nemo adhuc* delerentur. Scilicet haec recte praedicarentur de homine equestrem dignitatem non egresso! At verbis *et conciliarit quod nemo adhuc civis Romanus quivit consequi* nullum crimen in Augustum coniicitur, cum nulla re significetur eum haec improbe esse consecutum; eadem autem quae Augusto quidni antea tribuisse dicatur fortuna, cum multi ante eum et reges fuerint et pro diis culti sint, ita ut Nepos auxisse potius quam minuisse videatur Augusti felicitatem, qui quidem cuiquam plura detulisse fortunam negarit. Et tamen Beneckius de illis quidem *dignitate pari, fortuna humiliores* errasse Heusingerum, rectissime vero eundem iudicasse de sequentibus affirmat. Verum haec omittamus; id quaeramus quid faciendum sit verbis quae corrupta esse apparet *Tanta enim prosperitas Caesarum eum est consecuta.* 83
Duas rationes esse video quae quidem probabiles sint quibus haec corrigi possint, ut aut *Caesarum* deleatur aut deleto *eum* scribatur *Caesarem.* Priorem si sequimur, explicandi causa ascriptum esse *Caesarem* et cum id in ipsa scriptoris verba irrepsisset, ut species aliqua sententiae nasceretur, *Caesarum* correctum esse statuendum est. Sed ita *eum* neglegenter ponitur, cum proxima superiora non de Caesare sed de Attico dicantur. Quam neglegentiam etsi a Nepote non alienam esse confitendum

est, de qua re dixi ad Paus. 3, 5 editionis p. 38, tamen, cum inter duas scripturas pari auctoritate commendatas optio datur, ratio postulat ut eam eligamus qua recepta rectius auctorem scripsisse iudicandum est. Quod si Nepotem *Tanta enim prosperitas Caesarem est consecuta* scripsisse putamus, neque ulla ex parte haec reprehendi possunt neque quomodo a librariis *Caesarum eum* poni potuerit difficilius explicatur. Aut enim, cum errore scriptum esset *Caesarum*, ab aliquo qui accusativum desiderabat *eum* interpolatum est, aut cum aliquis prosperitati genitivum adiungendum putasset et ut *Caesarum* scribendum esse significaret litteram *u* supra extremam syllabam posuisset, primum *Caesar eum*, deinde, ut aliqua esset orationis forma, *Caesarum eum* positum est. Itaque ut alii complures item ego hanc rationem praetuli, qua iam is usus est qui codicem *Δ* aut scripsit aut emendavit.

Att. 20, 1 nonnulli haec probarunt quae scripta fuerunt in codice archetypo: *Quamvis ante haec sponsalia non solum cum ab urbe abesset, numquam ad suorum quemquam litteras misit quin Attico mitteret quid ageret, in primis quid legeret quibusque in locis et quamdiu esset moraturus, sed etiam cum esset in urbe et propter infinitas suas occupationes minus saepe quam vellet Attico frueretur, nullus dies temere intercesserit quo non ad eum scriberet* cett. Hic Heusingerus *intercessit* probabat, quia particulae *quamvis* rectius coniunctivus adiungeretur; quo fiebat ut hoc recepto ne supra quidem *misit* sed *miserit* scribendum existimaret. Verum cum *quamvis* pro *quamquam* positum sit, coniunctivus ei particulae adiungi nequit. Aliam rationem inierunt Tzschuckius et Beneckius, qui coniunctivo *intercesserit* modeste affirmari interpretati sunt; et poterat hac ratione et hic coniunctivus recte a scriptore poni et supra indicativus, siquidem superiora non modeste affirmanda, sed pro certis narranda putaret. Sed si Nepos scripsisset *nullus dies temere intercesserit*, non poterat subiicere *quo non ad eum scriberet*, debebat *quo non ad eum scripserit*. Itaque recte Lambinus correxit *intercessit*, quod in Schotti codice scriptum fuit.

II. 81

Ex eodem codice unde omnes libri originem ducunt in quibus Cornelii Nepotis liber de excellentibus ducibus exterarum gentium et ex libro de historicis Latinis vitae Attici et Catonis leguntur duo fragmenta ad nos propagata sunt quae et verba esse ex epistola Corneliae Gracchorum matris et ex Cornelio Nepote excerpta in eo codice traditum fuit. Haec fragmenta quin genuina essent cum antiquiorum nemo praeter Schottum dubitasset, primus Heerenius opusc. hist. p. 91, deinde Langius in silvulis Portensibus, quae et in actis seminarii regii et societatis philologicae Lipsiensis a Beckio editis vol. I part. II p. 174 sqq. et in Langii opusculis leguntur, novissime Mercklinus in libro quem de Corneliae Gracchorum matris vita, moribus, epistolis scripsit, edito Dorpati anno MDCCCXLIV, argumenta protulerunt quibus illa non a Cornelia sed a falsario composita esse comprobaretur. Atque horum sententiam recentiorum alii secuti sunt, alii reiecerunt, alii utrum probarent an improbarent dubitarunt; qui argumenta ab illis prolata refelleret nemo inventus est. Itaque cum de excellentibus ducibus exterarum gentium, Catone, Attico fragmentisque a Iacobo Friderico Heusingero primum editis ita a superioribus disputatum sit ut, quamquam non omnia argumenta probem quibus haec a Cornelio Nepote scripta esse defensum est, tamen quid de summa quaestione iudicandum sit nemo dubitare posse neque, si qui dubitent, operae pretium facturus videatur qui retractata quaestione horum dubitationes tollere studeat, his omissis causae a superioribus desertae patrocinium suscipiendum visum est, ut duo illa epistolarum fragmenta et a Cornelia scripta et a Nepote relata existi-

mari debere demonstrarem. Quamquam unus ex adversariis nostris, Mercklinus, neque illam quaestionem quam nos satis pertractatam iudicavimus absolutam putavit et hanc de epistolis Corneliae ita cum illa coniunctam ut donec illa ad certum exitum perducta esset de hac iudicium suspendendum videretur. Quod cum ita ille existimaret, miramur sane eum de epistolis Corneliae scribere sustinuisse, priusquam quid de excellentibus ducibus exterarum gentium, Catone, Attico iudicandum esset teneret. Nos vero, etiamsi hos tres libros a Nepote non scriptos esse constaret, nihil tamen inde effici putaremus quominus epistolarum fragmenta et a Cornelia[1] scripta et a Nepote relata viderentur. Quid enim? si codicum testimonium in compluribus rebus falsum esse convincitur, inde tu efficias nihil his omnino esse credendum? Nova vero artis praecepta! At ea quae ratio comprobat in nulla re codicum auctoritati non credi iubent nisi in qua non posse credi fuerit evictum. Itaque id unum nobis dispiciendum est utrum ea quae codices a Cornelia scripta esse tradunt ab ea potuerint scribi an non potuerint. Si non potuisse ab illa scribi non fuerit demonstratum, codicum auctoritati credendum est; si fuerit demonstratum, tum ne id quidem codicibus credemus apud Nepotem haec fuisse posita. Nam si non essent a Cornelia scripta, ut tamen possent apud Nepotem posita fuisse, aut ab ipso Nepote historicorum more composita aut fraudulenter ab alio conficta ab illo pro genuinis relata videri deberent. Prius verum non esse ipsa fragmenta evincunt, quae oratione a Nepotis genere longe diversa et antiquioris temporis propria scripta sunt; de altero quid statuendum sit apparebit cum quae ab aliis scriptoribus de Corneliae epistolis tradantur exposuerimus.

Nepotis enim aetate genuinas Corneliae epistolas et superfuisse et lectas esse Cicero ostendit, qui Brut. 58, 211 haec scribit: *Legimus epistolas Corneliae matris Gracchorum: apparet filios non tam in gremio educatos quam in sermone matris.* Sed inferiore tempore qui eas legerit de nullo sane certo testimonio relatum est. Quintilianus enim cum I. 1, 6 haec scriberet: *Gracchorum eloquentiae multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cuius doctissimus sermo in posteros quoque est epistolis traditus*, Ciceronem auctorem videtur secutus, neque si ipse epistolas legisset, accepisse se diceret quod apparere ex episto-

lis poterat. Plutarchus vero se his non esse usum ipse docet
C. Gracch. c. 13 his verbis: Ἐνταῦθα καὶ τὴν μητέρα λέγουσιν
αὐτῷ συστασιάσαι μισθουμένην ἀπὸ τῆς ξένης κρύφα καὶ πέμπουσαν
εἰς Ῥώμην ἄνδρας ὡς δὴ θεριστάς· ταῦτα γὰρ ἐν τοῖς ἐπιστολίοις
αὐτῆς ᾐνιγμένα γεγράφθαι πρὸς τὸν υἱόν. Ἕτεροι δὲ καὶ πάνυ τῆς
Κορνηλίας δυσχεραινούσης ταῦτα πράττεσθαι λέγουσιν. Superest
Charisii locus p. 78 P. [*102 K.*], quo nunc quidem nihil de
Corneliae epistolis traditur, sed traditum olim fuisse Lindemannus
suspicatus est. Is est huiusmodi: *Heres, parens, homo, etsi in
communi sexu intellegantur, tamen masculino genere semper di-
cuntur. Nemo enim aut secundam heredem dicit aut bonam pa-
rentem aut malam hominem sed masculine, tametsi de femina sermo
habeatur. Nam Marcus ait Heredes ipsus secundus, et Pacuvius
in Medo, cum ostenderet a*[1] *Medo matrem quaeri, ait Te Sol in-* 86
*voco ut mihi potestatem duis inquirendi mei parentis. Sed Grac-
chus Suos parentes amat, cum dicit in significatione matris, et in
alia epistula Tuus parens sum ait, cum de se loqueretur. Et
apud Vergilium sic legimus Ecqua tamen puero est amissae cura
parentis?* Hic Lindemannus utrumque locum qui Graccho tri-
buatur ex epistolis matris Corneliae desumptum affirmat. Cuius
rei neque in ipsis verbis ulla significatio est, neque perspicio
quemadmodum ita emendari possint ut id quod Lindemannus
suspicatus est significent. Nam quin corrupta sint non dubito
neque Mercklino assentior, qui ita defendit ut priore loco Grac-
chum matrem nescio cuius significasse, altero se ipsum matris
parentem dixisse putet; scite autem haec exempla a Charisio
delecta existimat quibus eundem hominem et de mare et de
femina masculino genere usum esse demonstraret: neque Meye-
rus ad fragm. orat. p. 127 ed. pr. recte priorem locum eodem
modo atque Mercklinus interpretatus est, alterum a femina
scriptum putavit, quod fieri non potest nisi ante verba *et in
alia epistola* excidisse nonnulla statuimus. Sed plurali numero
non potest una mater significari, et inepte exemplis comproba-
tur parentem masculino genere poni cum de patre dicatur, de
qua re nemo dubitabat. Deinde particula *sed* ita demum recte
poneretur si id exemplum quod ex Graccho affertur alius gene-
ris esset atque superiora, hoc est si Gracchus parentem de mu-
liere feminino genere posuisset, neque aliter particula *et* tolerari
potest qua Vergilii exemplum adiungitur. Postremo ne illa quidem

cum dicit in significatione matris recta sunt: neque enim quid dixisset omitti poterat. Verum quomodo illa verba corrigenda sint eo difficilius definitur quod ipse Charisius minus recte haec tractasse videtur, si quidem, cum supra parentem umquam feminino genere poni negasset, in fine eius rei exemplum ex Vergilio attulit.

Sed testimonia a nobis proposita quamquam non refragantur quominus genuinae Corneliae epistolae mature intercidisse et cum intercidissent suppositiciae compositae esse videantur, haec tamen post Nepotis demum tempora fieri potuisse evincunt. Itaque si Nepos verba de quibus agimus Corneliae esse retulit, quin ea ex ipsius Corneliae epistolis petita fuerint dubitari non potest. Non abhorruisse autem ab historicorum Romanorum consuetudine ut ipsas aliorum hominum epistolas, non a se illorum nomine compositas referrent demonstrandum non existimarem, nisi minus recte a Mercklino (p. 30) de hac re disputatum viderem. Nullum ille huius rei exemplum protulit. Nam Len-
87 tuli litteras ad[1] Catilinam a Sallustio Cat. 44 non iisdem verbis esse relatas quibus a Lentulo erant scriptae Cic. Cat. iii. 5, 12 demonstrat, neque reliquae epistolae a Mercklino commemoratae, C. Fabricii et Q. Aemilii ad Pyrrhum ex Claudio Quadrigario apud Gell. iii. 8, Pompeii ad senatum et Mithridatis ad Arsacen ex Sallustii historiis, quibus addere poterat Catilinae ad Q. Catulum Cat. 35, Scipionis ad Micipsam Iug. 9, Adherbalis ad senatum Iug. 24 ab eodem Sallustio positas et Themistoclis ad Artaxerxen, Pausaniae ad Xerxen a Cornelio Nepote Them. 9, 2. Paus. 2, 3 ex Thucydide versas, ne hae quidem igitur quin ab historicis compositae sint dubium est. Neque ego me apud eos qui perpetuas historias composuerunt ullas litteras eorum verbis a quibus scriptae dicuntur relatas legere memini (nisi quod de iis quae apud rudem scriptorem b. Hisp. 19, 4 et 26, 4 inveniuntur nihil affirmo), ita ut qui in hoc genere artem sequerentur ab hac alienum existimasse videantur ut huiusmodi epistolas interponerent. At ex iis qui vitas scripserunt qui unus praeter Nepotem ex flore litterarum Latinarum aetatem tulit, Suetonius Tranquillus, et ex aliorum et ex permultis Augusti epistolis ipsorum verba posuit. Idem igitur Nepotem sibi licere existimasse non mirabimur.

Magis vero ad nostram quaestionem pertinet ut, si genuina

sint illa Corneliae fragmenta, quo loco a Nepote fuerint posita definiatur, cum quae in codicibus de hac re traduntur probari non possint. Nam in codice Danielino fragmentis illis hic index praemissus fuit: *Verba ex epistola Corneliae Gracchorum matris ex libro Cornelii Nepotis de Latinis historicis excerpta*, neque aliter interpretari licet quae in Guelpherbytano leguntur: *Verba ex epistola Corneliae Gracchorum matris ex eodem libro Cornelii Nepotis excerpta*, cum quae ante haec fragmenta legitur vita Catonis ex libro de historicis Latinis excerpta dicatur. Reliqui codices quorum aliqua auctoritas est, Ottobonianus, Faesulanus, Urbinas, Savaronis, collegii Romanii, et Corneliae haec fragmenta esse et ex Cornelio Nepote excerpta referunt, librum Nepotis unde desumpta sint non significant. Atque fuisse librum Cornelii Nepotis de Latinis historicis, unum ex corpore de viris illustribus, miror Mercklino (p. 37) non satis certo constare visum esse, quippe de quo non a vetere scriptore sed codicum tantum auctoritate traditum esset. Quid enim? quae apud veteres scriptores leguntur quorum testimonium desiderat Mercklinus qua tandem auctoritate praeter perpauca nisi codicum tradita sunt? Nos vero non aeris aut lapidis auctoritatem ex-
spectabimus, sed cum et in[1] indicibus Attici et Catonis et initio 88
fragmentorum ab Iacobo Friderico Heusingero inventorum hic liber commemoretur et Dion. 3, 2 alter de Graecis historicis cui illum subiectum fuisse necesse est et Gellius XI. 8 ex Nepotis opere de viris illustribus nonnulla referat quae alio loco nisi in alteroutro volumine de historicis posita fuisse non verisimile est, his testimoniis omnem dubitationem exclusam esse iudicabimus. Sed recte Bardilius vol. I p. CVI ed. Stutg. negavit in libro de historicis Latinis haec Corneliae fragmenta de quibus agimus a Nepote collocari potuisse. Nam mulieri Corneliae nullus omnino locus erat in opere de viris illustribus. Itaque fragmenta illa, si a Nepote sunt relata, in C. Gracchi vita posita fuisse necesse est, de quo Nepotem scripsisse Plutarchus Ti. Gracch. 21 testatur. Atque hunc quidem librum argumenti historici, commentarium quendam, ut arbitror, de Tiberio fratre et fortasse de se ipso, composuisse recte Mercklinus (p. 37) Plutarchi testimonio demonstrari monuit, qui Ti. Gracch. c. 8 haec refert: Ὁ δ' ἀδελφὸς αὐτοῦ Γάϊος ἔν τινι βιβλίῳ γέγραφεν εἰς Νομαντίαν πορευόμενον διὰ τῆς Τυρρηνίας τὸν Τιβέριον καὶ

τὴν ἐρημίαν τῆς χώρας ὁρῶντα καὶ τοὺς γεωργοῦντας ἢ νέμοντας οἰκέτας ἐπεισάκτους καὶ βαρβάρους τότε πρῶτον ἐπὶ νοῦν βαλέσθαι τὴν μυρίων κακῶν ἄρξασαν αὐτοῖς πολιτείαν. Et ad eundem librum refero quae apud Ciceronem de div. I. 18, 36 leguntur: *Ti. Gracchus — nonne, ut C. Gracchus, filius eius, scriptum reliquit, duobus anguibus domi comprehensis haruspices convocavit? qui cum respondissent, si marem emisisset, uxori brevi tempore esse moriendum, si feminam, ipsi, aequius censuit se maturam oppetere mortem quam P. Africani filiam adolescentem: feminam emisit; ipse paucis post diebus est mortuus* et eiusd. op. II. 29, 62: *C. Gracchus ad M. Pomponium scripsit duobus anguibus domi comprehensis haruspices a patre convocatos*, post quae interiectis nonnullis haec adduntur: *Nihil scribit respondisse haruspices, si neuter anguis emissus esset, quid esset futurum.* Haec Meyerus (fragm. orat. p. 249 ed alt.) in epistolis C. Gracchi posita fuisse iudicavit: epistolae autem Gracchi, incertum utrius, nusquam nisi illo Charisii loco commemorantur quem supra gravissimis dubitationibus obnoxium esse vidimus. At hanc rem Pomponio, familiarissimo C. Gracchi, cuius fugam tegens interfectus est, tam diu ignotam fuisse ut amico in epistola ad eum perscribenda videretur nequaquam verisimile est. Sed quamquam librum argumenti historici a C. Graccho scriptum esse constat, tamen incredibile est quod Mercklino videtur fieri potuisse, ut vita
89 eius a Nepote[1] in libro de historicis Latinis poneretur. Nemo enim umquam C. Gracchum in historicorum numero posuit, omnes, ut par erat, in oratorum. Itaque ne de Nepote quidem dubitari potest quin eius vitam in libro de oratoribus Romanis retulerit. Quod si quaerimus qui factum sit ut fragmenta Corneliae in codicibus non ex hoc, sed ex libro de historicis Latinis excerpta dicerentur, equidem existimo antiquitus ante illa aut unum aut plura excerpta ex libro de oratoribus Romanis posita et fragmentis Corneliae eundem indicem praefixum fuisse qui in Guelpherbytano codice legitur; qui index utrum in hoc codice ex archetypo servatus an brevitatis studio ei qui in Danielino est substitutus sit non definio. Atque si vera sunt quae editionis meae p. XVIII de ordine librorum de viris illustribus scripsi, excerpta ex oratoribus Romanis olim ante excerpta ex historicis Latinis posita fuerunt; et in codice archetypo ordinem excerptorum perturbatum fuisse demonstrat quod in omnibus

ere codicibus de quibus constat Atticus ante Catonem positus est. Sed cum reliqua excerpta ex oratoribus Romanis perissent, fragmenta Corneliae autem post Catonem collocata essent, idem liber Cornelii Nepotis ex quo haec desumpta dicebantur liber de historicis Latinis visus et hic aut in Danielino aut in archetypo pro illo positus est. Quod si in hac re codicibus fides neganda est, propterea de reliquis quae in indice supra relato leguntur dubitare non licere non est quod moneam. Haec utrum vera sint necne ea docebunt quae iam de ipsis fragmentis disputabimus. Quam disputationem priusquam aggrederemur ipsa verba de quibus agitur subiicere visum est. Nam post indicem de quo diximus haec in codicibus scripta sunt:

Dices pulchrum esse inimicos ulcisci. Id neque maius neque pulchrius cuiquam atque mihi esse videtur, sed si liceat re publica salva ea persequi. Sed quatinus id fieri non potest, multo tempore multisque partibus inimici nostri non peribunt atque uti nunc sunt erunt potius quam respublica profligetur atque pereat.

Eadem alio loco.

2 *Verbis conceptis deierare ausim praeterquam qui Tiberium Gracchum necarunt neminem inimicum tantum molestiae tantumque laboris quantum te ob has res mihi tradidisse; quem oportebat omnium eorum quos antehac habui liberos partis eorum tolerare atque curare ut quam minimum sollicitudinis in senecta haberem utique quaecumque ageres ea velles maxime mihi placere atque uti nefas haberes rerum maiorum adversum meam*[1] *sententiam quicquam facere, praesertim mihi cui parva pars vi-*
3 *tae superest. Ne id quidem tam breve spatium potest opitulari quin et mihi adversere et rem publicam profliges? Denique quae pausa erit? Ecquando desinet familia nostra insanire? ecquando modus ei rei haberi poterit? ecquando desinemus et habentes et praebentes molestiis insistere? ecquando perpudescet miscenda*
4 *atque perturbanda re publica? Sed si omnino id fieri non potest, ubi ego mortua ero petito tribunatum; per me facito quod lubebit cum ego non sentiam. Ubi mortua ero parentabis mihi et invocabis deum parentem. In eo tempore non pudet te eorum deum preces expetere quos vivos atque praesentes relictos atque*

*desertos habueris**). *Ne ille sirit Iuppiter te ea perseverare nec tibi tantam dementiam venire in animum! Et si perseveras, vereor ne in omnem vitam tantum laboris culpa tua recipias uti in nullo tempore tute tibi placere possis.*

In his uno loco codicis archetypi scripturam mutavimus, § 3, ubi *molestiis insistere* posuimus, cum in codicibus scriptum esset *molestiis desistere*. Hoc vero non desinendum sed incipiendum Corneliae videbatur. Proprius ad codicum scripturam accedit Rutgersii *desipere* aut quod alicui in mentem veniat *resistere;* sed neutrum sententiae accommodatum esse apparet. *Insistere* autem *molestiis* est *molestias persequi, non omittere;* eamque coniecturam ita tueor ut primam syllabam verbi *insistere* propter ultimam superioris vocabuli excidisse et perverse suppletam esse putem.

Iam ea quae §§ 1. 2. 4 leguntur demonstrant haec aut scripta esse aut scripta fingi ad C. Gracchum cum is primum tribunatum peteret, id quod factum est a. u. 630, a. Ch. 124. Quo magis miror Mercklinum (p. 43) epistolam ita comparatam dixisse ut ad alterum quoque tribunatum et fortasse melius referri posset, neque tamen id fieri posse, cum Plut. C. Gracch. 8 traderet alterum tribunatum C. Graccho non petenti a populo delatum esse; qua ambiguitate fidem epistolae labefactari neminem non videre. Quibus nihil equidem perversius me legere memini. Qui enim Mercklino ambiguum videri potuit ad quod tempus epistola esset referenda, cum quare ad alterum tribunatum referenda videretur nullam causam neque attulisset neque afferre posset, quare non posset referri ipse argumentum poneret? Quamquam mihi quidem non eo argumento quod Mercklinus attulit sed iis quae in ipsa epistola leguntur eam ante primum C. Gracchi tribunatum scriptam esse comprobatur. Nam et quae § 1 scripta sunt C. Gracchum inimicos ulcisci velle,
91 nondum ultum esse[1] quemquam ostendunt, neque quae § 4 leguntur post primum tribunatum scribi potuerunt nulla mentione illata filium iam antea fecisse quod ne faciat tantopere mater dissuadet.* Verum ut maxime ambiguum esset quo tempore epistola esset scripta, quam inepte Mercklinus ea re fidem epistolae labefactari dixit! Quot Ciceronis, Plinii, Frontonis epistolae

---

*) [*cf. Addenda. In ed. N. interrogandi signum post* habueris *posuit.*]

quo tempore scriptae sint dubium est! De his igitur omnibus num genuinae sint dubitabit Mercklinus? Non faciet profecto, et recte quidem, nisi forte iis qui epistolas scribunt non id solum agendum putat ut is ad quem mittuntur, sed omnes in quorum manus casu aliquo pervenire possunt quo tempore scriptae sint sciant.

Quod si certum est verba de quibus agimus non potuisse a Cornelia scribi nisi anno 630, iam primum occurrit Heerenii argumentum, qui verisimile esse negavit Corneliam eo tempore litteras ad filium misisse, quippe quae Romae una fuisset. At Corneliam eo tempore Romae affuisse non solum demonstrari non posse, sed longe verisimilius videri eam non affuisse iam Mercklinus (pp. 13 et 38) monuit allatis iis quae Orosius scripsit v. 12: *Caput Gracchi excisum consuli allatum est, corpus ad Corneliam matrem Misenum oppidum devectum est. Haec autem Cornelia, Africani maioris filia, Misenum post prioris filii mortem secesserat.* Neque his refragari quae apud Ciceronem de orat. III. 56, 214 legantur recte idem Mercklinus statuit. Ibi Cicero Crassum haec loquentem facit: *Quid fuit in Graccho, quem tu melius, Catule, meministi, quod me puero tantopere ferretur? Quo me miser conferam? quo vertam? in Capitoliumne? at fratris sanguine redundat. An domum? matremne ut miseram lamentantem videam et abiectam? Quae sic ab illo acta esse constabat oculis, voce, gestu, inimici ut lacrimas tenere non possent.* Recte haec a C. Graccho dici potuisse negant nisi mater Romae affuisset: sed de tempore quo dicta sint nihil constat. Itaque sive Mercklinum sequimur, qui admodum probabiliter ipsis verbis demonstrari dixit haec statim post Tiberii Gracchi caedem recenti matris dolore esse dicta, cum illa nondum Misenum discessisset, sive alio tempore dicta existimamus quo mater incertum qua de causa Romam venerit, nequaquam inde effici potest Corneliam per totum annum 630 Romae commoratam esse neque per litteras filium a petitione tribunatus dehortari potuisse.

Sed ipse Mercklinus huic Heerenii argumento, quod recte refutavit, aliud eiusdem generis substituit, quod si verum esset, statim tota causa quam suscepimus esset abiicienda. Iactavit enim (p. 46), si genuina essent fragmenta, non dubium esse 92
quin ea quae ab aliis de rebus Gracchorum traderentur insigniter essent auctura; sed ita esse comparata ut ad ea concin-

nanda Plutarchi vitae Gracchorum sufficerent. Haec recte disputata essent, si integrum volumen epistolarum quae Corneliae esse dicerentur ad nos pervenisset. At paucis his verbis nihil magni momenti de illis temporibus nos doceri is tantum mirari potest qui ignorat quot sint inter Ciceronis epistolas ex quibus nihil quod ad historiam pertineat cognoscamus. Quamquam neque Plutarchus neque quisquam eorum scriptorum qui supersunt narrat Corneliam consilia filiorum improbasse; quod mihi quidem satis cognitione dignum videtur.

At hoc ipsum verum esse Heerenius et Langius negaverunt. Quorum ille ex Plut. C. Gracch. 4 apparere dixit matrem C. Gracchi conatus non ita improbasse ut faceret is qui epistolarum fragmenta scripsisset, sed id unum egisse ut vehementem impetum filii leniret, ipsam vero populi gratiam retinuisse; Langius adiecit eundem Plutarchum C. Gracch. 13 docere Corneliam a Gaii consiliis aut non fuisse alienam aut non omnibus esse visam. Haec recte iam Mercklinus p. 38 sq. reiecit. Nam cum duo scriptores supersint qui et res Gracchorum uberius persecuti sint et, si ab his fragmentis de quibus agimus discesseris, soli aliqua ex parte significent quid de illis rebus Cornelia senserit, Plutarchus et Appianus, cum neuter horum ea fide sit atque auctoritate ut, si quae apud alios tradantur ab eorum narratione discrepantia, falsa existimari debeant, eo argumento quod ab illis scriptoribus de iisdem rebus alia atque in his fragmentis referantur haec commenticia esse omnino comprobari non potest. Sed mihi de hac re ita statuendum videtur: Corneliam causam quidem quam filii suscepissent et ipsam optimam et optima mente ab illis susceptam iudicasse, in qua sententia et matrem fuisse consentaneum est et hodie omnes fere esse arbitror; consilia autem filiorum quod illam causam et suscepissent et agerent adeo improbasse ut vehementius commotae insanire filii viderentur (fr. § 3), quippe quibus consiliis et rem publicam misceri atque perturbari et ipsos filios ad perniciem trahi intellegeret. Huic sententiae non refragantur quae a Plutarcho et Appiano relata sunt nisi quae per se ipsa omni veritatis specie sunt destituta. Et Appianus quidem b. civ. I. 20 ubi de morte P. Scipionis Aemiliani refert haec scribit: νεκρὸς ἄνευ τραύματος εὑρέθη εἴτε Κορνηλίας αὐτῷ, τῆς Γράκχου μητρός,
93 ἐπιθεμένης, ἵνα μὴ ὁ νόμος ὁ Γράκχου λυθείη, καὶ συλ|λαβούσης ἐς

τοῦτο Σεμπρωνίας τῆς θυγατρός — εἴτε cett. Quo loco nemo eorum usus est qui fragmenta impugnarunt. Quod si consilio fecerunt, laudo. Pessimo enim auctore de Cornelia usum esse apparet qui foedissimi facinoris crimen vel dubitanter in eam coniicere potuerit quam reliqui omnes scriptores summis laudibus virtutis prosecuti sunt. Quamquam id quidem quod Corneliam Ti. Gracchi legem tolli noluisse tradit, si meliore auctore eum tradidisse constaret, neque per se ipsum reiiciendum esset neque a nostra sententia abhorreret, cum quae illam legem ferri noluisset, ne res publica perturbaretur, eandem re publica iterum perturbata tolli et filii sanguinem nequiquam esse profusum noluisse veri non sit dissimile. Ex Plutarcho autem miror adversarios nostros non protulisse quae ille C. Gracch. 19 scribit: ἡ Κορνηλία λέγεται τά τ' ἄλλα τῆς συμφορᾶς εὐγενῶς καὶ μεγαλοψύχως ἐνεγκεῖν καὶ περὶ τῶν ἱερῶν ἐν οἷς ἀνῃρέθησαν εἰπεῖν ὡς ἀξίους οἱ νεκροὶ τάφους ἔχουσιν. Sed haec recte Corneliam dicere potuisse apparet cum in ea sententia esset in qua nos eam fuisse iudicavimus. Idem Plutarchus de Tiberii conatibus quid mater sensisset nihil retulit, nisi forte Ti. Gracch. 8 referri aliquid putamus ubi nonnullos Corneliam accusasse narrat in causa fuisse cur Tiberius ea quae in tribunatu gessit aggrederetur πολλάκις τοὺς υἱοὺς ὀνειδίζουσαν ὅτι Ῥωμαῖοι Σκηπίωνος αὐτὴν ἔτι πενθεράν, οὔπω δὲ μητέρα Γράκχων προσαγορεύουσιν, quibus illa verbis ut generosam feminam decuit claros filios se habere velle, quibus rebus inclarescerent nihil significavit. De Gaii autem inceptis quid Cornelia iudicasset duobus locis significavit Plutarchus quibus Heerenius et Langius usi sunt. Quorum priore, C. Gracch. 4, cum narrasset in primo tribunatu Gaium duas leges promulgasse, quarum altera sanciebatur ne cui honores capere liceret cui populus magistratum ademisset, qua perlata M. Octavius a petitione honorum esset remotus, de hac lege haec adiecit: τὸν δ' ἕτερον νόμον Γάϊος αὐτὸς ἐπανείλετο φήσας τῇ μητρὶ Κορνηλίᾳ δεηθείσῃ χαρίζεσθαι τὸν Ὀκτάουϊον. Καὶ ὁ δῆμος ἠγάσθη καὶ συνεχώρησεν τιμῶν τὴν Κορνηλίαν οὐδὲν ἧττον ἀπὸ τῶν παίδων ἢ τοῦ πατρός, ἧς γε καὶ χαλκῆν εἰκόνα στήσας ὕστερον ἐπέγραψε Κορνηλίαν μητέρα Γράκχων. Quo loco mire Heerenius demonstrari putavit non ipsos Gaii conatus, sed vehementem eius impetum a matre esse improbatum. Qui enim inde quod Plutarchus legem illam Corneliae displicuisse refert

effici potest reliquarum rerum quae filius agebat quicquam matri placuisse? Nisi forte quae Plutarchus facta esse non tradit ea non facta esse statuendum est. Neque eo quod Corneliam
94 apud populum grati|osam fuisse Plutarchus refert demonstratur eam filiorum consilia non improbasse. Gratiosam fuisse Plutarchus dicit per patrem et filios, quorum consiliis eam adversari sive sciebat populus sive nesciebat, causa non erat quo minus eam gratam haberet quam neque odio populi ita sentire neque ob eam rem minus caram esse filiis intellegeret. Altero loco, C. Gracch. 13, Plutarchus postquam retulit Gaium se comparasse, ut Opimio consuli resisteret, haec scribit: Ἐνταῦθα καὶ τὴν μητέρα λέγουσιν αὐτῷ συστασιάσαι μισθουμένην ἀπὸ τῆς ξένης κρύφα καὶ πέμπουσαν εἰς Ῥώμην ἄνδρας ὡς δὴ θεριστάς· ταῦτα γὰρ ἐν τοῖς ἐπιστολίοις αὐτῆς ἠνιγμένα γεγράφθαι πρὸς τὸν υἱόν. Ἕτεροι δὲ καὶ πάνυ τῆς Κορνηλίας δυσχεραινούσης ταῦτα πράττεσθαι λέγουσιν. Hic ut concedamus eos qui Gaium adiutum esse a Cornelia tradebant epistolis Corneliae usos esse, id quod nequaquam certum est, qui demonstrabitur recte eos illa quae ἠνιγμένα erant scripta interpretatos esse? In tam dubia re quis neget iis potius fidem esse habendam qui invitissima Cornelia ea quae Gaius tum agebat acta esse affirmabant? Sed nos ut faciles simus causae quam suscepimus bonitas facit. Non repugnabimus quominus recte illi retulerint qui se epistolas Corneliae sequi contendebant. Quid tum? num inde Corneliam Gaii consilia probasse efficitur? Minime id quidem. Poterat enim illa omnia quae Gaius et egerat et agebat improbare et tamen materno amore victa in iis rebus adiuvare filium sine quibus eum non posse salvum esse iudicaret. Id vero recte fecisse Langium quod antiquos scriptores dissensisse statuit utrum Cornelia filiorum consilia improbasse an probasse existimanda esset non solum non negamus, sed ad hunc dissensum tollendum Nepotem fragmenta illa de quibus agimus ex Corneliae epistolis retulisse iudicamus.

Apertius autem iis quae in fragmentis scripta essent Langio repugnare visa sunt quae Plutarchus C. Gracch. 19 de Cornelia tradit qualis post interitum filiorum fuerit: θαυμασιωτάτη τῶν παίδων ἀπενθὴς καὶ ἀδάκρυτος μνημονεύουσα καὶ πάθη καὶ πράξεις αὐτῶν ὥσπερ ἀρχαίων τινῶν ἐξηγουμένη τοῖς πυνθανομένοις: quibus similia refert Seneca cons. ad Helv. 16 et ad Marc. 16. Illo

vero Plutarchi loco proposito Langius haec subiecit: 'Iam quales', inquit, 'nobis Corneliae mores secundum haec fragmenta informemus, si ex ea audiamus nihil esse neque maius neque pulchrius cuiquam quam inimicos ulcisci, si quae tam magnifice et ambitiose de re publica sentit filium increpat quod conatibus suis perturbet sibi reliquam vitae partem in tranquillitate degendam,[1] si eidem permittit quodcumque libuerit vel adversus 95
rem publicam facere modo se mortua et nihil sentiente. Scilicet hae sunt voces sanctissimae matronae quae et adversos casus filiorum et facinora ut antiquorum hominum percontantibus enarrarit.' Obscurius haec disputata sunt quam ab eo exspectares qui in fragmentis quae aperte illis Plutarchi verbis repugnarent invenisse sibi visus esset. Sed videtur Langius existimasse ea quae fragm. § 2 et 4 legerentur et aliena esse ab eo animo quo Corneliam post mortem filiorum fuisse Plutarchus referret et iis repugnare quae § 1 de ultione inimicorum legerentur, haec omnia autem abhorrere a moribus generosae feminae, qualis quin Cornelia fuerit non est dubium. De his igitur singillatim dispiciemus. Ac primum quidem Corneliam morte Tiberii gravissimum dolorem accepisse et summa sollicitudine Gaii conatus qui unus ex filiis supererat prosecutam esse omnes, ni fallor, existimaremus, etiamsi non ipsum Gaium illo loco quem supra (p. 91 [*103*]) attulimus *matrem miseram lamentantem et abiectam* commemorasse accepissemus. Neque haec iis repugnant quae a Plutarcho et Seneca de magno Corneliae animo referuntur quo interitum filiorum tulerit, nisi forte eum magnum animum putamus qui brutorum est, ut nihil sentiant. Hunc dolorem atque hanc sollicitudinem cum ita vinceret ne alieni sentirent, num quid generosissima femina indignum fecit si filium non celavit? At indignum est generosa femina postulare a filio ne quid faciat unde sollicitudo aliqua ad eam pervenire possit. Audio. Sed ubi id in his fragmentis factum est? Id a filio postulatur ut curet ut quam minimum sollicitudinis mater in senectute habeat, hoc est, si quis minus Latine sciat, quam minimum possit. Haec cum Cornelia ad filium scriberet, non verebatur ne ille se omnem sollicitudinem deprecari existimaret, sed ita suos mores filio perspectos esse confidebat ut eam sollicitudinem quae ex recte factis filii ad matrem perventura esset eam se non posse non habere iudicaturam et aequo animo toleraturam sciret. Non

minore calumnia Langius ea reprehendit quae § 4 leguntur. Neque enim Cornelia filio permittit ut cum mortua sit rem publicam perturbet, sed ita permittit si omnino fieri non possit ut conatibus desistat. Quam condicionem cum adiicit satis significat se ne tum quidem illud fieri velle, sed necessitati cedit ut id saltem impetret ne ipsa illud fieri videat. Nihil igitur horum aut ab Corneliae moribus abhorret aut iis repugnat quae § 1 scripsit, nemini neque maius neque pulchrius videri inimicos ulcisci quam sibi, sed si hoc re publica salva facere liceat; quo
96 loco Langius[1] perverse illa *cuiquam atque mihi* cum verbo *esse* coniunxit, quae cum *videtur* coniungenda esse apparet. Hanc autem sententiam de ultione inimicorum Romanis hominibus probatam fuisse recte iam Mercklinus monuit. Ne credamus anui Terentianae apud meretriculam servienti, quae Hec. I. 1, 15 mirabunda quaerit *Iniurium autem est ulcisci adversarios?* ne Valerius Maximus quidem satis idoneus auctor existimetur, cuius haec verba ascripsit Mercklinus ex IX. 10 in.: *Ultionis quemadmodum acres ita iusti aculei sunt qui lacessiti concitantur acceptum dolorem pensare cupientes:* Cicero de off. III. 19, 76 docet *eum virum bonum esse qui prosit quibus possit, noceat nemini nisi lacessitus iniuria* et p. Mur. 21, 44 *Quid ergo?* inquit, *acceptam iniuriam persequi non placet? Immo vehementer placet* et ad Q. fr. III. 6, 4 scribit *Angor inimicos a me partim non oppugnatos partim etiam esse defensos, meum non modo animum, sed ne odium quidem esse liberum,* unde vel ignominiosum fuisse intellegimus inimicos non ulcisci. Sed cum ita sentirent Romani, summi tamen in re publica viri non minus quam Cornelia rei publicae inimicitias condonandas putaverunt. Itaque idem Cicero de prov. cons. 18, 44 *Ego vero,* inquit, *si mihi non licet per aliquos ita gloriari me dolorem atque inimicitias meas rei publicae concessisse, quod magni cuiusdam hominis et persapientis videtur, utar hoc, quod non tam ad laudem adipiscendam quam ad vitandam vituperationem valet, hominem me esse gratum,* et Pompeius ap. Caes. b. civ. I. 8, 3 monet: *Caesarem pro sua dignitate debere et studium et iracundiam suam rei publicae dimittere neque adeo graviter irasci inimicis ut, cum illis nocere se speret, rei publicae noceat* atque id ipsum a se et factum esse et fieri Caesar c. 9 respondet. Confecta res esset, nisi Mercklinus, cum in nostram sententiam disputasset, conclusiunculam

aliquam adiecisset qua haec nequiquam disputata esse efficeretur. Recte negavit ille Appiano fidem habendam esse qui unus b. civ. I. 20 suspicionem iacit caedem P. Africani minoris a Cornelia esse perpetratam. Sed quid hoc ad rem? 'Mores Corneliae', inquit p. 41, 'si caedis suspicione vacant, ne ulciscendi quidem cupiditatem ferunt.' O acutum hominem! Non colligam hoc loco nullas tantas iniurias Scipionem Corneliae aut eius filiis intulisse ut morte dignus videri posset, non disputabo affinitatem vel iustam ultionem cohibere debuisse; eundem Ciceronem audiamus cui inimicos non ulcisci ignominiosum visum esse demonstravimus p. Lig. 4, 11 haec dicentem: *Hoc egit civis Romanus ante te nemo; externi isti mores usque ad sanguinem incitari odio, aut levium Grae|corum aut immanium barbarorum.* 97
Atque his verbis ille Tuberonem increpat cum is iudicio Ligarium oppugnaret, tu nobis non concedes Corneliae ultionem inimicorum expetendam esse visam nisi eam inter sicarios damnandam fuisse demonstremus?

At confessum se falsarium tenere Langius opinatus est deprehensis quae ille manifesta fraudis indicia incautus effudisset. 'Vehementer enim', inquit, 'personatae suae Corneliae oblitus est, cum eam scribentem faceret *qui Tiberium Gracchum necarunt* (§ 2). Vera enim mater filio scribens fratrem, opinor, Tiberium tantum nominasset. Et cuius notae ista sunt (§ 3): *ecquando desinet familia nostra insanire?* Quaenam familia? num Tiberius familia est?' Horum alterum recte Mercklinus (p. 43) refutavit*). Apertum est enim Gaium quoque matri insanire visum esse, cum tribunatum peteret, quod quin eo consilio faceret ut fratris incepta persequeretur non poterat dubitari. Prius vero idem Mercklinus (p. 42) tanto verius Langium reprehendisse iudicavit quod C. Gracchus (ap. Charis. p. 214 P., ap. Meyer. p. 228) dixisset *Pessimi Tiberium fratrem meum optimum interfecerunt* et (ap. Schol. Bob. p. 365 Or., ap. Meyer. p. 234) *cum fratrem propter vos amisissem nec quisquam de P. Africani et Ti. Gracchi familia nisi ego et puer restaremus.* Itane vero? si C. Gracchus fratrem nomine non appellavit, inde efficitur aut ab ipso fratrem aut a Cornelia filium ita appellari non

*) (cf. Tac. ann. XII 2 *Narcissus vetus matrimonium, familiam communem (nam Antonia ex Paetina erat)* etc. cum adnot. Nipperdeii.)

potuisse? At potuisse ipsa C. Gracchi verba a Mercklino allata demonstrant. Neque enim video quid intersit utrum filius patrem an mater filium nomine appellet*). Atque quod magis mirum videatur Mercklino, se ipsi homines nomine appellant, non solum cum secum tamquam cum alio colloquuntur aut alium de se dicere fingunt, sed etiam cum neutrum horum significare volunt. Notum est illud Aemilii Scauri: *Q. Varius Sucronensis ait Aemilium Scaurum rem publicam populi Romani prodidisse; Aemilius Scaurus negat*, et Cicero Phil. II. 28, 70 Antonium crebro de se usurpasse dicit *et consul et Antonius*. Ego vero non putaveram quemquam ignorare eo consilio homines et se ipsos et proxima affinitate coniunctos eodem modo appellare quo ab alienis appellentur ut qualis ille de quo dicunt ab omnibus existimetur significent. Docebunt hoc Mercklinum quae Cicero illo loco Antonium irridens adiicit. *Hoc est*, inquit, *dicere et consul et impudicissimus, et consul et homo nequissimus*. Gravissime igitur Cornelia non Tiberium, hoc est filium, sed Tiberium Gracchum, hoc est praestantissimum filium, ab inimicis necatum scripsit.[1]

98 Supersunt argumenta ab adversariis ex oratione petita. De quibus priusquam dicamus paucis respondendum est Godofredo Bernhardio, qui hist. litt. Rom. p. 88 not. 152 haec posuit: 'Der unbekannte verfasser', inquit, 'von zwei vorgeblichen briefen der Cornelia die dem Cornelius Nepos beigegeben werden muss sich von ihrer sprache eine wunderliche vorstellung gemacht haben, worauf schon die betrachtung von Cic. de orat. III. 12 nicht führen konnte.' Eo Ciceronis loco haec loquitur M. Crassus: *Equidem cum audio socrum meam Laeliam (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant, quod multorum sermonis expertes ea tenent semper quae prima didicerunt), sed eam sic audio ut Plautum mihi aut Naevium videar audire*. Videtur igitur Bernhardius nimis recentem horum fragmentorum colorem existimasse. Id recte iudicatum esse concedo si iis comparentur quae ex Naevio supersunt, quamquam reputandum est orationem antiquiorum scriptorum qui interierunt sine dubio

*) (Tac. ann. III 16 *vosque oro, liberis meis consulatis, ex quibus Cn. Piso qualicumque fortunae meae non est adiunctus, cum omne hoc tempus in urbe egerit, M. Piso repetere Syriam dehortatus est*. Suet. Tib. 23.)

multo longius a consuetudine inferioris temporis nobis discessisse videri quam re vera discesserit, quia quae servata sunt praeter perpauca a grammaticis sunt relata qui id egerunt ut insolentissima quaeque excerperent. At non, si Laelia Ciceroni Naeviano sermone uti videbatur, ut idem de Cornelia existimemus cogimur, idque eo minus quod coniuge mature defuncto domum eius a multis viris et Graecis doctissimis frequentatam esse constat (Plut. C. Gracch. 19), quo argumento recte iam Mercklinus contra Bernhardium usus est. Apud Plautum autem et magis etiam apud Terentium, ad cuius comparationem rectius vocamur, qui quaeret non paucis locis plura verba coniuncta inveniet quam quae ex Corneliae epistolis servata sunt non maiorem antiquitatis speciem praeferentia. Neque tamen equidem personarum Plautinarum et Terentianarum plane eundem sermonem atque Corneliae fuisse existimaverim. Sed tota haec de oratione disputatio, ut in quaestione nostra diiudicanda momentum faciat, certa et firma argumenta desiderat; quae neque prolata sunt ab iis qui fragmenta Corneliae impugnarunt neque posse proferri existimo.

Primum nonnulla neglegentius scripta visa sunt. Scilicet Corneliae aetate in ullo orationis genere aut ullo tempore in epistolis scribendis nisi quas eo consilio scriberent ut ederentur ita versati sunt homines ut nobis quam limatissima et politissima omnia viderentur. Et tamen quae in hoc genere reprehensa sunt! Quaerit Langius quaenam sint istae res quae § 2 vage commemorentur. Non poterat Gaio dubium videri quin Tiberii fratris[1] et ipsius consilia dicerentur, de quibus non tum primum matrem cum eo egisse apparet, et quis affirmabit ante haec verba in eadem epistola accuratius de his rebus non fuisse dictum? Vidit hoc Mercklinus (p. 41), sed tamen huiusmodi neglegentiam saepius recurrere existimat et ascribit verba *ea persequi* (§ 1), *ei rei* (§ 3), *ea perseverare* (§ 4); quorum locorum primo *ea* apertum est referri ad verba *inimicos ulcisci*, de qua re infra dicetur, altero verbis *ei rei* significari proxima superiora et tertio pronomine *ea* omnia quae in epistola dissuaserat Cornelia, id vero homo doctus est docendus? Eidem Mercklino intra paucos versus eadem aut similia se excipere videntur. Ad quam rem comprobandam cum haec poneret: *res publica profligetur atque pereat* (§ 1) et *rem publicam profliges*

(§ 3), *perpudescet* (§ 3) et *pudet* (§ 4), *mihi placere* (§ 2) et *tibi placere* (§ 4), *in senecta haberem* et *cui parva pars vitae superest* (§ 2) et *ne id quidem tam breve spatium* (§ 3), parum cavit ne risum hominum moveret; at indignationem non effugiet qui tam alienus ab orationis vi perspicienda ad hanc quaestionem accesserit ut § 4 verba *ubi mortua ero* et *perseverare* neglegenter repetita existimaret. Sed haec simplicitatis totidem et antiquitatis documenta videri et festinanter scribenti et modo scripta parum recordanti tribui posse opinatur. 'Talia profecto', inquit, 'in utramque partem trahi possunt, sed tamen studio magis et consilio quam casui deberi videntur.' Ita puto, falsarius Ciceronis aetate inferior id egisset ut neglegenter scriberet.

Notum est temporibus proximis superioribus certissimum telum quo genuini veterum scriptorum libri impugnarentur illud esse visum ut prolatis quibusdam verbis haec declamatoria esse affirmaretur. Itaque in his quoque Corneliae fragmentis Heerenio apertissime declamatorem prodere visa sunt haec verba § 4: *Ne ille sirit Iuppiter te ea perseverare nec tibi tantam dementiam venire in animum! Et si perseveras, vereor ne in omnem vitam tantum laboris culpa tua recipias uti in nullo tempore tute tibi placere possis.* Quid inest igitur in his verbis fucatum, a vero abhorrens, ultra modum exaggeratum? Talia enim profecto declamatoris propria existimanda sunt, cum in vitio id nomen ponitur. Nihil huiusmodi neque ab Heerenio neque ab aliis demonstratum est. Sed vehementiorem accusatorem nacta sunt verba § 2: *Verbis conceptis deierare ausim praeterquam qui Tiberium Gracchum necarunt neminem inimicum tantum molestiae tantumque laboris quantum te ob has res mihi tradidisse.* 'Quis quaeso',[1] inquit Langius, 'in tali re exspectet conceptorum verborum solemnitatem, quis iurisiurandi religionem? Ridicula profecto mater cui ad indignationem suam filio comprobandam iureiurando opus est.' Levis profecto res filium dolorem matri non minorem quam inimicos intulisse! Nihil materno animo magis convenit quam ut hoc filium adeo inscientem fecisse existimet ut ne matri quidem affirmanti crediturus sit. Recte igitur iusiurandum adiicit, ut quae incredibilia filio visum iri putat persuadeat. Et tamen si praeter necessitatem iureiurando usa esset Cornelia, parata excusatio esset. Quam graviter enim commoto animo haec a matre scripta esse consentaneum est quae prae-

stantissimo filio crudelissime interfecto alterum non minus praestantem unumque ex filiis superstitem ad certissimam pestem rapi videret!

Verum his Heerenii et Langii argumentis non multum tribuit Mercklinus. Summo vero iure ab eodem Langio reprehensam putat intolerabilem battologiam horum verborum § 3: *Denique quae pausa erit? Ecquando desinet familia nostra insanire? ecquando modus ei rei haberi poterit? ecquando desinemus et habentes et praebentes molestiis insistere?* Hic Mercklinus defensorem aliquem dicturum putat talia Corneliae iam senescenti condonanda esse. Rectius cavisset ne ipsi excusatione opus esset. Pro Cornelia enim respondebit A. Gellius XIII. 24, 11. Is cum locum quendam Ciceronis posuisset quo eadem res pluribus verbis declararetur, haec adicit: *Quia cum dignitate orationis*, inquit, *et cum gravi verborum copia dicuntur*, *quamquam eadem fere sint et ex una sententia cooriantur, plura tamen esse existimantur, quoniam et aures et animum saepius feriunt. Hoc ornatus genus in crimine uno vocibus multis atque saevis exstruendo ille iam tunc M. Cato antiquissimus in orationibus suis celebravit, sicut in illa quae inscripta est De decem hominibus, cum Thermum accusavit quod decem liberos homines eodem tempore interfecisset, hisce verbis eandem omnibus rem significantibus usus est, quae quoniam sunt eloquentiae Latinae tunc primum exorientis lumina quaedam sublustria, libitum est ea mihi* ἀπομνημονεύειν: *Tuum nefarium facinus peiore operire postulas: succidias humanas facis, tantam trucidationem facis, decem funera facis, decem capita libera interficis, decem hominibus vitam eripis indicta causa, iniudicatis, incondemnatis.* Hunc Catonis locum, quo nihil Corneliae verbis supra positis similius esse potest, Langio et Mercklino quod ignoraverunt vitio non verto; id miror adeo eos humanae consuetudinis ignaros fuisse ut nescirent omnes homines, cum animo vehementer commoto de | aliqua re dicerent, eandem 101
rem aliis verbis identidem repetere atque inculcare solere. Sed obfuit iis et hic et in aliis rebus quod qui affectus Corneliae haec scribenti conveniret non satis perspexerunt.

Denique in singulis verbis perpauca reprehensa sunt. Neque reputarunt adversarii nihil se agere cum quae apud alios scriptores non legerentur colligerent. Quis enim scriptor non solus quaedam posuit? aut quis mirabitur in his fragmentis in-

veniri quae aliorum scriptorum exemplis comprobare non possimus, cum scriptorum Corneliae aequalium tam exiguae reliquiae sint? Id demonstrandum erat in his fragmentis legi quae non potuissent scribi aut ab Romano homine aut ab aequali Corneliae. Insolitum et singulare Mercklino visum est quod § 3 legitur, *perpudescet*. At satis multa verba et a simili stirpe eodem modo derivata et semel posita legimus, ut duo illi simillima, *pertaedescit* a Cat. de re rust. 156: *nolito multum dare, ne pertaedescat*, et *perdolescit* ab Accio ap. Non. p. 110 Merc.: *nec perdolescit fligi socios, morte campos contegi*. Quaerit Langius quis Latine dixerit, ut hic factum est § 2, *molestiam* aut *laborem alicui tradere*, idemque Mercklino inauditum et male Latinum videtur, excusat tamen tamquam ex Graeco μεταδιδόναι πόνων (Eur. Or. 275) traductum. Non accipimus excusationem: nam Graecum illud Latine est *impertire labores* (Cic. p. Sull. 3, 9). Sed *tradi* dicuntur quae ita dantur ut ad aliquem perveniant*). Quidni igitur molestia aut labor tradi recte dicatur, cum et dari et accipi similia saepissime dicantur? Notissimum est illud

Malum dabunt Metelli Naevio poetae,

atque hoc *malum dare* multis locis posuerunt Plautus et Terentius (Curc. iv. 4, 15. Cas. iii. 6, 9. Bacch. v. 2, 53. Merc. iii. 4, 58. Poen. i. 1, 33. iv. 2, 106. v. 2, 138. Pers. v. 2, 66. Rud. i. 2, 20. iii. 5, 14. Stich. i. 3 [ii. 1], 106. Truc. ii. 1, 17. Eun. iii. 3, 2. Andr. i. 1, 116. ii. 5, 20. Phorm. v. 7, 83), itemque *damnum dare* Cist. i. 1, 108. Truc. ii. 1, 17. Andr. i. 1, 116; *supplicium* Mil. ii. 6, 31. Eun. i. 1, 24; *dolorem* Cic. ad. Att. vii. 13a, 1. Et cum diceretur *operam dare alicui*, Ter. Phorm. ii. 3, 37 de hominibus qui invicem sibi operam dabant dixit *tradunt operas mutuas*, et Plautus pro eo quod pervagatum est, *effectum aliquid dare*, Curc. iii. 15 *ego hoc effectum lepide tibi tradam*. Denique Mercklinus *partes tolerare* ita positum ut significetur in locum alicuius succedere aegre reperiri putat. Sane eo significatu ne poterat quidem poni. Verum hic
102 § 2 *partes tolerare* est partes[1] sustinere. Quod qui minus recte dictum videri possit, cum proprie onera tolerari dicantur, uni autem Gaio a matre omnium liberorum quos habuerit partes imponantur, equidem non perspicio.

---

*) [*vid. Addenda.*]

Nullum argumentum quamvis leviter ab adversariis positum praetermisimus: satis superque demonstratum esse arbitror omnia futilia esse et nugatoria. Et tamen refutanda erant, ut tandem aliquando pervagatus de Corneliae fragmentis error tolleretur, quem non alii solum docti homines sibi obtrudi passi sunt, sed etiam Nitzschius, qui si, ut debuit, accurate hanc causam examinasset, in libro de Gracchis p. 455 extr. non ea posuisset quae ne inconsiderate scripsisse videatur non poterit defendere. Quod si post saecula aliquot nostris litteris eadem calamitas quae Graecis et Latinis acciderit et qui tum erunt homines Langium et Mercklinum doctos viros fuisse et acutos acceperint neque ad eos ex horum libris quicquam praeter ea quae de Corneliae fragmentis scripserunt pervenerit, cum haec neque docta esse neque acuta perspexerint, nihil puto quod ipsis auctoribus mirabile videri possit facient si suppositicia esse iudicabunt. Iidemque cum Langium clamoribus pro argumentis usum, Mercklinum (p. 45) et mortiferos Langii ictus commemorasse et illa conclusiuncula quam p. 96 [*109*] reprehendimus confisum quae in fragmentis legerentur a Corneliae moribus aliena iudicasse videbunt, non sine causa declamatores se convictos tenere existimabunt. Quae cum acciderint, si fieri possit quod non potest, ut Langius et Mercklinus reviviscant et sua esse affirment quae suppositicia visa sint, tum si illi qui ita iudicaverint ipsis quidem affirmantibus credant, sed qui illa scripserint neque doctos sibi videri neque acutos dicant, quid habebunt quod respondeant? Neque enim haec iniquius iudicata esse quam ipsi de Corneliae fragmentis iudicaverint demonstrare poterunt. At nos aequiore iudicio posteros usuros speramus, et cum reputaverint doctis et acutis accidere posse ut et indocte nonnulla et non acute scribant, neque quae a Mercklino et Langio scripta sunt a declamatoribus conficta existimaturos neque dubitaturos, ut ne nos quidem dubitamus, quin docti illi viri fuerint et acuti.

His quae hactenus disputavimus etsi officio nos satisfecisse iudicamus, cum, si fragmenta de quibus agitur non potuisse a Cornelia scribi non fuerit demonstratum, codicum testimonio qui Corneliae esse tradunt fides haberi debeat, tamen ut hanc quaestionem quantum fieri a nobis potest absolvamus, et quae ab|
adversariis non reprehensa alios offendere possint explicabimus 103
et quibus nostrum iudicium confirmari videatur colligemus.

Primum igitur in his verbis § 1: *Sed quatinus id fieri non potest, multo tempore multisque partibus inimici nostri non peribunt atque uti nunc sunt erunt potius quam res publica profligetur atque pereat* ablativi *multo tempore multisque partibus* referuntur ad comparativum *potius* et significant quanto potius id quod fore dicitur futurum sit quam id cui comparatur. Verba autem *multis partibus* hic eo modo posita sunt de quo dixit Madvigius ad Cic. de fin. p. 328 [²*324*] et ad homines relata significant *magno numero*, ut apud Cic. ad. fam. I. 2, 2 *perspiciebant enim in Hortensii sententiam multis partibus plures ituros* et Cael. ad Cic. fam. VIII. 9, 3 *turpe tibi erit Patiscum Curioni decem pantheras misisse, te non multis partibus plures.* Ac ne quis miretur adverbium *potius* adiungi verbo *erunt*, hoc non pro copula ponitur sed significat *existieren.* Denique futura *peribunt* et *erunt* coniunctam habent significationem et eius rei quae futura sit et quam Cornelia fieri velit, ut apud Plaut. Amph. prol. 13: *Haec ut me vultis approbare, annitier, lucrum ut perenne vobis semper suppetat, ita huic facietis fabulae silentium itaque aequi et iusti hic eritis omnes arbitri.* Atque de his verbis nihil interpretes annotarunt, nisi quod Petavio pro *multis partibus* male *multis aetatibus* scribendum visum est; minus recte explicarunt quae § 3 leguntur: *ecquando perpudescet miscenda atque perturbanda re publica?* Nam quod contulerunt ex Tac. Agr. 32 *pudet dictu*, non est simile, cum supinum quod alterum vocant non ablativus, sed dativus sit substantivi verbalis; atque hoc supinum Tacitus ad adiectivum retulit quod coniunctum cum copula inest in verbo *pudet*, quasi paulum immutata sententia scripsisset *pudendum est.* Ablativus autem non potest ita poni ut aptus sit a verbo *pudet* et similibus, neque eo significatur cuius rei pudeat; sed verbo absolute posito ablativus qua re pudor excitetur demonstrat. Atque ita praeter Corneliam Plautus scripsit Bacch. III. 1, 12: *neque mei neque tui intus puditum est factis quae facis.* Paulo post § 4 in his verbis: *Ubi mortua ero, parentabis mihi et invocabis deum parentem*, cum Salmasius scribendum dixisset *deos Manes parentis*, recte Heusingerus *deum parentem* idem significare dixit*). De divino Manium cultu qui doceri cupient, inspiciant libros a Mercklino commemoratos, Hartungi

*) [*cf. Addenda.*]

Rel. d. Röm. I p. 44, Hertzbergii de dis Rom. patriis p. 5,
Schoemanni de dis Man. Lar. Gen. p. 11. At verba *deum pa-
rentem* non ita explico ut Corneliam *parentem* masculino genere
de[1] se posuisse putem, de qua re prudentius certe quam Cha- 104
risius eo loco quem supra p. 85 [97] tractavimus dixit Paulus
Diaconus p. 151 ap. Muell.: *Masculino genere parentem appellabant
antiqui etiam matrem;* sed *deum* omnino pro numine divino dic-
tum existimo nulla sexus significatione qui a dis Manibus alie-
nus videtur. Neque aliter explicari debent haec Ciceronis Verr.
IV. 49, 107 de Cerere et Proserpina: *quod horum in his locis
vestigia ac prope incunabula reperiuntur deorum* et Catuli ap.
Cic. de nat. deor. I. 28, 79 de Aurora: *Mortalis visust pulchrior
esse deo* et Vergilii Aen. II. 632 de Venere *ducente deo* et Calvi
pollentemque deum Venerem, quae Servius et Macrobius (Sat. III. 8)
commemorant. Proxima verba *eorum deum preces expetere* inter-
pretes recte defenderunt exemplis Plauti Rud. I. 5, 1 *Qui sunt
qui a patrona preces mea expetessunt* et Catulli 68, 65 *iam prece
Pollucis, iam Castoris implorata,* quam Italorum correctionem
(nam in bonis codicibus est *implorate*) praefero Lachmanni con-
iecturae *imploratu.* Videntur in his minus accurate preces et
benignitas deorum quae precibus expetitur confusae esse.

Atque ut iis satisfaciamus si qui verborum Corneliae recentiorem colorem esse existimant, enumerabimus ea quae antiquioris sermonis propria Ciceronis aetate nisi a poetis et antiquariis non sunt posita. Sunt autem praeter illud *deum preces expetere,* de quo diximus, haece: § 1 *atque* post comparativum, *quatinus* pro *quoniam* positum, § 2 *deierare, senecta,* § 3 *pausa.* Atque horum vocabulorum usum quae demonstrent idonea exempla Handii Turs. I. p. 472 et Forcellinii lexicon praebebit. Ex eodem genere est haec verborum coniunctio § 2: *omnium eorum quos antehac habui liberos,* substantivo ex enuntiatione primaria in relativam traiecto, qua usi sunt Plaut. Curc. III. 63 *ut ei detur quam istic emi virginem,* Cas. V. 4, 6 *quid fecisti scipione aut quod habuisti pallium,* Merc. II. 1, 6 *ei ne noceret quam domi ante habui capram* et Ter. Andr. prol. 3 *populo ut placerent quas fecisset fabulas.*

Verum haec ut demonstrant non recte antiquitatis colorem in his fragmentis desiderari, ita facile a falsario ad fraudem tegendam poni poterant. Plus tribuo universae orationis confor-

mationi, quae minime anxie structa permulta habet liberioris motus impressa vestigia qui et antiquae simplicitatis et eius securitatis quae familiaribus epistolis convenit proprius est neque ita videtur effingi potuisse ab eo qui verbis intentus ne quid fraudem proderet sollicito animo circumspiceret. Ita § 1 qui anxie ad[1] verba orationem exegisset non scripsisset *ea persequi* sed *id*, cum unum commemoratum esset ad quod haec referrentur, *inimicos ulcisci*, et de hoc initio huius enuntiati pronomen *id* positum esset. Sed Cornelia quae res non verba sequeretur pluralem posuit, cum ea quae inimicos ulciscenti agenda essent animo obversarentur. Item sequentia, de quibus supra diximus, impeditius et securius sunt scripta. Eodem pertinet pronomen *eorum* paucis interpositis repetitum in his verbis § 2: *quem oportebat omnium eorum quos antehac habui liberos partis eorum tolerare,* quibus similia sunt haec Ter. Hec. prol. 2, 6: *In his quas primum Caecili didici novas partim sum earum exactus, partim vix steti;* qui locus demonstrat nihil opus esse Rothii correctione *omnium meorum.* Denique in his eiusd. § verbis: *uti nefas haberes rerum maiorum adversum meam sententiam quicquam facere, praesertim mihi cui parva pars vitae superest*, hic igitur nihil est in enuntiato primario a quo dativus *mihi* aptus esse possit, sed liberius pronomen sententiam verborum *adversum meam sententiam* repetit et attractione quadam enuntiato relativo coniungitur, cuius rei exemplum est apud Plautum Aul. III. 6, 37: *Ego te hodie reddam madidum sed vino probe, tibi cui decretum est bibere aquam.* ⟨cf. Trin. 137 *ille qui mandavit, exturbasti ex aedibus?* 985 *quia illum quem ementitu's, is ego sum ipsus Charmides.*⟩

Sed his rebus utrum alii codicum testimonium quo haec fragmenta Corneliae Gracchorum matri tribuuntur confirmari iudicent necne nihil ad nos. Nobis satis est demonstrasse nihil in his inesse quod a Cornelia alienum videri possit. Quod si qui tamen dubitare velint num haec fragmenta genuina sint, ii aut se ineptos esse confiteantur aut firma argumenta proferant quibus haec non potuisse a Cornelia scribi evincatur.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Cum hunc libellum amplissimo ordini philosophorum universitatis Lipsiensis ad veniam legendi adipiscendam obtulissem de eoque auctoritate eiusdem ordinis disputatum esset, huius disputationis fructum cum omnibus communicandum putavi. Coniecturas quas commemoravi partim ipse probo partim aliis probari aut veri inveniendi viam monstrare posse existimo. Erant praeterea quae ipse corrigenda animadvertissem.

P. 12 v. 22 [*15 v. 27*]. Alc. 6, 3 Westermannus et *taeniis* probat, non a Rinckio, ut dixi, sed a Mureto var. lectt. xv. 7 inventum, et pro *aureis* scribendum censet *laureis*. Addit Hauptius aeneas coronas apud veteres Graecos et Romanos nullas fuisse.

P. 13 v. 3 ab im. [*17 v. 12*] Cim. 4, 2 Hauptius ipsum *forte fortuna* restituendum putat.

P. 37 v. 31 [*43 v. 29*]. Alc. 11 in. Hauptio pro *consuerunt* ponendum videtur *conspirant*.

P. 43 v. 21 [*50 v. 14*]. Chabr. 1, 3 Westermannus coniicit *athletae ceterique artifices suis statibus in statuis ponendis iuberent uti, cum;* Hauptius *athletae ceterique artifices in* [*stantibus*] *statuis ponendis uterentur eodem statu quo vict.* Me hic ne lusisse quidem satis scite intellego.

P. 49 v. 8 [*56 v. 23*]. Ep. 3, 4 Hauptius pro*fide* mavult scribere *isdem*.

P. 53 v. 8 ab im. [*61 v. 27*] Pel. 2, 5. Male et in editione verba *quo studuerant* superioribus *tempore ipso* adiungenda dixi et hic eos reprehendi qui sequenti *pervenissent* adiunxerunt. *Tempore* enim est *iusto tempore*.

P. 65 v. 12 [*74 v. 18*]. De regg. 1, 3 Hauptius coniicit *Macrochirque et Mnemon* non ignorans illas particulas nullo alio Nepotis loco ita poni.

P. 90 v. 10 [*101 v. 2 ab im.*] Hauptius aut *pudebit* aut quod in codice Patavino legitur, *pudeat*, scribendum et v. 12 post *habueris* interrogandi signum ponendum censet.

P. 101 v. 19 [*114 v. 11*] brevius agere poteram, si cum illa scriberem verba Metelli Numidici tenuissem quae leguntur ap. Gell. xii. 9: *Probi iniuriam facilius accipiunt quam alteri tradunt* ⟨itemque inscriptionem in ephemeridibus Arcadibus xiii. 124 relatam: *Nicodromus vixit annos* vi. *Euphemus vixit annos* iii. *Intra dies* xxx *sibi dolorem eripuerunt et suis tradiderunt*⟩.

P. 103 v. 7 ab im. [*116 v. 35*] Lobeckium Aglaoph. p. 769 scribendum dixisse *deos parentum* Hauptius admonuit. Equidem inferiora *eorum deum*, quae post *deum parentem* recte poni Lobeckius negat, eodem modo posita putavi quo *Catones* dicimus unum Catonem significantes. ⟨cf. Plaut. Trin. 1090 *nunc hic disperii miser propter eosdem quorum causa fui hac aetate exercitus.*⟩

SPICILEGII ALTERIUS

IN CORNELIO NEPOTE

PARTES VI

[*PRAEMISSAE INDICIBUS SCHOLARUM IN UNIVERSITATE IENENSI HABENDARUM A. 1868—1871.*]

I.*)

Quam rationem in recensendo et emendando Cornelio Nepote postremum a me superiore anno Berolini edito secutus essem, in praefatione illius editionis exposui. Iam, quae de singulis locis me disputaturum esse tum pollicitus sum, proponam.

Igitur Milt. 3, 1 haec in codicibus leguntur: *Eius pontis, dum ipse abesset, custodes reliquit principes, quos secum ex Ionia et Aeolide duxerat; quibus singulis ipsarum urbium perpetua dederat imperia;* quorum verborum duae propositae sunt explicationes, altera a Gebhardo, ut *ipsae urbes* essent, in quibus ipsi principes essent nati, altera a Buchnero, ut *ipsarum* significaret *Ioniae et Aeolidis*. Harum explicationum alteram utram omnes, qui *ipsarum* retinuerunt, secuti sunt; priorem ego quoque in prima editione: neutra ferri potest. Nam *ipsae urbes* non sunt contrariae aliorum urbibus, sed aliis rebus; neque tam ambigue quisquam scripserit, ut *ipsarum urbium* coniungat, cum prius vocabulum ab altero aptum esse velit; et si maxime hoc fecisset Nepos, non poterat Ioniam et Aeolidem dicere *ipsas*, ne *has* quidem *ipsas*, cum nulla causa esset, cur has regiones praecipua orationis nota efferret et ab aliis separaret. Eadem autem res repugnat coniecturis Lambini *ipsorum* et Guentheri a Dietschio receptae *ipse earum:* nam neque quod principum illae urbes erant, neque quod Darius imperia dederat, ultra solitum significandum erat. Neque enim his de causis fidem illis habebat, sed, ut deinceps refertur, quia et amici eius essent et ut tyrannis rege Persarum oppresso nulla spes salutis relinqueretur;

---

*) [*Index schol. aest. a. 1868.*]

ad quas res nihil sane intererat, patriae suae an alius urbis imperium tenerent idque ipse dedisset Darius an alius rex. Guenthero praeterea hoc obstat, quod paulo ante legitur *ipse abesset*; quo repetendarum vocum vitio etsi vel maxime laborat Nepos, tamen non est, quod ei nulla re cogente obtrudatur. Retinui
1 igitur,[1] quod iam in superioribus editionibus posueram, *quibus singulis suarum urbium perpetua dederat imperia*. Nam extremis litteris vocabuli *singulis* male repetitis facile oriebatur, quod in codicibus legimus.

4, 4 Lambinum secutus edidi *Inter quos magna fuit contentio, utrum moenibus se defenderent an obviam irent hostibus acieque decernerent*. Nam quod antea retenta codicum scriptura *moenibus defenderent* ad hoc verbum, ut proposuerat Heusingerus, ex sequentibus *hostes* intellexeram, etsi falsum esse demonstrari non potest, tamen artificiosius est; et movit me similis locus in Themistocle 4, 2 *ut domos suas discederent moenibusque se defenderent*. Neque Nauckii rationem facile quisquam probaverit, qui *defenderent* absolute positum iudicavit comparato Cicerone de off. I. 7, 23 *Nam qui iniuste impetum in quempiam facit, is quasi manus afferre videtur socio; qui autem non defendit nec obsistit, si potest, iniuriae, tam est in vitio, quam si parentem aut amicos aut patriam deserat;* quo loco obiectum verbi *defendit* facile ex superiore *quempiam* intellegitur: id enim malo quam cum Beiero hic quoque *iniuriam* assumere, quamquam antea legitur *Sed iniustitiae genera duo sunt: unum eorum, qui inferunt, alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, si possunt, non propulsant iniuriam*.

Sequuntur haec: *Unus Miltiades maxime nitebatur, ut primo quoque tempore castra fierent: id si factum esset, et civibus animum accessurum, cum viderent de eorum virtute non desperari, et hostes eadem re fore tardiores, si animadverterent auderi adversus se tam exiguis copiis dimicari*. Sic iam in quarta editione minori de Lambini sententia scripsi, cum in omnibus bonis codicibus legatur *audere dimicari*, nisi quod de Danielino non satis constat, in quo *dimicarent* scriptum esse refertur, quod ita explicare conatus sum, ut *dimicare* suprascripto *ri* positum fuisse suspicarer. Antea praetuleram, quod in deterioribus quibusdam legitur *audere dimicare*, ut intellecto pronomine *se* Miltiades cum suis significaretur. Falso, ut vidit Dietschius: nam hoc *se* a

Nepote intellectum non esse verba *adversus se* demonstrant; *illos* autem vel *eos*, quo *cives* significarentur, non poterat intellegi, sed poni debebat.[1]

Them. 6, 2 *Idem muros Atheniensium restituit praecipuo suo periculo. Namque Lacedaemonii causam idoneam nacti propter barbarorum excursiones, qua negarent oportere extra Peloponnesum ullam urbem habere, ne essent loca munita, quae hostes possiderent, Athenienses aedificantes prohibere sunt conati.* Dura dixeram haec in codice archetypo scripta, in quibus ad verbum *habere* ex superioribus intellegendum esset *muros;* toleraveram tamen ut in Nepote. Nunc secundum eam rationem, quam in praefatione novissimae editionis exposui, lenem emendationem coniectura repertam praetuli. Legitur ea in codicibus Sangallensi et Leidensi secundo, quorum ille in margine a secunda manu, hic inter verba scriptoris post *urbem* adicit *muros.* Quod vocabulum facile eo loco excidebat, cum ultima littera vocabuli *ullam* et duae primae vocabuli *urbem* eaedem essent atque tres eius primae. Commendaverat hoc supplementum iam Halmius in nuntiis Monacensibus XXX. 203. De Nauckii et Dietschii conatis, quorum ille traditam scripturam satis defendi putavit hac versione *dass man durchaus keine hauptstadt haben dürfe*, hic *oportere extra Peloponnesum ullos urbem habere* scripsit, non est, quod dicam.

Commemoravi in editione novissima ad 8, 2 *Hic cum propter multas eius virtutes magna cum dignitate viveret* Dietschii coniecturam, qui verba *propter multas eius virtutes* spuria iudicavit, non ut magnopere probabilem, sed ut non omni veri similitudine destitutam. Multum ei tribuerem, si verum esset, quod Dietschius affirmat, qui magna cum dignitate vivat, eum vitae dignitatem et splendorem ostentare; quem alii vereantur et suspiciant, eum apud eos in magna dignitate vivere. Quod ex nostra potius consuetudine desumptum est, qua vertere Latinum vocabulum solemus, vernaculis quidem vocabulis longe diversis. Nam cum Cicero dicat de inv. II. 53, 160 *Iustitia est habitus animi suam cuique tribuens dignitatem* et Tusc. V. 15, 45 *quod vero approbaris, id gratum acceptumque habendum; ergo etiam dignitas ei tribuenda est. Quod si ita est, laudabile sit necesse est,* non est, quod dubitemus, quin recte cum dignitate vivere dicantur, qui ita vivant, ut dignitas iis tribuatur. Restat

igitur unum illud vitium in pronomine *eius* positum. Quod etsi sine gravissima proximorum verborum oblivione committi non
6 potuit, tamen non licet vehementiore| correctione removere, nisi probabili ratione remotum fuerit plane geminum Cim. 4, 4 *Sic se gerendo, minime est mirandum, si et vita eius fuit secura et mors acerba;* ubi quod Dietschius posuit *gerentis,* quis probabile dixerit? Et eadem oblivione, quamquam paulo leniore, Nepos Ep. 8, 3 scripsit *quos ante se imperatorem nemo Boeotorum ausus fuit aspicere in acie*, quae Dietschius intacta reliquit.

9, 4 *Ea autem rogo, ut de iis rebus, quas tecum colloqui volo, annuum mihi tempus des eoque transacto ad te venire patiaris.* Magnam probabilitatis speciem habet Fleckeiseni coniectura, qui *Te autem rogo* scripsit, praesertim cum ante *ea* legatur *est.* Displicet tamen *te autem* initio positum, tamquam novi quid inesset in persona; quod non est, cum haec praemittantur: *Nunc autem confugi ad te exagitatus a cuncta Graecia, tuam petens amicitiam. Quam si ero adeptus, non minus me bonum amicum habebis, quam fortem inimicum ille expertus est.* Videtur igitur potius dicendum fuisse *Rogo autem te.* Neque explicatio pluralis numeri *ea* a me proposita, ut, quae adiunguntur, duae res visae sint Nepoti, ulla ex parte improbabilis est, cum idem, quae Ep. 6, 2 ex Callistrati oratione retulerat, *Argivos enim fuisse Orestem et Alcmaeonem matricidas; Thebis Oedipum natum, qui cum patrem suum interfecisset, ex matre liberos procreasse,* deinceps *duo opprobria* appellaverit, quamquam re unum esse apparet et ipse eo modo significaverat his verbis *in oratione sua multa invectus esset in Thebanos et Argivos in eisque hoc posuisset, animum advertere debere Arcadas, quales utraque civitas cives procreasset, ex quibus de ceteris possent iudicare,* quae praemissa sunt illis *Argivos enim fuisse* et q. s.

Quas autem recte in prima editione ita defenderam, ut quia *quas res* idem esset atque *quae,* illud Nepoti eodem modo atque neutra pronominum et adiectivorum verbis intransitivis adiungere licuisse dicerem. Iniuria spicilegii prioris p. 13 [*supra p. 17*] *quae* me correctum malle dixeram; in editione minore statim ad verum redieram. Est enim hoc satis frequens apud comicos; ex quorum usu complura retinuit Nepos vel potius cotidianus et familiaris aequalium sermo, quem ille a libris suis alienum non iudicavit. Iam Halmius in nuntiis Monacen-

sibus xxx. 206 contulerat Titinii 63 *rem magnam*[1] *aibat velle se* 7 *mecum loqui.* Addo nunc Plautum Aul. II. 1, 15 *ut tuam rem ego tecum hic loquerer*, Menaechm. prol. 50 *ut hanc rem vobis examussim disputem**). Denique dixit eodem modo, quem iam in editione minore ascripsi, antiqui sermonis amator Sallustius Iug. 79 1 *eam rem nos locus admonuit.*

Ar. 2, 2 *Neque aliud est ullum huius in re militari illustre factum quam huius imperii memoria.* Hic qui neglegentiam plane convenientem Nepoti, quod *factum* dixit *memoriam* pro iis, *quae fecisse eum memoriae proditum est*, deleta voce *factum* removere studuerunt, multo gravius vitium invexerunt. Neque enim tum dici potuit *aliud ullum*, debebat necessario aut *aliud* aut *aliud quicquam*.

Paus. 1, 3 haec in codice archetypo scripta fuerunt: *Sed primum in eo est reprehensus, quod, cum ex praeda tripodem aureum Delphis posuisset epigrammate scripto, in quo haec erat sententia: suo ductu barbaros apud Plataeas esse deletos, eiusque victoriae ergo Apollini donum dedisse. Hos versus Lacedaemonii exsculpserunt neque aliud scripserunt quam nomina earum civitatum, quarum auxilio Persae erant victi.* Heusingeri ratione, qui verba *hos versus* et quae sequuntur superioribus adiungenda et ad particulam *quod* referenda putabat, sententiam perverti ideo non minus apertum est, quod etiam nuperrime quidam eam secuti sunt, neque operae pretium est Nauckii artificia, quibus eam defendit, refutare. Ego olim ad anacoluthon confugeram; nunc lenem emendationem adhibui. Talis autem existimari non poterat, quod in deterioribus aliquot codicibus particula *cum* deleta erat: neque enim, quare ea ascripta esset, apparebat. Et quod Siebelisius pro hoc *cum* substituit *tum*, temporis significatio plane supervacanea atque adeo inepta est. Delendum erat *quod*. Id enim explicandi causa ascriptum erat particulae *cum*, quae post verba *in eo est reprehensus* paulo insolentius, sed rectissima sententia posita erat a Nepote. Non dissimile est, quod post *laudandi*, *gratulandi*, *gratias agendi* verba *cum* ponitur, de qua re dixit Madvigius ad Cic. de fin. p. 25 [[2] 27].

---

*) [*Mil. 1437 et Titin. 85 quae exempla olim adiunxerat N., aliena esse ipse significavit coll. Lorenz. ad Mil. l. c.*]

Praeterea *inscripto* cum deteriore codice edidi, cum me antea ad *scripto* artificiosius *in tripode* supplesse intellexissem.[1]

8 5, 5 *Cuius mortui corpus cum eodem nonnulli dicerent inferri oportere, quo ii, qui ad supplicium essent dati.* Si primum enuntiatum per se spectetur, falsum non est *inferre*, quod in codice archetypo scriptum fuisse Parcensis Guelferbytani Sangallensis et unius et alterius deteriorum consensus demonstrat. Tenui tamen *inferri*, quia, si *inferre* scripsisset Nepos, vix in eum errorem incidere poterat, quo *ii* pro *eos* posuit. Quem quod ita removit Nauckius, ut *ii* deleret, non potest satis probabile videri, cum, cur quis hoc addiderit, nulla causa inveniatur.

Cim. 4, 3 *Cotidie sic cena ei coquebatur, ut, quos invocatos vidisset in foro, omnes devocaret; quod facere nullum diem praetermittebat.* Cum a verbo *praetermittebat* et accusativus *nullum diem* et infinitivus *facere* simul aptus esse non posset, Nepoti aut *quin faceret* aut *nullo die* scribendum fuisse monueram. Neque enim Perizonii ratio ad Sanctii Minervam IV. 6, 16 proposita, quam Heusingerus et alii secuti sunt, ut *nullum diem* esset accusativus temporis, propter ambiguitatem probari potest, cum longe familiarius esset Latino homini, ut hunc accusativum obiecti existimaret. Nunc omisso anacolutho, ad quod antea confugeram, cum lenis sit mutatio frequentis librariorum erroris, *nullo die* edidi.

Lys. 4, 3 *Hunc Lysander, domum cum redisset, postquam de suis rebus gestis apud maximum magistratum, quae voluerat, dixerat, testimonii loco librum a Pharnabazo datum tradidit.* Sunt, qui *dixit* scribendum contendant, plusquamperfectum librario ad *voluerat* aberrante ortum esse affirmantes. Facilius etiam erat librarios accusare Dion. 9, 4 *At illi, ut limen eius intrarant, foribus obseratis in lecto cubantem invadunt.* Constat iam inter omnes particulae *postquam* semper plusquamperfectum adiungi, cum certum intervallum indicetur, post quod aliquid factum sit, cuius rei frequentissima sunt exempla; Nepotis a me collecta spicilegii prioris p. 42 [*supra p. 48*], quibus addendum Att. 22, 3 *Itaque die quinto, postquam id consilium inierat, decessit.* Reliqui loci, quibus plusquamperfectum cum hac particula et ceteris, quae eandem regulam sequuntur, componitur, nondum satis accurate sunt tractati: nimis enim leviter hanc quaestionem attigit Handius Tursell. IV. 499. Ac primum quidem

necessario plusquamperfectum ponitur, cum apodosis hoc tempus habet: qui enim aliter, quod ante hoc tempus factum esset, significaretur? velut apud Caecilium[1] Statium 44 *Nam si illi, postquam* 9
rem paternam amiserant, egestate aliquantisper iactati forent; Nep. Alc. 6, 2 *Nam postquam exercitui praeesse coeperat, neque terra neque mari hostes pares esse potuerunt;* Sall. Cat. 24, 3 *post, ubi aetas tantummodo quaestui neque luxuriae modum fecerat, aes alienum grande conflaverant;* Iug. 108, 1 *Ibi cum Boccho Numida quidam Aspar nomine multum et familiariter agebat, praemissus* (i. e. qui praemissus erat) *ab Iugurtha, postquam Sullam accitum audierat.* Huc referendus est etiam Ciceronis locus de imp. Cn. Pomp. 9, 25 *non fuit eo contentus, quod ei praeter spem acciderat, ut illam, posteaquam pulsus erat, terram umquam attingeret:* haec enim ad *acciderat* referri apparet. Deinde plusquamperfectum semper ponitur, ubi iterata res commemoratur, ut a Cic. Verr. IV. 3, 5 *Messanam ut quisque nostrum venerat, haec visere solebat;* Nep. Alc. 1, 4 *idem, simulac se remiserat neque causa suberat, cur animi laborem perferret, luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur;* Sall. Cat. 6, 5 *post, ubi pericula virtute propulerant, sociis atque amicis auxilia portabant;* 9, 3 *audacia in bello, ubi pax evenerat, aequitate seque remque publicam curabant;* 13, 4 *haec iuventutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant;* 16, 2 *post, ubi eorum famam atque pudorem attriverat, maiora alia imperabat;* Iug. 60, 3 *ubi hostes paulum modo pugnam remiserant, intenti proelium equestre prospectabant.* Praeterea plerumque plusquamperfectum ponitur, cum apodosi non simplex actio, sed status quidam significatur. Sic Cicero dixit Brut. 89, 305 *quamquam is quidem silebat, ut erat semel a contione universa relictus;* ad Att. V. 10, 1 *Ut Athenas veneram, expectabam ibi iam quartum diem Pomptinum;* Sall. Iug. 44, 4 *postquam decreverat non egredi provincia quantum temporis aestivorum in imperio fuit, plerumque milites stativis castris habebat;* 88, 1 *Metellus laetissimis animis excipitur, plebi patribusque, postquam invidia decesserat, iuxta carus*, i. e. cum carus esset. Quamquam hoc casu invenitur etiam perfectum apud Cic. p. Roscio Am. 6, 16 *Posteaquam victoria constituta est ab armisque recessimus, cum proscriberentur homines atque ex omni regione caperentur ii, qui adversarii fuisse putabantur, erat ille Romae frequens atque in foro et ore omnium cotidie ver-*

sabatur et Nep. Alc. 6, 3 *Hic ut e navi egressus est, quamquam Theramenes et Thrasybulus eisdem rebus praefuerant simul que venerant in Piraeum, tamen unum omnes illum prosequebantur*; quibus tamen locis a re gesta pluribus verbis interiectis per anacoluthon quoddam ad statum transiri videtur. Huc retulerim etiam Ciceronis locum ex div. in Caec. 21, 69 *tum — cum P. Africanus, posteaquam bis consul et censor fuerat, L. Cottam in iudicium vocabat*: quo intervallum significari Madvigius putavit gramm. lat. § 338 nota 1; sed id intervallum neque indicatur neque ad rem, de qua refertur, ullam vim habebat. Denique item plusquamperfectum ponitur, cum apodosi quidem simplex actio significatur, enuntiato autem particulae adiuncto status vel res actione effecta. Ita apud Cic. Verr. iv. 24, 54 *Posteaquam tantam multitudinem collegerat emblematum, ut ne unum quidem cuiquam reliquisset, instituit officinam Syracusis in regia maximam*, ubi plusquamperfectum significat *collectam habebat*; Caelium ad Cic. fam. viii. 8, 2 *M. Servilius postquam, ut coeperat, omnibus in rebus turbarat nec, quod non venderet, quicquam reliquerat maximaque nobis traditus erat invidia neque Laterensis praetor postulante Pausania, nobis patronis, quo ea pecunia pervenisset, recipere voluit, Q. Pilius, necessarius Attici nostri, de repetundis eum postulavit*, quem locum, cum *cuiquam, maximaeque invidiae, quod Pilius* legeretur, rectissime sua et aliorum coniectura emendavit et explicavit Madvigius ad Cic. de fin. p. 820 [*²807*]. Et eandem rationem forsitan adhibere liceat Sallustii locis Iug. 79, 4 *Postquam utrimque legiones, item classes saepe fusae fugataeque et alteri alteros aliquantum attriverant, per indutias sponsionem faciunt*; 97, 1 *Iugurtha, postquam oppidum Capsam aliosque locos munitos et sibi utiles, simul et magnam pecuniam amiserat, ad Bocchum nuntios mittit*; itemque Liviano xxxiii. 3, 1 *Philippus quoque primo vere, postquam legati ab Roma nihil pacati retulerant, dilectum per omnia oppida regni habere instituit.* Verum praeter tales locos, in quibus legitimus est plusquamperfecti usus, non desunt, ubi plusquamperfectum in narratione de simplici actione eodem modo atque legitimum perfectum ponitur. Ter. Andr. i. 2, 6 *Qui postquam audierat non datum iri filio uxorem suo, Numquam cuiquam nostrum verbum fecit neque id aegre tulit*; Phorm. v. 8, 15 *Nam omnes posthabui mihi res, ita uti par fuit, Postquam tanto opere id vos velle animum adverteram*;

Cic. Att. ii. 12, 4 *Litteras scripsi hora decima Cerialibus, statim ut tuas legeram*; Sall. Iug. 11, 2 *Postquam illi more regio iusta magnifice fecerant, reguli in unum*[1] *convenerunt*. Quibus adiun- 11
gendi sunt duo Nepotis loci initio huius disputationis a nobis propositi; neque, etsi in uno et altero ob proclivem librariorum errorem non satis certa videbitur scriptura, propter reliquos (firmissimi enim sunt Terentiani et Ciceronianus) ab optimorum codicum auctoritate discedere licet.

Alc. 5, 6 dudum in editione minore recepi, quod in maiore et spicilegii prioris p. 12 [*supra p. 15*] commendaveram: *Alcibiades simul cum collegis receperat Ioniam, Hellespontum, multas praeterea urbes Graecas, quae in ora sitae sunt Thraciae, quarum expugnarant complures, in his Byzantium* et q. s., cum in codicibus legeretur *Asiae*. Dietschius *Asiae et Threciae* edendum putavit, scilicet quo propius ad historiae fidem accederetur. Quod plane contrarium est. Nam, ut annotaveram in editione maiore, praeter Ioniam et Hellespontum nullas urbes Asiaticas Alcibiades cum collegis receperat.

6, 3 nunc edidi *Hic ut e navi egressus est, quamquam Theramenes et Thrasybulus eisdem rebus praefuerant simulque venerant in Piraeum, tamen unum omnes illum prosequebantur, et, id quod numquam antea usu venerat nisi Olympiae victoribus, coronis laureis taeniisque vulgo donabatur*. Hic Westermanni *laureis*, Mureti *taeniisque* iam in prima editione minore receperam pro *aureis aeneisque*, de quibus dixi spicilegii prioris p. 12 [*supra p. 15*] et in addendis ad eum locum. *Aureae coronae* verbo *vulgo* excluduntur. Quod praeterea in codicibus legitur *persequebantur*, eo defendi posse putaram, quod saepius illud verbum nulla inimici animi significatione solam vim habet perpetuo ad aliquem finem sequendi. Verum hic ea significatio apta non est, requiritur observantiae et honoris, quae inest in *prosequendo*, quod idem Muretus restituit.

8, 3 haec Alcibiades dicit de Lysandro secundum codices: *sibi autem esse facile Seuthem, regem Threcum, deducere, ut eum terra depelleret*. In quibus non recte antea verbum *deducere* toleravi atque *commovendi* sententia poni potuisse defendi. Nam in hoc verbo, ut praepositioni accommodatum est, semper eminet significatio eius loci vel rei, ex quibus vel de quibus aliquis deducitur. Quod si quis *ad* aliquem locum vel aliquam rem

deduci dicitur, quod sane fit saepissime, praeter certas quasdam et usitatas formulas, velut cum *deducere* idem est atque *prosequi* aut nova nupta *deduci* dicitur, constanter, quo quis deducatur,
12 adicitur. At hic neque diversae sententiae, in[1] qua fuerit Seuthes, significatio apta est, cum eum non abhorruisse ab Alcibiadis consilio verbis *sibi esse facile* declaretur, et si maxime legeretur *eo deducere*, hoc quoque ita diceretur, tamquam id, quo Seuthem perduceret Alcibiades, extremum quiddam et longe ab ea sententia, in qua tum erat, remotum esset. Itaque nunc edidi *adducere*.

11, 1 ita in novissima editione scripsi *Hunc infamatum a plerisque tres gravissimi historici summis laudibus extulerunt: Thucydides, qui eiusdem aetatis fuit, Theopompus, post aliquanto natus, et Timaeus; qui quidem duo maledicentissimi nescio quo modo in illo uno laudando conspirant.* Et *conspirant* quidem, pro quo in codice archetypo legebatur *consuerunt*, ex egregia emendatione Mauricii Hauptii, commemorata in addendis ad p. 37 spicilegii prioris [*supra p. 44*], iam in prima editione minore receperam. Tenui ante novissimam editionem, quod in codice ***B*** fuit, *Theopompus, qui post aliquanto natus*, idque ita defendi, ut ex superioribus *fuit*, quod hic significaret *vixit*, supplendum et *natus fuit* eadem sermonis ubertate positum dicerem, qua Pel. 2, 4 *quorum imperii maiestas Leuctrica pugna ab hoc initio perculsa concidit*, et quae in Caesare meo p. 64 collegi, Caes. b. Gall. II. 19, 6 *qui in silvis abditi latebant*, VII. 59, 5 *legiones a praesidio atque impedimentis interclusas maximum flumen distinebat*, alia. Verum haec omnia ita sunt comparata, ut, quamvis similis sit participii et verbi significatio et illud omitti potuerit, tamen in utroque peculiare aliquid insit, quo alterum accuratius definiatur, aut certe, quod per se ipsum erat supervacaneum, adiunctum habeat, quo sententia augeatur. Ita hic quoque *qui post aliquanto natus fuit* ea ratione, quam demonstravi, recte diceretur, si *fuit* aliqua re adiecta ad novae rei significationem traduceretur; nudum quidem *fuit* plane est supervacaneum neque ferri potest. Non male olim Fleckeisenus particula *et*, quae sequitur, in *est* mutata, scripsit *Theopompus, qui post aliquanto natus est, Timaeus*. Sed cum, quod supra posui, praeter Leidensem Boecleri inventum sit etiam in Parcensi, hoc sine dubio praeferendum est. Nam etsi non abest suspicio, hoc quoque

coniectura esse inventum, tamen ea suspicio nequaquam certa est neque improbabile ipsius codicis archetypi scripturam nos tenere. Deinde haec verborum conformatio concisa brevitate longe praestat, et quomodo orta sit codicis *B* scriptura facile explicatur: proclive enim fuit superius *qui* male repetere. *Et* autem ante tertium nomen positum iis, quae in superioribus editionibus dixi, satis defendi.

3

II.*)

Thras. 1, 1, ubi in codice archetypo scriptum fuit et antea a me quoque editum *Si per se virtus sine fortuna ponderanda sit, dubito, an hunc primum omnium ponam*, postea ex codice Axeniano recepi *ponderanda est;* quod cum Fleckeisenus probasset, quia causa nulla fuisset Nepoti coniunctivi ponendi, mihi coniunctivum omnino ponere non potuisse visus est. Neque enim ullo modo dubium ei esse poterat, quin in aestimandis hominibus virtus sola sine fortuna ponderanda esset. Contra Dietschium non disputo.

Paulo post magnam offensionem habebant haec verba: *Nam quod multi voluerunt paucique potuerunt ab uno tyranno patriam liberare, huic contigit, ut a* XXX *oppressam tyrannis e servitute in libertatem vindicaret.* Hic Heusingerus *quod* particulam esse iudicavit. Verum ubicumque enuntiatum particulae *quod* adiunctum ita praemittitur, ut deinceps de re illo enuntiato relata aliquid dicatur, hanc rem ita comparatam esse necesse est, ut causa de ea dicendi fuerit: aliter enim ineptum erat de ea re dici. Itaque longe plurimis locis illo enuntiato particulae *quod* adiuncto refertur, quid aliquis senserit aut dixerit, aliis per se intellegitur rem ab aliquo esse prolatam, aliis denique ipse scriptor commemorat, quod alicui in mentem venire posse putet eiusmodi, ut ad eam rem respondendum sit. Iam de hac re altero enuntiato, quod subsequitur, aut iudicium quoddam fer-

---

*) [*Index schol. hib. a. 1868/69.*]

tur, ut, quid is, qui loquitur, de ea re sentiat, significetur, aut, si dubitari de aliqua re aut quaeri aliquid relatum est, quomodo ea res se habeat, exponitur. Iudicium autem aut ipsum ponitur aut re aliqua, ex qua intellegi possit, significatur. Simplicissima et primaria forma huius compositionis est, cum *quod* particula ad certum quoddam vocabulum, maxime pronomen demonstrativum, vel verbum subsequens pertinet, in qua nihil est peculiare,[1] nisi quod inversus est enuntiatorum ordo, 4
velut apud Nep. Ep. 5, 6 *Quod autem me Agamemnonem aemulari putas, falleris* vel apud Ter. Ad. v. 9, 29 *Ut id ostenderem, quod te isti facilem et festivum putant, id non fieri ex vera vita neque adeo ex aequo et bono* aut Caes. b. G. i. 13, 5 *Quod improviso unum pagum adortus esset, cum ii, qui flumen transissent, suis auxilium ferre non possent, ne ob eam rem aut suae magnopere virtuti tribueret aut ipsos despiceret.* Altera forma est (de qua sola hic dicere attinet), cum nihil sequitur, unde *quod* particula apta sit; quam compositionem ellipticam esse iudico, ita ut omissum sit id, quo proprie *quod* particula pertinet, velut *de hac re ita sentio, de hac re hoc dico, ad eam rem ita respondeo* et similia. Plenae sunt exemplorum epistolae Ciceronis et aliorum cum iis coniunctae, quae apponere libet, quo apertius ratio huius compositionis perspiciatur. Ad fam. i. 7, 2 *Quod scire vis, qua quisque in te fide sit et voluntate, difficile dictu est de singulis.* 9, 1 *Quod autem tibi grata mea erga te studia scribis esse, facis tu quidem abundantia quadam amoris, ut etiam grata sint ea, quae praetermitti sine nefario scelere non possunt.* 9, 23 *Quod rogas, ut mea tibi scripta mittam, quae post discessum tuum scripserim, sunt orationes quaedam, quae Menocrito dabo.* 24 *Quod de Quinti fratris negotio scribis te priore aestate conficere non potuisse, nunc autem omnia facturum, ut conficias, id scito esse eiusmodi, ut frater meus vere existimet adiuncto isto fundo patrimonium fore suum per te constitutum.* ii. 17, 3 *Quod scribis Apamea praesidium deduci non oportuisse, videbam idem ceteros existimare.* 4 *Quod scribis de drachmis centum milibus, nihil est, quod in isto genere cuiquam possim commodare.* 5 *Quod quaeris, quid existimem de legionibus, quae decretae sunt in Syriam, antea dubitabam, venturaene essent, nunc mihi non est dubium, quin venturae non sint.* iii. 5, 3 *Quod itinerum meorum ratio te nonnullam in dubitationem videtur ad-*

ducere, visurusne me sis in provincia, ea res sic se habet. 8, 10 *De Parthis quod quaeris, fuisse nullos puto.* 9, 3 *Quod autem a me tale quiddam desideras, sane mihi considerandum est, quonam te remunerer potissimum genere.* IV. 2, 3 *Quod existimas meam causam coniunctam esse cum tua, certe similis in utroque nostrum error fuit.* V. 2, 3 *Quod autem ita scribis*[1] *pro mutuo inter nos animo, quid tu existimes esse in amicitia mutuum, nescio.* 5 *Quod scribis de reconciliata nostra gratia, non intellego, cur reconciliatam esse dicas, quae numquam imminuta est.* 6 *Quod scribis non oportuisse Metellum fratrem tuum ob dictum a me oppugnari, primum hoc velim existimes animum mihi istum tuum vehementer probari* et q. s. 11, 2 *Quod mihi feminam primariam, Pompeiam, uxorem tuam, commendas, cum Sura nostro statim locutus sum, ut ei meis verbis diceret, ut, quidquid opus esset, mihi denuntiaret.* 20, 3 *Quamobrem de Volusio quod scribis, non est id rationum.* 7 *Quod scribis de beneficiis, scito a me et tribunos militares et praefectos et contubernales dumtaxat meos delatos esse.* VII. 8, 2 *Quod scribis de illo Preciano iureconsulto, ego te ei non desino commendare.* 25, 1 *Quod epistolam conscissam doles, noli laborare, salva est.* 33, 1 *Quod Hirtio invides* (sic enim scribendum est, non *invideres*), *nisi eum amares, non erat causa invidendi.* VIII. 6, 5 *Quod tibi supra scripsi Curionem valde frigere, iam calet.* IX. 11, 2 *Quod scribis proelia te mea causa sustinere, non tam id laboro, ut, si qui mihi obtrectent, a te refutentur, quam intellegi cupio me a te amari.* 15, 3 *Quod autem altera epistola purgas te non dissuasorem mihi emptionis Neapolitanae fuisse, sed auctorem commorationis urbanae, neque ego aliter accepi et* (hoc et ego adieci) *intellexi tamen non existimasse te mihi licere res has relinquere.* X. 22, 2 *Quod ad me scripseras de re agraria, si consultus senatus esset, ut quisque honorificentissimam de te sententiam dixisset, eam secutus essem.* XI. 6, 1 *Quod mihi tuam dignitatem commendas, eodem tempore existimo te mihi meam dignitatem commendare.* 21, 2 *Nam quod idem Segulius veteranos queri, quod tu et Caesar in decemviris non essetis, utinam ne ego quidem essem.* 3 *Quod autem scribis te, quod pro te ipso non facias, id pro me, ut de me timeas aliquid, omni te de me metu libero.* 4 *Quod mihi praecipis, ut caveam, ne timendo magis timere cogar, et sapienter et amicissime praecipis.* 24, 2 *Quod scribis in Italia te moraturum, dum tibi lit-*

terae meae veniant, si per hostem licet, non erraris. XII. 2, 2 *Quare quod scribis te confidere auctoritate et eloquentia nostra aliquid profici posse, nonnihil, ut in tantis malis, est profectum.* XIV. 1, 5 *Quod ad me scribis te vicum vendituram, quid, obsecro te, quid futurum est?* 2, 3 *Quod*[1] *de domo scribis, hoc est de* 6 *area, ego vero tum denique mihi videbor restitutus, si illa nobis erit restituta.* 3, 3 *Ut tuto sim, quod laboras, id mihi nunc facillimum est.* 5 *Quod scribis te, si velim, ad me venturam, ego vero te istic esse volo.* ep. 6 *Quod nostra tibi gratias agit, id ego non miror te mereri, ut ea tibi merito tuo gratias agere possit.* 12 *Quod nos in Italiam salvos venisse gaudes, perpetuo gaudeas velim.* 13 *Quod scripsi ad te proximis litteris de nuntio remittendo, quae sit istius vis hoc tempore et quae concitatio multitudinis, ignoro.* 19 *Quod me propius vultis accedere, video ita esse faciendum.* XVI. 21, 2 *Quare quod polliceris te buccinatorem fore existimationis meae, firmo id constantique animo facias licet.* Ad Q. fr. I. 2, 2 *Quod autem idcirco a te missus est, mihi ut se purgaret, id necesse minime fuit.* 12 *Quod ad me de Hermia scribis, mihi mehercule valde molestum fuit.* II. 2, 1 *Quod ad me de Lentuli et Sestii nomine scripsisti, locutus sum cum Cincio.* 8, 2 *Quod idibus et postridie fuerat dictum de agro Campano actum iri, non est actum.* 9, 1 *Quod me admones de nostra Urania suadesque, ut meminerim Iovis orationem, quae est in extremo illo libro, ego vero memini.* 12, 3 *Quod vult renovare honores eosdem, quo minus togam praetextam quotannis interpolet, decernendum nihil censeo.* III. 1, 10 *De tribunatu quod scribis, ego vero nominatim petivi Curtio.* 11 *Tibi quod rogas, quoniam ipsi fontes iam sitiunt, si quid habebo spatii, scribam.* 12 *Quod me in eadem epistola cohortaris ad ambitionem et ad laborem, faciam equidem; sed quando vivemus?* 14 *De hortis quod me admones, nec fui umquam valde cupidus et nunc domus suppeditat mihi hortorum amoenitatem.* 16 *Quod scribis te audisse in candidatorum consularium coitione me interfuisse, id falsum est.* 18 *Quod interiore epistola scribis me id. Sept. Pompeio legatum iri, id ego non audivi.* 5 et 6, 1 *Quod quaeris, quid de illis libris egerim, quos, cum essem in Cumano, scribere institui, non cessavi neque cesso.* 4 *Quod me de versibus faciendis rogas, incredibile est, quam egeam tempore.* 8, 3 *Quod me institutum ad illum poëma iubes perficere, etsi distentus cum opera tum animo*

sum multo magis, tamen revertar ad institutum. 9, 6 *Quod me hortaris, ut absolvam, habeo absolutum suave* ἔπος *ad Caesarem.*
7 Ad Att. I. 3, 3 *Quod ad me saepe scripsisti de nostro*[1] *amico placando, feci et expertus sum omnia.* 4, 3 *Quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est et ornamentum Academiae proprium meae.* 5, 2 *Quod ad me scribis de sorore tua, testis erit tibi ipsa, quantae mihi curae fuerit, ut Quinti fratris animus in eam esset is, qui esse deberet.* 5 *Quod scribis, etiamsi cuius animus in te esset offensior, a me recolligi oportere, teneo, quid dicas.* 11, 2 *Quod in epistola tua scriptum erat me iam arbitrari designatum esse, scito nihil tam exercitum esse nunc Romae quam candidatos omnibus iniquitatibus nec, quando futura sint comitia, sciri.* 16, 14 *Quod ad me scribis te in Asiam statuisse non ire, equidem mallem ut ires.* 20, 2 *Quod ad me de re publica scribis, disputas tu quidem et amanter et prudenter.* II. 1, 4 *Quod quaeris, quid sit, quod te arcessam, ac simul impeditum te negotiis esse significas neque recusas, quin non modo, si opus sit, sed etiam, si velim, accurras, nihil sane est necesse.* 6 *Quod de agraria lege quaeris, sane iam videtur refrixisse. Quod me quodam modo levi brachio de Pompeii familiaritate obiurgas, nolim ita existimes, me mei praesidii causa cum illo coniunctum esse.* 6, 1 *Quod tibi superioribus litteris promiseram fore, ut opus extaret huius peregrinationis, nihil iam magno opere confirmo.* 12, 3 *Quod me, ut scribam aliquid, hortaris, crescit mihi quidem materies, ut dicis, sed tota res etiam nunc fluctuat.* 13, 2 *Romae quod scribis sileri, ita putabam.* 14, 2 *De pangendo quod me crebro adhortaris fieri nihil potest.* 16, 4 *Quod de Quinti fratris epistola scribis, ad me quoque fuit* πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ — *quid dicam, nescio.* 20, 5 *Quod scripseram te Furium scripturum, nihil necesse est tuum nomen mutare.* III. 7, 2 *Quod me ad vitam vocas, unum efficis, ut a me manus abstineam.* 8, 3 *Quod suades, ne longius discedamus, puto me ita esse facturum.* 10, 2 *Nam quod me tam saepe et tam vehementer obiurgas et animo infirmo esse dicis, quaeso, ecquod tantum malum est, quod in mea calamitate non sit.* 13, 1 *Quod ad te scripseram me in Epiro futurum, posteaquam extenuari spem nostram et evanescere vidi, mutavi consilium.* 2 *Quod me saepe accusas, cur hunc meum casum tam graviter feram, debes ignoscere, cum ita me afflictum videas, ut neminem umquam nec videris nec audieris. Nam quod scribis te audire me etiam mentis errore*

ex dolore affici, mihi vero mens integra est. 15, 5 *Quod te cum* 8
Culleone scribis de privilegio locutum, est aliquid; sed multo est melius abrogari. 20, 3 *Quod me vetas quicquam suspicari accidisse ad animum tuum, quod secus a me erga te commissum aut praetermissum videretur, geram tibi morem et liberabor ista cura.* 24, 1 *Nam quod scribis, ni ita vobis placuisset, illos hoc idem per populum assecuturos fuisse, invitis tribunis pl. fieri nullo modo potuit.* IV. 6, 3 *Quod me admones, ut scribam illa Hortensiana, in alia incidi.* 8, 3 *De poëmate quod quaeris, quid, si cupiat effugere?* 16, 3 *Quod in iis libris, quos laudas, personam desideras Scaevolae, non eam temere dimovi.* 17, 2 *De Messala quod quaeris, quid scribam, nescio.* V. 20, 6 *Quod me maxime hortaris et quod pluris est quam omnia, in quo laboras, ut etiam Ligurino μώμῳ satisfaciamus, moriar, si quicquam fieri potest elegantius.* VI. 1, 19 *Quod de Philotimo et de solutione HS* XX DC *scribis, Philotimum circiter Kal. Ian. in Chersonesum audio venisse, ac mihi ab eo nihil adhuc.* 2, 7 *Nam quod senatus consultum esse dicebat, ut ius ex syngrapha diceretur, eo consilio factum est, quod pecuniam Salaminii contra legem Gabiniam sumpserant.* VII. 7, 3 *Pomptinum cupio valere; et quod scribis in urbem introisse, vereor, quid sit.* 5 *Nam quod scribis mirificam esse expectationem mei neque tamen quemquam bonorum aut satis bonorum dubitare, quid sensurus sim, ego, quos tu bonos esse dicas, non intellego.* 8, 4 *Quod putasti fore, ut, antequam istuc venirem, Pompeium viderem, factum est ita,* et paulo post *Quod quaeris, ecqua spes pacificationis sit, quantum ex Pompeii multo et accurato sermone perspexi, ne voluntas quidem est.* 12, 1 *Nam quod rogas, curem, ut scias, quid Pompeius agat, ne ipsum quidem scire puto.* 23, 3 *Quod quaeris, hic quid agatur, tota Capua et omnis hic delectus iacet.* 26, 2 *Quod addis, ne propensior ad turpem causam videar, certe videri possum.* VIII. 7, 2 *Quod enim tu meum laudas et memorandum dicis, malle quod dixerim me cum Pompeio vinci quam cum istis vincere, ego vero malo, sed cum illo Pompeio, qui tum erat.* VIII. 11, 1 *Quod me magno animi motu perturbatum putas, sum equidem, sed non tam magno, quam tibi fortasse videor.* 5 *Quod quaeris, quid Caesar ad me scripserit, quod saepe.* 15, 2 *De Lepido et Tullo quod quaeris,*[1] *illi vero non dubitant, quin Caesari* 9
praesto futuri in senatumque venturi sint. 3 *Quod videris non dubitare, si consules transeant, quid nos facere oporteat, certe*

transeunt. IX. 2, 2 *Nam quod negas te dubitare, quin magna in offensa sim apud Pompeium, non video causam, cur ita sit* et deinceps *Nam quod ais, si hic temperantius egerit, consideratius consilium te daturum, qui hic potest se gerere non perdite?* 7, 3 *Quod autem suades, ut ab eo petam, ut mihi concedat, ut idem tribuam Pompeio, quod ipsi tribuerim, id me iam pridem agere intelleges.* 8, 1 *De L. Torquato quod quaeris, non modo L., sed etiam A. profectus est. De Reatinorum corona quod scribis, moleste fero in agro Sabino sementem fieri proscriptionis.* 9, 1 *Quod laudas, quia oblivisci me scripsi ante facta et delicta nostri amici, ego vero ita facio,* et postea *Quod autem quasi vereri videris, ne mihi tua consilia displiceant, me vero nihil delectat aliud nisi consilium et litterae tuae.* 2 *Quod consules laudas, ego quoque animum laudo, sed consilium reprehendo.* 10, 6 *Quod quaeris a me, fugamne an moram utiliorem putem, ego vero in praesentia subitum discessum inutilem puto.* 13, 3 *Quod mea praedicatione factum esse scribis magis quam illius merito, ut tantum ei debere viderer, est ita.* 15, 5 *Quod scribis asperius me, quam mei patiantur mores, de Dionysio scripsisse, vide, quam sim antiquorum hominum: te medius fidius hanc rem gravius putavi laturum esse quam me.* X. 1, 3 *Quod scribis te putare me attractum iri, si de pace agatur, mihi omnino non venit in mentem, quae possit actio esse de pace.* 5, 2 *Quod mihi mandas de Quinto regendo,* Ἀρκαδίαν. 6, 2 *Quod dein me mones, et amice et prudenter me mones.* XI. 2, 2 *De dote quod scribis, per omnes deos te obtestor, ut totam rem suscipias* et paulo post *cui quidem deesse omnia quod scribis, obsecro te, noli pati.* 3 *Quod me hortaris, ut firmo sim animo, vellem posses aliquid afferre, quamobrem id facere possem.* 3, 2 *Quod negas praecipuum mihi ullum incommodum impendere, etsi ista res nonnihil habet consolationis, tamen etiam praecipua multa sunt, quae tu profecto vides et gravissima esse et me facillime vitare potuisse.* 5, 2 *Quod scribis placere, ut propius accedam iterque per oppida noctu faciam, non sane video, quemadmodum id fieri possit.* 3 *Quod tanto intervallo nihil omnino ad vos, profecto intellegis rem mihi deesse.* 4 *Quod de Vatinio quaeris,*[1] *neque illius neque cuiusquam praeterea officium deesset, si reperire possent, qua in re me iuvarent.* 7, 5 *Quod te excusas, ego vero et tuas causas nosco et mea interesse puto te istic esse.* 8 *Quod rogas, ut in bonam partem accipiam, si qua sint in tuis litteris, quae me mordeant, ego*

vero in optimam. 12, 4 *Quod me admones, ut scribam ad Antonium et ad ceteros, si quid videbitur tibi opus esse, velim facias id, quod saepe fecisti* et deinceps *Quod me audis fractiorem esse animo, quid putas, cum videas accessisse ad superiores aegritudines praeclaras generi actiones?* 13, 1 *De Servii patris litteris quod scribis, item Quintum in Syriam venisse quod ais esse, qui nuntient, ne id quidem verum est. Quod certiorem te vis fieri, quo quisque in me animo sit aut fuerit eorum, qui huc venerunt, neminem alieno intellexi.* 16, 2 *Quod autem scribis quandam laetitiam bonorum esse commotam, ut sit auditum de litteris, tu quidem nihil praetermittis, in quo putes aliquid solacii esse.* 4 *Quod suades, ut ad Quintum scribam de his litteris, facerem, si me quicquam istae litterae delectarent* et deinceps *Quod ais illum ad te scribere me sibi nullas litteras remittere, semel ab ipso accepi; ad eas Cephalioni dedi.* 17, 2 *Quod Oppium tecum scribis locutum, non abhorret a mea suspicione eius oratio.* 21, 3 *Quod me mones, ut ea, quae . . . .* (excidisse quaedam videntur), *ad tempus accommodem, facerem, si res pateretur* et in fine *Quod scribis illum per me Quinto fore placatiorem, scripsi ad te antea eum statim Quinto filio omnia tribuisse, nostri nullam mentionem.* 22, 1 *Nam quod te vereri scribis, ne illi obsint, ne rogari quidem se passus est de illo.* 24, 3 *Nam quod scribis nobis nostra et tua fore parata, tua credo; nostra quae poterunt esse?* 5 *Quod me mones de vultu et oratione ad tempus accommodanda, etsi difficile est, tamen imperarem mihi, si mea quicquam interesse putarem. Quod scribis litteris putare Africanum negotium confici posse, vellem scriberes, cur ita putares.* 25, 3 *Quod ad te iam pridem de testamento scripsi, apud* εὔπιστον *illas velim.* xii. 1, 2 *Sed quod scribis igniculum matutinum* γεροντικόν, γεροντικώτερον *est memoriola vacillare.* 13, 2 *Quod scribis de Appuleio, nihil puto opus esse tua contentione.* ep. 17 *Quod pro Cornificio me abhinc amplius annis* xxv *spopondisse dicit Flavius, etsi reus locuples est, tamen velim des operam, ut investiges ex*[1] *consponsorum tabulis, sitne ita.* 18, 3 *Do-* 11
mestica quod ais ordine administrari, scribes, quae sint ea. 18a, 2 *Quod scribis Terentiam de obsignatoribus mei testamenti loqui, primum tibi persuade me istaec non curare* et deinceps *Nam quod non advocavi ad obsignandum, primum mihi non venit in mentem.* 19, 4 *Quod ad Tironem de Terentia scribis, obsecro te, suscipe totum negotium.* 20, 1 *Quod me hortaris idque a ce-*

teris desiderari scribis, ut dissimulem me tam graviter dolere, possumne magis, quam cum totos dies consumo in litteris? 21, 5 Quod me in forum vocas, eo vocas, unde etiam bonis meis rebus fugiebam et Quod autem homines a me postulare scribis, ut Romae sim, iam pridem scito esse, cum unum te pluris quam omnes illos putem. 22, 1 De Terentia quod mihi omne onus imponis, non cognosco tuam in me indulgentiam. 28, 2 Quod me ad meam consuetudinem revocas, fuit meum quidem iam pridem rem publicam lugere et Quod me ipse per litteras consolatus sum, non paenitet me, quantum profecerim. 30, 1 Quod Silius te cum Clodio loqui vult, potes id mea voluntate facere. 35, 1 Quod enim scribis extremi, vide, ne is ipse locus sit, cuius causa de tota re est a nobis cogitatum. 37, 4 Quod me a maestitia avocas, multum levaris, si locum fano dederis. 38, 3 Quod putas oportere pervideri iam animi mei firmitatem graviusque quosdam scribis de me loqui et q. s. 40, 2 Quod scribis te vereri, ne et gratia et auctoritas nostra hoc meo maerore minuatur, ego, quid homines aut reprehendant aut postulent, nescio. 5 Quod quaeris, quam diu hic, paucos dies. 41, 1 Et quod tu scire volebas, ego quando ex hoc loco, postridie idus Lanuvii constitui manere. 44, 2 Quod per Mustelam agis, habes hominem valde idoneum. XIII. 3, 1 Quod dies longior est, puto fore istam etiam a praecone diem. 6, 3 Quod epistolam meam ad Brutum poscis, non habeo eius exemplum. 12, 2 Quod ad me de Varrone scribis, scis me antea orationes aut aliquid id genus solitum scribere, ut Varronem nusquam possem intexere. 21, 7 Quod autem de illa nostra cogitatione scribis, ea, quae novi, valde probo. 33, 3 De Tuditano autem quod putas, εὔλογον est tum illum aut quaestorem aut tribunum militum; idque potius fuisse credo. 5 De Bruto quod scribis, feci, ut ei liberum esset. 45, 2 Quod me hortaris, ut eos dies consumam in philosophia explicanda, currentem
12 tu quidem. XIV. 9, 1 Sed[1] quod quaeris, quid arcessierim Chrysippum, tabernae mihi duae corruerunt. 10, 3 Quod quaeris, iamne ad centena Cluvianum, adventare videtur. 14, 6 Quod me cogitare iubes, cogitabo equidem. 19, 6 Quod autem laudas me, quod nihil ante de profectione constituam, quam, ista quo evasura sint, videro, muto sententiam. 20, 3 Quod errare me putas, qui rem publicam putem pendere e Bruto, sic se res habet: aut nulla erit aut ab isto istisve servabitur. Quod me hortaris, ut scriptam contionem mittam, accipe a me καθολικὸν θεώρημα earum rerum,

in quibus satis exercitati sumus. 4 *Quod Hirtium per me meliorem fieri volunt, do equidem operam.* xv. 1a, 5 *Quod Brutus rogat, ut ante kalendas, ad me quoque scripsit, et fortasse faciam.* 3, 1 *Quod scribis parendum victoribus, non mihi quidem, cui sunt multa potiora.* 4, 2 *Quod scribis te nescire, quid nostris faciendum sit, iam pridem me illa ἀπορία sollicitat* et *Quod te a Bruto scribis, ut certior fieret, quo die in Tusculano essem futurus, ut ad te ante scripsi, vi kal.* 13, 2 *Quod scribis legiones duas Brundisium venisse, vos omnia prius.* 17, 1 *Quod scribis tibi deesse HS C, quae Ciceroni curata sint, velim ab Erote quaeras, ubi sit merces insularum.* 20, 2 *Quod ais extrema quaedam iam homines de re publica loqui, ego, quo die audivi illum tyrannum in contione clarissimum virum appellari, subdiffidere coepi.* xvi. 11, 2 *Quod vereris, ne ἀδόλεσχος mihi tu, quis mimus?* et *Quod me admones, tu vero etiamsi reprehenderes, non modo facile paterer, sed etiam laetarer.* 3 *Quod me hortaris ad scribendum, amice tu quidem, sed me scito agere nihil aliud.* 13 b, 2 *Quod praeterea consulis, quid tibi censeam faciendum difficile est, cum absim.* 15, 2 *Quod autem quaeris, quomodo agi placeat, primum velim eiusmodi sit, ut non alienum sit me Romae esse.* Aliorum exempla haec sunt. Afranius 116 *Nam proba et pudica quod sum, consulo et parco mihi.* Attius Bruto 36 *Nam quod ad dexteram Cepit cursum ab laeva signum praepotens, pulcherrime Auguratum est rem Romanam publicam summam fore.* Vergil. Aen. ii. 180 *Et nunc quod patrias vento petiere Mycenas, Arma deosque parant comites pelagoque remenso Improvisi aderunt.* Propert. iv (iii). 2, 9 *Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis Nec camera auratas inter eburna trabes Nec mea Phaeacas aequant pomaria silvas, Non operosa rigat Marcius antra*[1] *liquor: At Musae* 13
comites et carmina grata legenti Et defessa choris Calliopea meis. Ovid. a. a. i. 261 *Illa quod est virgo, quod tela Cupidinis odit, Multa dedit populo vulnera, multa dabit.* Petron. 104 *Encolpion quod quaeris, scito a me in navem tuam esse perductum.* Silius xi. 327 *Summum quod credis et aequas Hannibalem superis, o quantum nomine maior Iam Poeno tibi natus erit.* Sueton. gr. 1 *Nam quod nonnulli tradunt duos libros de litteris syllabisque, item de metris ab eodem Ennio editos, iure arguit L. Cotta non poëtae, sed posterioris Ennii esse.* Denique Nepos Eum. 9, 2 *Nam quod diebus quinque hostis transisse posset, se effecturum, ut non*

minus totidem dierum spatio retardaretur. Quo loco ego olim *quod* pronomen esse iudicavi: nunc ellipsin verborum *in eo*, quae mihi post *ut* particulam cogitatione supplenda videbantur, ferendam non esse intellego. *Transisse* autem recte Siebelisius intransitive positum statuit, ut intellegatur *ex Media ad se*, nisi quod de montibus cogitare non debebat, cum omne spatium transiri dicatur. Neque enim, quod aliis visum est, obiectum omitti potuit.

Ubi autem in huiusmodi enuntiatis aliquid fingitur vel fieri posse significatur, *quod* particulae adiungitur coniunctivus, cuius usus prior et plura aliis exempla collegit Lambinus ad Plauti Asin. IV. 1, 12. Sunt autem pleraque comicorum: Plauti Asin. IV. 1, 12 *Quod illa aut amicum suum aut patronum nominet Aut quod illa amicae suae amatorem praedicet, Fores occlusae omnibus sient nisi tibi.* 16 *Aut quod illa dicat peregre allatam epistolam, Ne epistola quidem ulla sit in aedibus.* 51 *Quod illa autem simulet, quasi gravedo profluat, Hoc ne sic faciat, tu labellum abstergeas Potius, quam cuiquam savium faciat palam.* Aul. I. 2, 13 *Quod quispiam ignem quaerat, extingui volo.* Cas. I. 39 *quod te postules Gustare quicquam, numquam edepol ieiunium Ieiunum est aeque, atque ego ruri reddibo te.* Mil. II. 2, 7 *Quod ille gallinam aut columbam se sectari aut simiam Dicat, disperistis, ni usque ad mortem male mulcassitis.* Ter. Eun. IV. 7, 15 *Sane quod tibi nunc vir videatur esse hic, nebulo magnus est.* V. 8, 34 *Si te in platea offendero hac post umquam, quod dicas mihi 'Alium quaerebam, iter hac habui', periisti.* Sed dixit eodem modo Cicero Verr. V. 68, 175 *Quod enim te liberatum iam existimationis metu, defunctum honoribus designatum consulem* (sic enim distinguen-
14 dum) *cogites, mihi*[1] *crede, ornamenta ista et beneficia populi Romani non minore negotio retinentur quam comparantur;* in Pis. 27, 66 *Nam quod vobis iste tantummodo improbus, crudelis, olim furunculus, nunc vero etiam rapax, quod sordidus, quod contumax, quod superbus, quod fallax, quod perfidiosus, quod impudens, quod audax esse videatur, nihil scitote esse luxuriosius, nihil libidinosius, nihil protervius, nihil nequius.* Supersunt loci aliquot, qui corrupti in optimis codibus legi videntur. Ovid. ep. 16 (17), 251 *Quod bene te iactes et fortia facta loquaris, A verbis facies dissidet ista suis;* 17 (18), 41 *Tam gelidus quod sis, non te tamen, improbe, quondam Ignibus Actaeis incaluisse negas;* ex Ponto IV.

10, 25 *Scylla feris trunco quod latret ab inguine monstris, Heniochae nautis plus nocuere rates.* Priap. 6, 1 *Quod sim ligneus, ut vides, Priapus Et falx lignea ligneusque penis, Prendam te tamen et tenebo prensam;* 78, 1 *Quod sim iam senior meumque canis Cum barba caput albicet capillis, Deprensos ego perforare possum.* His enim locis non ficta res, sed vera ponitur: nam ita profecto etiam de loco Ovidiano epistolarum ex Ponto iudicandum neque statuendum poëtam rem fabulosam et incertam significare voluisse. Itaque recte duobus primis antea *cum* editum, reliquis indicativi aut e codicibus aut ex coniectura poni videntur. Neque enim coniunctivum eo defendi posse crediderim, quod pro particula *quod* his locis *quamvis* ponere licebat.

Iam eo Nepotis loco, de quo dicere instituimus, sane altero enuntiato iudicium fertur de re in priore relata, cum maius quiddam a Thrasybulo perpetratum significetur; sed cur illa res iudicio subiceretur, causa nulla erat, quippe quae gloriam Thrasybuli, de qua agitur, nulla ex parte minueret. Recte id fieret, si haec priore enuntiato legerentur *Nam quod gloriosum iudicatur ab uno tyranno patriam liberare* vel *quod magni putantur, qui ab uno tyranno patriam liberarunt* vel similia: nam qui ita iudicarent, ne satis intellegerent maius esse factum Thrasybuli, timeri poterat. Itaque olim post alios eam rationem secutus sum, ut *quod* pronomen esse et anacoluthon quoddam a Nepote admissum iudicarem collato Ciceronis loco Phil. VII. 8, 22 *Ita quod erat optabile antea, ut populum Romanum comitem haberemus, nunc habemus ducem.* Nunc neque apud Ciceronem hoc tolerandum puto, qui *Itaque erat* aut *Ita cum esset optabile* videtur scripsisse (eadem enim hic quae Thrasybuli loco causa impedit, quo minus *quod* particula esse possit), et Nepotis locum leni mutatione omni offensione liberavi, ita ut ponerem *Nam cum multi voluerint paucique potuerint.*

4, 2 cum in codice archetypo scriptum esset *cum Mitileni ei multa milia iugerum et agri munera darent*, olim edidi *cum Mytilenaei agri munera ei, multa milia iugerum, darent;* cuius emendationis ne nunc quidem paenitet, cum facilitatem transpositionis demonstraverim spicilegii prioris p. 40 [*supra p. 46*]. Nam qui alio modo locum corrigere volunt, iis non solum contra codicem archetypum *ei* post *agri* collocandum, de qua re dixi eiusdem libri p. 39 [*supra p. 45*], sed etiam *muneri* scribendum

est. Neque enim nunc concedo, quod olim feci, Nepoti dicere licuisse *cum Mytilenaei multa milia iugerum agri ei munera darent.* Nam *agri munera* recte dicuntur, ut Phoc. 1, 3 *munera magnae pecuniae*, illa de agris diversis locis sitis vel in plures partes divisis, haec de pluribus pecuniae summis; inepte autem multa milia iugerum data esse dicuntur munera, quasi singula milia unum effecissent munus aut hoc egissent Mytilenaei, ut haec Pittaco plura munera viderentur. Haec autem *cum Mytilenaei multa milia iugerum agri ei muneri darent* mihi quidem longius a codice archetypo, quam quae ego posui, recedere videntur.

Proxima verba nunc ita constitui: *Nolite, oro vos, inquit, id mihi dare, quod, cum multi invideant, plures etiam concupiscant,* particula *cum* post *quod* adiecta*). Nam rectissime Madvigius Emendationum Livianarum p. 60 n. 1 dixit apud Quintilianum IX. 3, 1 tenendam esse hanc optimorum codicum scripturam: *Itaque, si antiquum sermonem nostro comparemus, paene iam, quidquid loquimur, figura est, ut hac re invidere, non, ut omnes veteres et Cicero praecipue, huic rei;* pro quo dativo editores post Burmannum scriptori obtruserunt *hanc rem.* Ipse enim Cicero, qui, ut alii veteres, saepissime posuit dativum, accusativum plane abhorrere ait a consuetudine et solis poëtis concedit Tusc. III. 9, 20: *ab invidendo autem invidentia recte dici potest, ut effugiamus ambiguum nomen invidiae, quod verbum ductum est a nimis intuendo fortunam alterius, ut est in Melanippo*

Quisnam florem liberum invidit meum?

Male Latine videtur, sed praeclare Attius: ut enim videre, sic
16 *invidere florem*[1] *rectius quam flori. Nos consuetudine prohibemur; poëta ius suum tenuit et dixit audacius.* Et poëtae frequenter hac compositione usi sunt, velut idem Attius 215 *Te id, quod multi invideant multique expetant, inscitia est Postulare, nisi laborem summa cum cura efferas;* Vergil. Buc. 7, 58 *Liber pampineas invidit collibus umbras*, Georg. I. 503 *Iam pridem nobis caeli te regia, Caesar, Invidet,* Aen. IV. 234 *Ascanione pater Romanas invidet arces?* VIII. 508 *Sed mihi tarda gelu saeclisque effeta senectus Invidet imperium,* XI. 42 *Tene, inquit, miserande puer, cum laeta veniret, Invidit Fortuna mihi?* Horat. Sat. I. 6,

*) [*Omisit hoc N. in editione novissima.*]

49 *quia non, ut forsit honorem Iure mihi invideat quivis, ita te quoque amicum*, 9, 25 *invideat quod et Hermogenes, ego canto,* Epi. i. 14, 41 *invidet usum Lignorum et pecoris tibi calo argutus et horti;* Ovid. ex P. ii. 8, 59 *Quod quoniam nobis invidit inutile fatum;* Silius iv. 400 *nec famam invidit Apollo;* Valerius Flaccus v. 507 *Tu modo ne claros Minyis invideris actus.* At apud prosae orationis scriptores ne argenteae quidem aetatis plura quam tria exempla reperio: Val. Max. iv. 3, ext. 1 *ne eiusdem laudis commemorationem externis invideamus;* Curt. ix. 4, 21 *ne inviderent sibi laudem, quam peteret;* Plin. h. n. xv. 2, 8 *Cereri totum id* (Africae solum) *natura concessit, oleum ac vinum non invidit tantum satisque gloriae in messibus fecit.* Ex quibus duo priores dubitare licet an ablativum posuerint; Plinii loco, qui corruptus est, Silligius probabiliter *tantum non invidit* scribendum coniecit. Madvigius autem, cum *invidere alicui aliquid* apud neminem omnino bonae aetatis scriptorem prosae orationis reperiri contenderet, Nepotis quidem loci, quem supra posuimus, non meminit. Sed quin is corruptus sit, dubium non est; leni autem remedio a nobis adhibito *invideant*, ut saepissime, absolute ponetur, cum, cui rei invideant, perspicuum sit. Id enim malo quam ipsum dativum pronominis demonstrativi ex proximo *quod* intellegere, quamquam ne id quidem grammatica ratio vetat.

---

3 ## III.*)

Con. 1, 1, ubi in codice archetypo haec legebantur: *Nam et praetor pedestribus exercitibus praefuit et praefectus classis magnas mari gessit*, in spicilegio priore p. 40 [*supra p. 47*] *res* secundum Nepotis consuetudinem non cum plerisque codicibus ante, sed post *magnas* addendum dixi idque in editione anni 1867 tenui. Exemplis eo loco a me allatis addo Ham. 4, 1 *magnas res secunda gessit fortuna*, Eum. 7, 2 *ut ibi de summis rebus consilia caperentur*, 10, 3 *cum quibus ei de summis rebus erat dimicandum*. Tamen et Chabr. 2, 3 *cum in re nulla Agesilao cederet* et Eum. 9, 2 *omnibus titubantibus et de rebus summis desperantibus* et Ham. 3, 3 *resque magnas gessit* legitur. Iam autem illud vocabulum potius post *mari* adiciendum puto, quia et facilius eo loco excidebat et *mari*, quod opponitur *pedestribus copiis*, inter *magnas res* interiectum maiore vi effertur.

Dion. 9, 4 *At illi, ut limen eius intrarant, foribus obseratis in lecto cubantem invadunt.* Fleckeisenus in Philologi IV. 319 *eius* cum editione Ultraiectina delendum aut in *conclavis* mutandum aut hoc vocabulum adiciendum censuit, quia *limen* adiuncto genetivo personae nemo posuisset. At dixit Livius II. 48, 10 *iussi armati postero die ad limen consulis adesse*; Vergilius Georg. II. 504 *penetrant aulas et limina regum*, Aen. II. 365 *religiosa deorum limina*, VI. 115 *tua limina adirem*; Horatius Epo. 2, 7 *superba civium potentiorum limina*; Ovidius Rem. 785 *dominae*

*) [*Index schol. aest. a. 1869.*]

transire relictae limina, Met. xiv. 456 *Euandri ad limina*, 742 *referunt ad limina matris*, Fast. iii. 358 *Ante sui populus limina regis adest;* Phaedrus iii. prol. 16 *intrare si Musarum limen cogitas;* Columella praef. 9 *limina potentiorum circumvolitare*. Habet tamen hoc peculiare Nepotis locus, quod *limen*[1] non, ut 4
reliquis et ut nostri quoque sermonis consuetudo fert, de domo, sed de conclavi dicitur. Quod ut nequaquam tanti puto, ut mutandum aliquid videatur (per se enim recte hoc quoque limen eius dicebatur, et haec res sola consuetudine Latini sermonis diiudicari potest, de qua certo affirmare nobis non licet), ita ei suspicioni ansam dedit, quam in editione anni 1867 commemoravi, fieri potuisse, ut *limen eius* nasceretur ex *limine tenus*, hoc est *non ultra limen*. Quo modo, ut *tenus* non initium, sed finem rei significaret, locuti sunt Cicero de legg. iii. 6, 14 *Nam veteres verbo tenus acute illi quidem, sed non ad hunc usum popularem atque civilem de re publica disserebant;* Livius xxxiv. 5, 4 *in quos iecit magis hoc consul verbo tenus, quam ut re insimularet*, xli. 20, 12 *modo vulneribus tenus, modo sine missione etiam;* Vergilius Aen. i. 737 *summo tenus attigit ore;* Quintilianus xii. 2, 17 *qui haec non vocibus tantum sibi nota atque nominibus aurium tenus in usum linguae perceperit, sed qui virtutes ipsas mente complexus ita sentiat;* Tacitus xv. 6 *usurpatas nomine tenus urbium expugnationes*, 45 *hic Graeca doctrina ore tenus exercitus animum bonis artibus non induerat*, H. i. 33 *dum egregius imperator cum fortibus amicis ianua ac limine tenus domum cludit*, hoc est *sola ianua ac limine;* Suetonius Iul. 76, Claud. 25, Dom. 1. 13 *titulo tenus*.

In fine capitis iam in superioribus editionibus ita scripsi: *Cui cum succurreret nemo, Lyco quidam Syracusanus per fenestram gladium dedit, quo Dion interfectus est*, unum codicem deteriorem secutus, cum in reliquis legeretur *fenestras*. Neque enim per plures fenestras hic gladius dari poterat.

Iph. 2, 1 haec retinui *Apud Corinthum tanta severitate exercitui praefuit, ut nullae umquam in Graecia neque exercitatiores copiae neque magis dicto audientes fuerint duci, in eamque consuetudinem adduxit, ut, cum proelii signum ab imperatore esset datum, sine ducis opera sic ordinatae consisterent, ut singuli ab peritissimo imperatore dispositi viderentur*. Hic *adduxit* scriptum est in familia *B*, *induxit* in Leidensi Parcensi Ultraiectina; ex

Danielino relatum est *adduxit al. adcluxit:* quod falso relatum esse cum intellexisset Rothius, ipse coniecit in hoc codice scriptum fuisse *induxit al. adduxit*, ego *adduxit al. induxit.* Idem Rothius[1] aliique cognita Parcensis scriptura *induxit* a Nepote scriptum iudicarunt. Verum, utut in Danielino scriptum fuit, probandum est *adduxit.* Nam *in consuetudinem adducitur*, qui eo pervenit, ut consuetudinem teneat, qui alicui rei plene assuescit (eamque sententiam hic requiri apparet); *in consuetudinem inducitur*, qui ingreditur consuetudinem, qui consuefieri incipit. Quae cui dubia videntur, haec exempla inspiciat: Caes. b. G. IV. 1, 10 *Atque in eam se consuetudinem adduxerunt, ut locis frigidissimis neque vestitus praeter pelles haberent quicquam et lavarentur in fluminibus* (cui simile est Cic. Tusc. II. 3, 9 *Ad quam nos consuetudinem a familiaribus nostris adducti*) et ex contraria parte Cic. ad Q. fr. III. 3, 4, ubi cum Ciceronem puerum delectari dixisset Paeonii rhetoris disciplina neque se, quamquam suum instituendi genus paulo sit eruditius, illam disciplinam impediturum, haec adicit *Sed tamen, si nobiscum eum rus aliquo eduxerimus, in hanc nostram rationem consuetudinemque inducemus.*

Timoth. 1, 2 quae in codice archetypo scripta erant, iam in prima editione sic distinxi: *Samum cepit; in quo oppugnando superiori bello Athenienses mille et* CC *talenta consumpserant, id ille sine ulla publica impensa populo restituit: adversus Cotum bella gessit ab eoque mille et* CC *talenta praedae in publicum retulit*, ita ut *quo* referretur ad sequens *id* removereturque vitium, quo laboraret oratio, si enuntiatum relativum superioribus adiungeretur; quod cum antea fieret, et in deterioribus quibusdam codicibus et ab editoribus scriptum erat *in qua oppugnanda.* Improbavit rationem meam Fleckeisenus in Iahnii annalibus LXXXI. 285; cuius argumenta contra me prolata satis refutavi in editione minore: nam quod Kochium secutus meam rationem iusto impeditiorem iudicavit, cum melior adhuc reperta non sit, nihil sane respondendum existimo. Ipse *Samum* urbem neutro genere a Nepote dictam esse affirmat nisus titulo Mummiano versibus Saturniis composito, qui legitur in C. I. L. I p. 150 n. 541, in quo scriptum est *Corinto deleto.* At quid usus poëtae et ignoti poëtae saeculi septimi ineuntis ad Nepotem pertinet? Audirem, si quod ex Plauto vel Terentio exemplum pro-

ferretur, quorum sermonem prosae orationi affinem aliqua ex parte retinuit Nepos et quicumque tum familiari potius et cotidiano| loquendi genere quam eleganti et exculta oratione ute- 6 bantur; et tamen non crederem de Nepote in re ab huius aetate plane aliena. Nullum enim exemplum est fide dignum, quo prosae orationis scriptorem optimae aetatis praeter pauca, quae certo usu recepta erant, in nominibus urbium Graecarum a Graeco usu recessisse comprobetur. Constanter dixerunt neutro genere *Tarentum* sua forma, ut *Beneventum, Surrentum*, item, quae non erat Graeca urbs, *Saguntum:* neque enim Livium uno loco xxi. 19, 1 *Sagunto excisa* scripsisse credo. An credibilius est Ciceronem Verr. i. 24, 63 scripsisse *Oppidum est in Hellesponto Lampsacum*, quam librarios, ut permultis aliis locis, *m* et *s* permutasse? Quae vitii frequentia deterrere Hertzium debebat, ne apud Livium xxxiii. 31, 11 ex Bambergensi reciperet *Corinthum redderetur Achaeis*, praesertim cum 34, 9 esset *Corinthus*. Recte Kreyssigius xxxiii. 34, 7 scripsit *Thebis Phthioticis et Pharsalo excepta*, Ascensius xxxiv. 49, 5 *Acrocorinthum vacuam*, cum in codicibus legeretur *excepto* et *vacuum*, de quibus item dubitavit Hertzius, quamvis sciret xxxiii. 34, 10 *Carysto adiecto*, xxxiii. 38, 4 *Lampsacum oppugnandum*, quae antea legebantur, sustulisse Bambergensem. Atque haec sunt omnia exempla, quae ex optimorum scriptorum codicibus adhuc collecta sint, plenissime post alios a Nevio in voluminum de nominum et verborum Latinorum declinationibus i. 654. Ex poëtis Vergilius Georg. i. 207 dixit *ostriferi fauces temptantur Abydi;* reliqui magis eo inclinarunt, ut contra Romanam consuetudinem feminina ponerent, qualia sunt *Tarentus, Saguntus*, quae imitati sunt Plinius maior et Florus, quam neutra contra Graecam. Ex scriptoribus neutra *Lampsacum, Abydum, Aspendum, Astacum, Cyzicum, Epidamnum, Epidaurum* Melae et Plinio relinquenda sunt, quorum locos collegit idem Nevius: nam apud Florum iii. 5, 15, quem item apposuit, *Cyzicum* sane est in Nazariano, at in Bambergensi *Cyzicus*.

2, 2 *Quo facto Lacedaemonii de diutina contentione destiterunt et sua sponte Atheniensibus imperii maritimi principatum concesserunt pacemque his legibus constituerunt, ut Athenienses mari duces essent.* Hic quae verbum *concesserunt* sequuntur, spuria iudicavit Fleckeisenus in Philologi iv. 323 duabus de causis,

quod intolerabilis inesset eiusdem rei, quae antea relata esset,
7 repetitio et ineptum esset *his*[1] *legibus*, cum una lex commemoraretur. Ex his prius verum non est: accedit enim ultimis verbis nova res, ut, quod antea tantum factum esse relatum erat, iam pacis legibus constitutum esse tradatur. At alterum reprehensum est verissime. Hoc igitur iam in editionibus minoribus posterioribus lenissima mutatione sustuli, ut scriberem *iis legibus*, hoc est *talibus*, quibus efficeretur, ut Athenienses mari duces essent. Simillimus est, ne alios commemorem, locus Dat. 6, 2 *iisque locis castra ponit, ut neque circumiri multitudine adversariorum posset neque impediri, quo minus ipse ad dimicandum manum haberet expeditam*, ubi idem vitium sustulit Lambinus. Nam quae de fide rerum hoc loco relatarum adiecit Fleckeisenus, de iis post ea, quae in maiore editione et de hoc loco et de universo Nepotis genere disputavi, non est, quod dicam. Quamquam ea ipsa sententia, quam ille requirebat, mea emendatione effecta est.

Multum vexarunt editores, quae leguntur sub finem huius capitis: *Cuius laudis ut memoria maneret, Timotheo publice statuam in foro posuerunt. Qui honos huic uni ante id tempus contigit, ut, cum patri populus statuam posuisset, filio quoque daret*, cum verba *huic uni ante id tempus* aliis corrupta viderentur, ab aliis falsis rationibus aut exemplis dissimillimis defenderentur. Mirum autem est neminem memorem fuisse Graecae consuetudinis praeter me, qui de ea iam in maiore editione, quamquam frustra, admonui. Graecos enim superlativo adiungere genetivum partitivum, quo significetur, in quorum numero res superlativo significata non sit, maxime quae ante eam fuerint, notissimum est vel ex Thucydide, cuius haec sunt I. 1 ἐλπίσας μέγαν τε ἔσεσθαι καὶ ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων, 10 τὴν στρατείαν ἐκείνην μεγίστην γενέσθαι τῶν πρὸ αὐτῆς, 11 ὀνομαστότατα τῶν πρὶν γενόμενα, 50 ναυμαχία γὰρ αὕτη Ἕλλησι πρὸς Ἕλληνας νεῶν πλήθει μεγίστη δὴ τῶν πρὸ αὐτῆς γεγένηται, VI. 13 ὑπὲρ τῆς πατρίδος, ὡς μέγιστον δὴ τῶν πρὶν κίνδυνον ἀναῤῥιπτούσης. Neque ignotum est eosdem vocabulo, quod est μόνος, et similes genetivos et ἄλλων adiungere, cuius rei exempla haec sunto. Xenophon Cyrop. I. 4, 24 μόνος τῶν ἄλλων ἐκεῖνος οὐδὲν ἄλλο ἢ τοὺς πεπτωκότας περιελαύνων ἐθεᾶτο, Lycurgus in Leocr. § 67 ὅτι μόνος τῶν ἄλλων πολιτῶν οὐ κοινήν, ἀλλ' ἰδίαν τὴν σωτηρίαν ἐζήτησεν, 102 (Ὁμήρου)

μόνου τῶν ἄλλων ποιητῶν ῥαψῳδεῖσθαι τὰ ἔπη, Demosthenes in Mid. § 223 τῷ μεθ᾽ ὅπλων[1] εἶναι συντεταγμένοι μόνοι τῶν ἄλλων πολιτῶν, 8
Diodorus xi. 11 μόνοι τῶν πρὸ ἑαυτῶν διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς ἀρετῆς εἰς ἀθανασίαν μετήλλαξαν, Lucianus Tim. 55 κἂν τὸν πλακοῦντα ὅλον ἢ τὸν σῦν μόνος τῶν ἄλλων λάβοι, monumentum Adulitanum in C. I. Gr. 5127 B, 30 πάντα δὲ ταῦτα τὰ ἔθνη πρῶτος καὶ μόνος βασιλέων τῶν πρὸ ἐμοῦ ὑπέταξα. Iam utrumque imitati sunt Romani, quorum exempla paulo plura primus, quod sciam, collegi. Sunt autem praeter Nepotem, quos ita dixisse invenerim, hi. Plinius h. n. xxv. 2, 5 *Namque Mithridates omnium ante se genitorum diligentissimus vitae fuisse intellegitur;* Tacitus H. i. 50 *Et ambigua de Vespasiano fama, solusque omnium ante se principum in melius mutatus est*, quem locum iam in minore Nepotis editione ascripsi; A. 34 *hi ceterorum Britannorum fugacissimi*; Florus iii. 5, 22 *omnium ante se primus transiit Euphratem.* Atque horum scriptorum interpretes Graecus usus non fugit. Qui autem originem huius erroris, usu in Graecorum sermonem recepti, imitatione a Romanis quibusdam asciti, probabiliter explicaret, neminem inveni praeter Handium, qui Turs. i. 384 solo Nepotis loco commemorato et Graecae consuetudinis immemor recte tamen a negativa orationis forma hoc dicendi genus videtur derivasse. Nam cum in permultis negativae formae, quae habet comparativum cum genetivo a pronomine apto, respondeat affirmativa, in qua est superlativus a se aptum habens genetivum, etiam in his, in quae hoc non cadit, ex negativa forma, quae menti obversabatur (οὖ οὐδεὶς ἀξιολογώτερος τῶν προγεγενημένων, οὐδεὶς τῶν ἄλλων, οὐδένες τῶν πρὸ αὐτῶν) in affirmativam translatum est id, quod soli negativae conveniebat. Est autem profecto error, cum quid in eo numero ponitur, in quo non est; neque genetivus, in Graecis non magis quam in Latinis, alius quam partitivus existimari potest.

3, 4 *At ille temeraria usus ratione non cessit maiorum natu auctoritati et, ut in sua manu esset fortuna, quo contenderat, pervenit, eodemque ut sequerentur, ad Timotheum et Iphicratem nuntium misit.* Haec non licebat ita explicare, ut Chares (de eo enim agitur) ea de causa, quo contenderat, pervenisse diceretur, ut in Charetis manu esset fortuna. Nam primum tum non *sua*, sed *eius* ponendum erat; deinde ea re, quod ille, quo contenderat, pervenit, neque effici poterat, quod[1] enuntiato finali signi- 9

ficatur, neque effectum cuiquam videri: statim enim haec subiciuntur *Hinc male re gesta, compluribus amissis navibus eo, unde erat profectus, se recipit.* Recte diceretur consilium hoc fuisse Charetis, ut in sua manu esset fortuna; sed ut id significaretur, enuntiato primario ipse Chares egisse aliquid dicendus erat: id quod perspexit Fleckeisenus, cui in Philologi iv. 325 *quo contenderat, perrexit* scribendum videbatur. Neque vero *ut* hic poni poterat pro *ut si* aut *velut;* neque, si maxime posset aut haec ipsa scripta essent, rectius aut *sua* aut sententia haberet: neque enim ideo, quia tum, quo contenderat, pervenerat Chares, in manu eius esse fortuna videri poterat. Quae cum viderem, ita haec verba olim explicavi, ut *sua* referrem ad *fortunam*, et ideo Charetem, quo contendisset, pervenisse dici existimarem, ut fortunae liberum esset facere, quid vellet. Neque hanc explicationem necessario reiciendam esse ullo modo demonstrari potest. Nam *in sua manu esse fortuna* non minus recte dicitur quam *aliquis in sua potestate, in sua tutela, sui iuris esse.* Quod autem fieri aliquid dicitur, ut in sua manu sit fortuna, quasi aliae res fortuna regantur, aliae non, et ipsa fortuna impediatur quibusdam rebus, in ea non haerebit, quisquis reputaverit, quam variae et contrariae inter se et fuerint et sint de ultimis rerum causis opiniones et quam saepe vel doctissimi homines aut vulgi consuetudine aut aliqua humanarum actionum similitudine inducti de iis aliter, atque ipsi sentiant, loquantur. Nihilo minus paulo artificiosiorem esse hanc rationem confiteor, et cum leni mutatione efficeretur, quod omni vitio careret, hoc amplecti non dubitavi. Nam cum Heusingero in mentem venisset *et ut* mutandum esse in *velut*, perfecit emendationem Dietschius oratione in hunc modum distincta: *At ille temeraria usus ratione non cessit maiorum natu auctoritati, velut in sua manu esset fortuna. Quo contenderat, pervenit* et q. s. Plane eodem modo Dat. 6, 2 verba *Quo contenderat, pervenit* superioribus adiunguntur. Atque hoc uno invento in Nepote sui dissimilis fuit Dietschius.

Dat. 3, 3 iam in quarta editione minore scripsi *Quae cum omnes conspicerent propter novitatem ornatus ignotamque formam ob eamque rem magnus esset*[1] *concursus, fuit non nemo, qui agnosceret Thuym regique nuntiaret*, cum antea legeretur *quem*, quod verum esse non potest. Neque enim Thuys solum, sed Datames quoque novitate ornatus erat conspicuus, *agresti*, ut antea rela-

tum est, *duplici amiculo circumdatus hirtaque tunica, gerens in capite galeam venatoriam, dextra manu clavam, sinistra copulam, qua vinctum ante se Thuynem agebat, ut si feram bestiam captam duceret.* Idem dudum ex Danielino restitui c. 4, 4 et spicilegii prioris p. 6 [*supra p. 9*] de ambiguo compendio admonui, quo in Nepotis codicibus et *quae* et *quem* significatur.

Iis locis, quos spicilegii prioris p. 47 [*supra p. 54*] ad confirmandum nomen *Sysinam*, quod Dat. 7, 1 in optimis codicibus legitur, vel *Sisinem* vel *Sisinnem* attuli, addi possunt Ioseph. ant. Iud. XI. 1, 3 Βασιλεὺς Κῦρος Σισίνῃ καὶ Σαραβασάνῃ χαίρειν, Appian. b. c. V. 7 ἐν μὲν Καππαδοκίᾳ Ἀριαράθῃ τε καὶ Σισίννῃ, ὧν τῷ Σισίννῃ συνέπραξεν ἐς τὴν βασιλείαν, καλῆς οἱ φανείσης τῆς μητρὸς τοῦ Σισίννου Γλαφύρας et apud Bekkerum p. 442 ex eiusdem anecdotis Ἀππιανὸς ἐν Ἰλλυρίσι Σισίνου καὶ Σισίνην φησί.

Ep. 1, 1 cum in codicibus legeretur *Epaminondas, Polymni filius*, genetivum *Polymni* falso olim pro *Polymnis* positum esse defendi: nam hic genetivus tertiae declinationis solis nominibus in *es* exeuntibus convenit. Neque credibile est, quod quibusdam in mentem venit, Nepotem genetivum illum derivasse a nominativo, qui esset *Polymnes* vel *Polymnius vel Polymnus*, quod nomen, sed mythicum, legitur apud Paus. II. 37, 5, nisi patrem Epaminondae ita appellatum esse demonstratum fuerit. Dubitari poterat, an Nepos scripsisset *Polymnis* Graecam formam Πολύμνιος secutus, qua Plutarchum usum esse monui de genio Socratis c. 6 et 12 (p. 578 E, 581 F); praetuli tamen *Polymnidis*, quia Ἐπαμεινώνδαν τὸν Πολύμνιδος posuerunt et Pausanias VIII. 52, 4. IX. 12, 6 itemque sine dubio IV. 31, 10, ubi nunc est Ἐπαμεινώνδας ὁ Κλεόμμιδος, et Aelianus var. hist. II. 43. III. 17. XI. 9.

8, 2 haec leguntur in Nepotis codicibus: *unum ab iis petivit, ut in periculo suo inscriberent: Epaminondas a Thebanis morte multatus est, quod* et q. s.[1] Quibus in rebus reliqui scriptores, 11 qui de hoc Epaminondae iudicio retulerunt, et a Nepote et inter se discreparent, in maiore editione exposui: hic unum commemorandum est, de loco, ubi aliquid a iudicibus scribi voluerit Epaminondas, apud Appianum Syr. 41 haec legi αἰτῶ δ' ὑμᾶς κατὰ τὸν τάφον ἐπιγράψαι, apud Aelianum var. hist. XIII. 42 ἠξίου ἐπιγράψαι τῇ στήλῃ, apud Plutarchum apophth. Epam. 23 p. 194 B ἀξιοῦν ἐπιγράψαι τῇ στήλῃ τὴν καταδίκην: ex quo Plutarchi loco apparet στήλην item esse sepulcri, non, ut Bosio ad hunc Ne-

potis locum visum est, pilam, cui condemnationis formula inscribi solita sit: huic enim ut inscriberetur sententia iudicum (hanc autem solam secundum Plutarchum inscribi voluit), non erat, quod postularet Epaminondas. Apud Nepotem quoque Aldus et is, qui excerpta in codice Patavino saeculi xv scripsit (cuius verba Rothius retulit p. 198, 11), *in sepulcro* posuerunt, idque Halmius in nuntiis Monacensibus xxx. 214 probavit, quia *in periculo* nullo modo ferri posset. Negavit enim hoc vocabulo significari posse, quod nos appellamus *protokoll*, puto, quod eos, qui ita interpretarentur apud Nepotem, uno loco Ciceronis Verr. III. 79, 183 niti existimabat, quo Cicero haec dicit de ordine scribarum: *Est vero honestus, quod eorum hominum fidei tabulae publicae periculaque magistratuum committuntur.* Quamquam is locus cum Nepotis coniunctus satis firmum illius significationis documentum videri debebat: nam *pericula magistratuum* pervagata significatione accepta, ut Halmius aliique voluerunt, nimis late patent, quam ut apte hic commemorari a Cicerone potuerint. Verum quod alios locos aptiores et graviores ad probandum desideravit Halmius, dudum allatae erant inscriptiones titulorum septimi decimi libri IV codicis Theodosiani et quadragesimi quarti libri VII Iustiniani, qui sunt *de sententiis ex periculo recitandis*, et quae in priore leguntur c. 2 *ut in omnibus negotiis ex periculo promatur deliberationis plena sententia*, quae satis explicantur his verbis c. 1 *ut universi iudices cognitis causis ultimas definitiones de scripti recitatione proferant* et c. 4 *Sententia non valeat, quae ex libello data non fuerit* et cod. Iust. 1, 2 *ut iudices non subitas, sed deliberatione habita post negotium sententias ponderatas sibi ante forment et emendatas statim in libellum secuta fidelitate conferant scriptasque ex libello partibus legant;* alla-
12 tae erant notae Mag|nonianae, in quibus apud Mommsenum in Keilii grammaticis IV. 291, 32 et 33 haec se excipiunt *dp. de periculo, dl. de libello*, denique Iulii Capitolini verba in M. Antonino philos. c. 11 *Habuit secum praefectos, quorum ex auctoritate et periculo semper iura dictavit*, quo loco *periculum* respondet vernaculo *entwurf*. Neque, quam accommodata haec significatio huic voci esset, Iacobum Gothofredum fugit, qui ad cod. Theod. IV. 17, 2 vidit proximam eam esse illi, qua *periculum* est, quod nos dicimus *versuch*, quo modo et *periclitari* et *periculum facere* saepissime dicuntur et, quod proxime accedit, de Mario suo dixit

Cicero de legg. I. 1, 4 *faciunt imperite, qui in isto periculo non ut a poëta, sed ut a teste veritatem exigant.* Quae omnia cum et antiqua et optimae aetatis sint, miror sane, quod idem Gothofredus hanc forensem et iudicialem *periculi* significationem Theodosiano aevo non antiquiorem iudicavit; quod non videtur facturus fuisse, nisi et in Ciceronis loco modo allato de codicum scriptura errasset et apud Nepotem *in sepulcro* sola coniectura niti ignorasset. Sed magis mirum, quod hanc *periculi* significationem ne aptam quidem Nepotis loco putavit Halmius; cuius opinionis vellem causas addidisset. Quid enim aptius esse potest, quam ut sententia iudicum adiectis causis inseratur ei libello, quo, quae in iudicio acta sunt, comprehenduntur? Nisi forte in ea sententia fuit, quam nuper quidam sectator eius pronuntiavit, qui *periculum suum* non iudicum dici posse, sed, quod ipse sibi scripsisset Epaminondas, intellegendum esse putavit. Quod autem, quae alii tradiderunt, ab iis, quae apud Nepotem leguntur, discrepant, ea de causa nemo, qui hunc scriptorem novit, de fide codicum dubitabit, etiamsi, quae illi narrarent, vera, quae apud hunc traderentur, falsa esse demonstrari posset. Et certe ne hic quidem in hac una re cernitur discrepantia, neque reliqui scriptores inter se consentiunt. At, si quid affirmare licet in re fabulis atque rumoribus agitata et, ut sunt omnes eius generis narratiunculae, fingendo vel maxime obnoxia, longe verisimilius est Epaminondam, quae dixisse fertur, periculo iudicum inseri quam in sepulcro inscribi postulasse. Nam illud de causa eius confectum esse consentaneum; ei vero, qui morte multatus esset, publice sepulcrum factum cum titulo vix credibile, et si hoc quoque postulasset Epaminondas, certe eius modi, ut novitas rei aliquo modo significanda[1] fuerit. Itaque de verbis *in* 13 *periculo suo* nullo modo dubitandum est. Sed aliud hic vitium resedit, nuper demum a me animadversum. Nam illis *in periculo* non convenit verbum *inscriberent*, cum sententia iudicum cum causis non possit tamquam index periculo praepositus vel impositus videri; sed aut haec tantum periculo continebantur (id quod accommodatum est iis locis, quos ex utroque codice retulimus) aut post alia in periculo legebantur. Itaque correxi *scriberent*. Vitium ortum est aut superiore *in* male repetito aut more medio aevo frequenti, ut vitiosa pronuntiatione litterae *s* praeponeretur *i*, de quo dixit Lachmannus in Lucretium p. 231.

10, 3 tenui, quod olim de coniectura posueram: *Idem, postquam apud Cadmiam cum Lacedaemoniis pugna coepit, in primis stetit.* Sane falso spicilegii prioris p. 50 [*supra p. 58*] *pugnari coeptum est,* quod tum ex sola editione Ultraiectina notatum erat, coniecturae eius, qui illam curavit, tribui. Nam cum idem legatur in Parcensi et in Guelferbytano scriptum sit *pugnatum est coepit* suprascripto *ri*, illud *pugnari coeptum est* iam in codice archetypo positum fuisse apparet. Nihilo minus haec coniectura videri debet, quamvis antiqua. Nam si ita primo scriptum fuisset, cui in mentem venire poterat, ut poneret, quod codicum Danielini, Sangallensis, collegii Romani consensu et ipsum in archetypo scriptum fuisse certum est, *pugnare coepit?* Haec igitur ex traditis scripturis antiquissima est et sola fide digna, a qua omnis emendandi conatus proficisci debet; pro qua sola sententiae, nulla litterarum et artis ratione habita *pugnari coeptum est* positum est: *pugna coepit*, quod et per se rectissimum et antiquae scripturae proximum est et, cum minus vulgare esset, errori facile obnoxium erat, omnibus artis legibus satisfacit.

Pel. 5, 1 *Conflictatus autem est cum adversa fortuna.* Fleckeisenus in Philologi IV. 328 praepositionem delendam censuit, quia solus ablativus *conflictandi* verbo adiungeretur et ab aliis scriptoribus et a Nepote Dion. 2, 4 *Quo* (morbo) *cum gravi conflictaretur*, Timol. 1, 2 *in his rebus non simplici fortuna conflictatus est.* Sed mirum, si Latinis, qui *confligere cum aliquo*
14 dicebant, *conflictari cum aliquo* dicere non licuisset. Meliora docere poterant Forcellinius et Gesnerus, quos praeter Nepotis locum non fugerunt haec exempla: Ter. Andr. I. 1, 66 *Nam qui cum ingeniis conflictatur eiusmodi,* Phorm. III. 2, 20 *Nec cum huiusmodi umquam usus venit ut conflictares malo*; Cic. de har. resp. 19, 41 *Cum his conflictari et pro salute patriae cotidie dimicare.*

IV.*) 3

Ag. 1, 2 cum haec in codicibus legerentur: *Mos est enim a maioribus Lacedaemoniis traditus, ut duos haberent semper reges*, diu repugnavi Fleckeiseno, qui Philologi IV. 329 *est* in *erat* mutandum iudicavit. Una ratio traditae scripturae defendendae erat, quam inii, ut *est traditus* perfectum historicum existimaretur. Verum ne id quidem ferri posse intellexi. Nam cum Nepoti propositum non esset, ut de regibus Lacedaemoniorum, sed ut de contentione Agesilai cum Leotychide exponeret, videri non potest de illis ita narrasse, ut hanc contentionem omnino non respiceret, sed quo statu et condicione tum, cum illa contentio oreretur, regia potestas fuisset, explicasse censendus est. Itaque reliquas quoque res, quae deinceps commemorantur, ita referri videmus, ut haec contentio respiciatur, aut imperfecto aut plusquamperfecto posito. Negari tamen non potest (atque ea ipsa res assensum meum remorata est) non satis intellegi, quomodo *est* ex *erat* ortum sit. Fieri igitur potest, ut Nepos scripserit *Mos enim a maioribus Lacedaemoniis erat traditus*, et cum *erat* ob similitudinem proximarum litterarum excidisset, supplendae orationis causa *est* adiectum sit. Ceterum si quis codicum scripturam ita se defendere posse opinaretur, ut Nepotem hic in similem errorem incidisse statueret atque Paus. 3, 5, ubi scripsit *Licet enim legibus eorum* (Lacedaemoniorum) *cuivis ephoro hoc facere regi*, falso illum errorem similem iudi-

---

*) [*Index schol. aest. a. 1870.*]

caret. Ibi enim cum Thucydidis narrationem sequeretur Nepos, facile accidere poterat, ut inter reliqua etiam haec verteret Ἔξεστι δὲ τοῖς ἐφόροις τὸν βασιλέα δρᾶσαι τοῦτο. Hic nulla res erat, quae eum in errorem de re notissima admittendum abstraheret.

4 2, 5 non recte etiam in novissima editione tenui, quae in codice archetypo legebantur: *se autem conservata religione confirmare exercitum, cum animadverteret deum numen facere secum, hominesque sibi conciliare amiciores, quod iis studere consuessent, quos conservare fidem viderent.* In quibus quod in editione maiore recte reprehendi *exercitum* et *homines* ita diiungi, quasi illi in horum numero non essent, dudum facillima emendatione remotum est in codice *c*, in quo *conciliari* scriptum fuit; quo facto haec verba ad *animadverteret* referuntur, *secum* autem et *sibi* non de solo exercitu, sed et de hoc et de Agesilao intellegenda sunt: hunc enim comprehendi universae sententiae vel maxime consentaneum esse apparet. Exercitus autem cum iussu Agesilai servaret et ipse indutias, non minus bene *conservare fidem* dicitur quam Agesilaus.

3, 4 iam dudum in editione minore sic scripsi: *Huic cum tempus esset visum copias extrahere ex hibernaculis, vidit, si, quo esset iter facturus, palam pronuntiasset, hostis non credituros aliasque regiones praesidiis occupaturos neque dubitaturos aliud eum facturum, ac pronuntiasset.* In quibus *aliud eum facturum* praebuerunt Parcensis et Ultraiectina. Antea, cum hoc ex una Ultraiectina notatum esset neque de auctoritate huius scripturae constaret, in altera familia legeretur *aliud esse facturum*, Nepos autem omnibus reliquis locis infinitivo futuri activi verbum *esse* detraxisset, spicilegii prioris p. 13 [*supra p. 17*] Lieberkuehnii coniecturam *aliud sese facturum* probaveram. Utrumque rectum est; praeferendum sine dubio, quod, cum ad Ultraiectinam accesserit Parcensis, in codice optimae familiae principe scriptum fuisse credendum est. Liceat autem hoc loco de ratione, qua Nepos pronomine reflexivo et demonstrativo usus sit, paulo uberius exponere.

Propria et prima sermonis Latini in hac re lex est, ut pronomine reflexivo significetur subiectum enuntiati, demonstrativo aliae res. Sed consuetudo eo inclinavit, ut usus pronominis reflexivi quam latissime extenderetur. Itaque ubi plura enun-

tiata coniunguntur, quorum diversa sunt subiecta, in iis enuntiatis secundariis, quibus sententia vel oratio subiecti enuntiati primarii declaratur (inter quae Latina consuetudo exceptis iis, quibus consequentia notatur, fere omnia enuntiata ponit, quae ab aliis ita apta sunt, ut particulis coniunctivum regentibus annectantur), in his igitur enuntiatis| secundariis longe frequen- 5
tissime subiectum primarii, quamvis aliud sit atque subiectum secundarii, pronomine reflexivo, raro, ut in tanto numero, demonstrativo significatur. Ita in exiguo numero enuntiatorum secundariorum remansit prima sermonis lex, ut pronomen reflexivum uni ipsius enuntiati subiecto significando inserviret. Ex quo genere haec sunt apud Nepotem: Dat. 10, 1 *Namque is pollicitus est regi se eum interfecturum, si ei rex permitteret, ut, quodcumque vellet, liceret impune facere*, Hann. 7, 2 *legati Carthaginienses Romam venerunt, qui senatui populoque Romano gratias agerent, quod cum his pacem fecissent ob eamque rem corona aurea eos donarent simulque peterent, ut obsides eorum Fregellis essent captivique redderentur*, 9, 4 *Gortynii templum magna cura custodiunt, non tam a ceteris quam ab Hannibale, ne ille inscientibus his tolleret secumque duceret.* Haec omnia Dietschius corrupta iudicavit: olim, cum nondum magnus criticus evasisse sibi videretur et veteres scriptores diligenter modesteque tractaret, in Sallustii Iugurtha anno MDCCCXLVI a se edito p. 545 et ipse hoc dicendi genus agnoverat et post Kritzium permultos, qui de eo egissent, commemoraverat, quibus adicere licet Haasium ad Reisigii scholas nota 386 et 388 et Muetzellium ad Curtium p. 152. Componam autem aliorum quoque scriptorum exempla, cum superiores complura retulerint, quae aut huc non pertinerent aut aliter in codicibus legerentur aut corrupta essent. Maxime quidem Caesar hoc genus videtur frequentasse. Cic. p. Quint. 31, 99 *Itaque hoc te obsecrat, C. Aquili, ut, quam existimationem in iudicium tuum attulit, eam liceat ei secum ex hoc loco efferre.* p. Rosc. Am. 34, 95 *cum ceteri socii tui fugerent ac se occultarent, ut hoc iudicium non de illorum praeda, sed de huius maleficio fieri videretur;* quo loco falso Haasius, qui similiter de aliis erravit, non finem, sed consequentiam significari contendit (neque enim profecto Cicero hoc re vera ita visum esse dicere voluit): *ut non* pro *ne* propter sequens *sed* ponitur. Verr. I. 34, 86 *Milesios navem poposcit, quae eum praesidii causa*

Myndum prosequeretur. de l. agr. II. 1, 1 *plerique hoc perficiunt, ut tantum maioribus eorum debitum esse videatur, unde etiam, quod posteris solveretur, redundaret.* p. Lig. 12, 36 *qui tum nihil egit aliud* (*neque enim haec divinabat*), *nisi ut tui eum studiosum et bonum virum iudicares.* Phil. VI. 3, 6 *Non is est Antonius. Nam si esset, non commisisset, ut ei senatus tamquam*
6 *Hannibali denuntiaret, ne oppugnaret*[1] *Saguntum.* de or. I. 54, 232 (Socrates) *respondit sese meruisse, ut amplissimis honoribus et praemiis decoraretur et ut ei victus cotidianus in Prytaneo publice praeberetur.* Br. 2, 6 *hunc aut praeter ceteros aut cum paucis sustineret dolorem* (Hortensius), *cum forum populi Romani, quod fuisset quasi theatrum illius ingenii, voce erudita spoliatum videret.* Acad. pr. 9, 32 *Alii autem elegantius, qui etiam queruntur, quod eos insimulemus omnia incerta dicere.* de div. I. 2, 3 *omnem hanc* (haruspicum) *ex Etruria scientiam adhibebant, ne genus esset ullum divinationis, quod neglectum ab iis videretur.* Caes. b. G. I. 5, 4 *Persuadent Rauracis et Tulingis et Latobrigis finitimis, uti eodem usi consilio oppidis suis vicisque exustis una cum iis proficiscantur.* 6, 3 *Allobrogibus sese vel persuasuros existimabant vel vi coacturos, ut per suos fines eos ire paterentur.* 11, 3 *Ita se omni tempore de populo Romano meritos esse, ut paene in conspectu exercitus nostri agri vastari, liberi eorum in servitutem abduci, oppida expugnari non debuerint.* 14, 3 *Quod si veteris contumeliae oblivisci vellet, num etiam recentium iniuriarum, quod eo invito iter per provinciam per vim temptassent, quod Haeduos, quod Ambarros, quod Allobrogas vexassent, memoriam deponere posse?* 37, 2 *Haedui* (veniebant) *questum, quod Harudes, qui nuper in Galliam transportati essent, fines eorum popularentur.* II. 1, 2 *quod vererentur, ne omni pacata Gallia ad eos exercitus noster adduceretur.* V. 27, 2 *Sese pro Caesaris in se beneficiis plurimum ei confiteri debere, quod eius opera stipendio liberatus esset, quod Aduatucis, finitimis suis, pendere consuesset, quodque ei et filius et fratris filius ab Caesare remissi essent.* b. c. I. 6, 6 *Neque expectant, ut de eorum imperio ad populum feratur.* 35, 4 in oratione obliqua legatorum Massiliensium de sua civitate dicentium *quorum alter agros Volcarum Arecomicorum et Helviorum publice iis concesserit.* III. 30, 5 *Pompeius suos omnes castris continuit ignesque fieri prohibuit, quo occultior esset eius adventus.* Sall. Iug. 96, 2 *ipse ab nullo repe-*

tere, magis id laborare, ut illi quam plurimi deberent. Liv. i. 54, 5 *sciscitatum Romam ad patrem mittit, quidnam se facere vellet, quando quidem, ut omnia unus Gabiis posset, ei dii dedissent.* 56, 10 *cupido incessit animos iuvenum sciscitandi, ad quem eorum regnum Romanum esset venturum.*[1] xxxi. 34, 1 *Philippus* 7 *aliquid et ad caritatem suorum et, ut promptius pro eo pericula adirent, ratus profecturum se.* Vell. ii. 15, 3 *per omnes annos atque omnia bella duplici numero se militum equitumque fungi neque in eius civitatis ius recipi, quae per eos in id ipsum pervenisset fastigium.* Curt. viii. 3, 5 *abire e conspectu iubet addito metu mortis, si se oculis eius obtulisset.* 6 *orare non destitit, ut tali consilio abstineret pateretur que sortem, quamcunque iis fortuna fecisset.* Tac. iv. 67 *quamquam edicto monuisset, ne quis quietem eius irrumperet.* H. ii. 9 *Is in maestitiam compositus et fidem suorum quondam militum invocans, ut eum in Syria aut Aegypto sisterent, orabat.* Suet. Ner. 32 *Ante omnia instituit, ut e libertorum defunctorum bonis pro semisse dextans ei cogeretur.*

Paulum a superioribus differunt hi loci. Nep. Them. 8, 3 *Ibi cum eius principes animadvertisset timere, ne propter se bellum iis Lacedaemonii et Athenienses indicerent.* Cic. p. Quint. 29, 88 *confirmavi Sex. Naevium diebus compluribus ante in possessionem misisse, quam postularet, uti ei liceret bona possidere;* Verr. iv. 39, 84 *Audistis nuper dicere legatos Tyndaritanos Mercurium, qui sacris anniversariis apud eos ac summa religione coleretur, huius vi, scelere imperioque esse sublatum;* [ad Att. xv. 21, 1 *Scripsit filius se idcirco profugere ad Brutum voluisse, quod, cum sibi negotium daret Antonius, ut eum dictatorem efficeret, id recusasset.* Caes. b. G. i. 35, 3 *haec esse, quae ab eo postularet: primum— deinde obsides, quos haberet ab Haeduis, redderet Sequanisque permitteret, ut, quos illi haberent, voluntate eius reddere illis liceret;* b. c. i. 2, 3 *ut M. Calidius, qui censebat, ut Pompeius in suas provincias proficisceretur: timere Caesarem ereptis ab eo duabus legionibus, ne ad eius periculum reservare et retinere eas ad urbem Pompeius videretur.* Sall. Iug. 62, 1 *monet atque lacrimans obtestatur* (Bomilcar Iugurtham): sequitur longior oratio obliqua et in eius fine *caveat, ne illo cunctante Numidae sibi consulant.* His enim locis subiecta, ad quae pronomen demonstrativum refertur, posita sunt in oratione obliqua a verbo, cuius aliud est subiectum, apta, ita ut subiectum enuntiati primarii remotioris,

sed principalis maiorem vim in animo scribentis exercere potuerit
8 quam enuntiati vel accusativi cum infinitivo eius locum tenentis, quo enuntiatum, in quo positum est pronomen demonstrativum, pertinet. Sed hac quoque orationis forma longe frequentissimum est et usu receptum, ut pronomen reflexivum ponatur.

Rarissime autem fit, ut in iis, quae accusativo cum infinitivo enuntiantur, cuius aliud est subiectum atque verbi accusativum cum infinitivo regentis, hoc verbi regentis subiectum significetur pronomine demonstrativo. Sunt tamen huius rei certa optimorum scriptorum exempla. Nam ut Nepos dixit Milt. 4, 5 *civibus animum accessurum, cum viderent de eorum virtute non desperari*, ita Cic. div. in Caec. 1, 2 *me saepe esse pollicitum, saepe ostendisse dicebant, si quod tempus accidisset, quo tempore aliquid a me requirerent, commodis eorum me non defuturum;* Verr. II. 62, 151 *nolle hoc accipere reum ab accusatore, et eum reum, qui praetor in Sicilia fuerit, oratores ei statuam sua voluntate statuisse, oratores de eo bene existimare;* Caes. b. c. III. 28, 4 *Tirones multitudine navium perterriti et salo nauseaque confecti iure iurando accepto, nihil iis nocituros hostes, se Otacilio dediderunt*, de quo loco statim aliquid addam; Liv. XXXI. 11, 12 *iussique polliceri* (legati Masinissae), *si quid ei ad firmandum augendumque regnum opus esse indicasset, enixe id populum Romanum merito eius praestaturum;* Curt. VI. 7, 20 *cognoscit Satibarzanen, quem satrapem Ariorum ipse praefecisset, defecisse ab eo;* 11, 8 *a corporis custodibus initium factum clamantibus discerpendum esse parricidam manibus eorum.* Neque hoc mirum aut ratione destitutum. Nam accusativus cum infinitivo cum orationis forma pars sit enuntiati, sententia tamen proprium enuntiatum efficit; itaque haec exempla, in quibus sententia magis quam forma orationis spectata est, nulla re a superioribus differunt. Iniuria igitur et alii et Madvigius, quem secutus est Hertzius, Livii locum plane vitiosum iudicarunt. Eadem ratione Nepos Agesilai loco, a quo hanc disputationem exorsi sumus, cum accusativo cum infinitivo *hostis non credituros aliasque regiones praesidiis occupaturos neque dubitaturos* proprii enuntiati vim tribueret, in iis, quae inde pendent, *aliud eum facturum, ac pronuntiasset*, scribere maluit *eum* quam *se*, ita ut pronomen ad proximum subiectum *hostis* accommodaret, non ad subiectum superius verbi *vidit* universum verborum ambitum regentis.[1]

Simile est, quod participio vel adiectivo vel ablativis absolutis adicitur pronomen demonstrativum, quo subiectum enuntiati, cuius illae partes sunt, significetur; de quo usu recte iudicavit et ad orationis pro Sulla 29, 81 *Cui cum adfuit post delatam ad eum primam illam coniurationem* haec exempla collegit Halmius: p. Mil. 15, 39 *ipse cunctae Italiae cupienti et eius fidem imploranti signum dedit*, Br. 61, 220 *orator vivis eius aequalibus proximus optimis numerabatur*, Nep. in fragm. Guelpherb. *qui philosophiam ante eum incomptam Latinam sua conformarit oratione*, Ascon. p. 47 *post rogationem a Clodio in eum promulgatam urbe cessit*. Quibus addere non debebat Curt. III. 12, 21, ubi in codicibus legitur, quod recte restituerunt Muetzellius et Hedickius, *Tunc quidem ita se gessit, ut omnes ante eum reges et continentia et clementia vincerentur*, non *vinceret*: nam Kaysero Bruti quoque locum deletis *vivis eius aequalibus* removenti non assentior. Sed addo eiusdem Curtii III. 13, 12 *Inter quas fuere virgines Ochi filiae, olim quidem ex fastigio paterno rerum mutatione detractae, sed tum sortem earum crudelius aggravante fortuna*, quo loco nemo facile positurus erat *suam*, quamquam grammaticae normae consentaneum, et Taciti III. 3 *ne omnium oculis vultum eorum scrutantibus falsi intellegerentur*. Haec igitur ita dicta sunt, quia enuntiatorum vel relativorum vel temporalium vel modalium locum tenebant. Atque hac ratione etiam Caesaris locum supra allatum ex b. c. III. 28, 4 explicare licet, ut *iure iurando accepto* scriptori fuerit loco huius enuntiati: *cum ius iurandum acceptum esset*, quamquam hoc minus probabile est, quia, si haec in enuntiati formam redegisset, videtur aliter dicturus fuisse quam *cum ius iurandum accepissent*. 9

Plerique eorum, qui hoc dicendi genus tractarunt, causam eius inde repetiverunt, quod scriptor rem non ad eos, de quibus scriberet, sed ad se vel ad eos, quos dixisse vel sensisse aliquid de illis traderet, retulisset. Quod plane contrarium est ei consilio, quod omnibus his locis fuit scribentibus, ut non suam, sed alienam sententiam referrent; et quomodo conveniet iis, qui de se ipsi referunt, velut Caesari b. G. I. 14, 3? Denique si haec esset causa, cur subiectum ipsius enuntiati numquam pronomine demonstrativo significatum est? cuius rei sane exempla quaedam nobis in codicibus tradita sunt, sed tam pauca, ut vel inde corrupta esse appareat, velut Liv. IX. 5, 9 *reditum in patriam ad* 10

parentes, quo saepe ipsi maioresque eorum triumphantes venissent, XXXIV. 62, 13 *neque eum, de quo agatur, probare eos posse non modo semper, ex quo coeperint, sed ne diu quidem eos possedisse;* quibus locis *eorum* et alterum *eos* non minus interpolata sunt quam XL. 47, 4 *petierunt, ut sibi in castra Celtiberorum ire liceret ad auxilia accienda: si non impetrassent, tum separatim eos ab illis se consulturos.* Recte dictum est quibusdam locis demonstrativum videri positum, quia in eodem enuntiato reflexivum de alia re poneretur; verum hoc fieri non poterat, nisi etiam sine hac causa demonstrativum ponere licuisset, id quod multis locis factum videmus. Excusatio quaesita est, quia, quod usu praevaluerat, solum rectum visum est, cum omnia haec respondeant regulae, ut subiectum enuntiati pronomine reflexivo, aliae res demonstrativo significentur. Verum eidem regulae respondet, quod usus praetulit, ut in huiusmodi enuntiatis secundariis, de quibus diximus, de subiecto enuntiati primarii pronomen reflexivum poneretur. Licet enim enuntiatum secundarium et plenum enuntiatum existimare, quacum re convenit, ut subiectum enuntiati primarii significetur pronomine demonstrativo, et partem enuntiati, quod nisi adiecto primario non expleatur, unde fluxit, quod usus adamavit, cum, si primarium et secundarium enuntiatum pro uno sunt, subiectum primarii quasi totius enuntiati sit subiectum.

Oscitantiae scriptoris debentur Them. 8, 2 *Hic cum propter multas eius virtutes magna cum dignitate viveret* et in pronomine reflexivo similia Cim. 4, 4 *Sic se gerendo, minime est mirandum, si et vita eius fuit secura et mors acerba,* Ep. 8, 3 *quos ante se imperatorem nemo Boeotorum ausus fuit aspicere in acie,* de quibus dixi et in editionibus et huius spicilegii I. 6 [*supra p. 126*]. Quod autem Att. 9, 7 Rothium secutus edidi *Sed sensim is a nonnullis optimatibus, familiaribus eius, reprehendebatur,* ubi in codicibus deest *familiaribus,* id in editionibus monui secundum sententiam dictum esse, quasi pro passiva orationis forma posita esset activa, cuius rei similia exempla in usu pronominis reflexivi exponendo videbimus. At nulla re a consueto more recedunt, quamquam de priore loco ego quoque aliquando aliter statui, quae leguntur Dion. 8, 5 *Mulieres nihilo setius Callicratem in aedem Proserpinae deducunt ac iurare cogunt nihil ab illo*
11 *periculi fore Dioni,* Hann. 11, 3[1] *Eumenes soluta epistola nihil*

in ea reperit, nisi quae ad irridendum eum pertinerent. Nam priore loco *Callicratem* est obiectum enuntiati, cuius pars est accusativus cum infinitivo; *ab se* ita demum consuetudini responderet, si hic accusativus cum infinitivo aptus esset ab altero, cuius subiectum esset Callicrates. Hannibalis loco enuntiato relativo non Eumenis iudicium, sed qualis epistola fuerit, hoc est consequentia notatur: *ad irridendum se*, ut postea videbimus, poni poterat; rectum et usui consentaneum est, quod legitur.

Reflexivi pronominis usus haec habet apud Nepotem notabilia. Significatur eo non solum grammaticum subiectum, sed etiam id, quod sententia subiectum est; atque is usus apud omnes scriptores legitimus est. Sic Paus. 4, 1 *eique in suspicionem venisset aliquid in ea de se esse scriptum*, Dat. 8, 3 *Has adversus copias spes omnis consistebat Datami in se locique natura*, 9, 2 *cum ei nuntiatum esset quosdam sibi insidiari.* Quos locos adhuc neglexerunt artium scriptores: Ciceronis, Livii, Curtii composuit Ramshornius § 157, 5 not. 2 p. 544, quibus Haasius ad Reisigii scholas not. 387 addidit Plauti Mil. 800 *a tua mi uxore dicam delatum et datum, ut sese ad eum conciliarem.* Ex eodem genere sunt haec Taciti H. II. 65 *interpretabatur quaedam ex orationibus eius contumeliosa in Vitellium et pro se ipso popularia*, ita scripta, quasi pro *ex orationibus eius* posuisset *quae locutus esset*, et v. 5 *inter se nihil illicitum*, quasi adiectum esset, quod menti obversabatur, *ipsis*. Vid. Madvigium § 490 a.

Deinde subiectum enuntiati primarii etiam in iis enuntiatis secundariis, quae eius sententiam vel orationem non declarant et aliud habent subiectum, nonnumquam pronomine reflexivo significatur. Fit hoc maxime et apud Nepotem et apud alios in enuntiatis relativis, ut apud illum Cim. 3, 1 *incidit in eandem invidiam, quam pater suus*, Iph. 3, 4 *pater, quantum in se fuit, Thraecem me genuit*, Dat. 6, 8 *quod ad perniciem suam fuerat cogitatum, id ad salutem convertit*, Ag. 7, 4 *Domo eadem fuit contentus, qua Eurysthenes, progenitor maiorum suorum, fuerat usus*, Att. 16, 4 *Non enim Cicero ea solum, quae vivo se acciderunt, futura praedixit;* apud Plaut. Mil. 187 *Ut eum, qui se hic vidit, verbis vincat, ne iste viderit*, Ter. Hec. IV. 4, 38 *Mater quod suasit sua, Adulescens mulier fecit;* Cic.[1] de inv. I. 33, 55 *Ergo in hac* 12
causa, quae apud Graecos est pervagata, cum Epaminondas, Thebanorum imperator, ei, qui sibi ex lege praetor successerat, ex-

ercitum non tradidit (ita enim hic locus emendandus videtur), p. Rosc. Am. 2, 6 *Hunc sibi ex animo scrupulum, qui se dies noctesque stimulat ac pungit, ut evellatis postulat, ut ad hanc suam praedam adiutores vos profiteamini*, Verr. v. 49, 128 *Dexo non, quae publice Tyndaride, non, quae privatim sibi eripuisti, sed unicum abs te filium flagitat*, p. Cluent. 8, 25 *dixit ab eodem sibi esse imperatum, ut A. Aurium illum, qui sibi delationem nominis et capitis periculum ostentarat, et alterum A. Aurium proscribendos interficiendosque curaret*, ad Att. ii. 7, 5 *Cicero tibi mandat, ut Aristodemo idem de se respondeas, quod de fratre suo, sororis tuae filio, respondisti;* Caes. b. c. iii. 53, 5 *Quem Caesar, ut erat de se meritus, ab octavis ordi nibus ad primipilum se traducere pronuntiavit*, b. Afr. 8, 5 *Ipse cognitis condicionibus Scipionis, et qui cum eo bellum contra se gerebant, miserari* et q. s.; Sall. I. 61, 1 *Metellus in iis urbibus, quae ad se defecerant, praesidia imponit*, 66, 1 *Iugurtha civitates, quae ab se defecerant, formidine aut ostentando praemia affectare*, 103, 2 *Bocchus reputando, quae sibi duobus proeliis venerant*; Liv. ii. 43, 6 *Unus ille vir rem publicam sustinuit, quam exercitus odio consulis, quantum in se fuit, prodebat*, 55, 6 *Volero, ubi indignantium pro se acerrimus erat clamor, eo se in turbam confertissimam recipit*, xxxix. 23, 6 *Una eum res maxime angebat, quod, qui Macedonum ab se defecerant in bello, in eos ius saeviendi ademptum ei ab senatu erat;* Hor. sat. i. 1, 1 *Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem Seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa Contentus vivat*, epi. ii. 1, 83 *quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt;* Vell. ii. 56, 1 *Caesar omnibus, qui contra se arma tulerant, ignovit;* Suet. Caes. 34 *quamquam obsidione Massiliae, quae sibi in itinere portas clauserat, retardante brevi tamen omnia subegit*, 74 *Philemonem, a manu servum, qui necem suam per venenum inimicis promiserat, non gravius quam simplici morte puniit.* In enuntiato causali Caesar b. G. vi. 9 in. dixit *Caesar duabus de causis Rhenum transire constituit; quarum una erat, quod auxilia contra se Treveris miserant;*
13 in temporali Nepos Ep. 3, 5 *cum civium suorum*[1] *aliquis ab hostibus esset captus, amicorum consilium habebat*, Att. 12, 3 *cum L. Saufeii, equitis Romani, aequalis sui, triumviri bona vendidissent, Attici labore atque industria factum est*, ut et q. s., ubi *suus* relatum est ad subiectum logicum enuntiati primarii ut Livii loco xxxix. 23, 6 supra allato; Eum. 3, 6 *prius in aciem exercitum eduxit*

proeliumque commisit, quam milites sui scirent, cum quibus arma conferrent, Cic. Phil. ii. 37, 96 *non enim a te emit, sed prius, quam tu suum sibi venderes, ipse possedit.* Hoc Ciceronis loco Halmius *sibi* ita explicavit, ut coniunctivo consilium significari diceret, quae sane fuit prima causa coniunctivi particulae *priusquam* adiungendi, et potest ea ratio magis etiam Eumenis loco accommodata videri, cui praemittuntur verba *Itaque tenuit hoc propositum et;* verum tamen, cum in narratione *antequam* et *priusquam*, item ut *cum*, non raro cum coniunctivo imperfecti et plusquamperfecti ita coniungantur, ut nihil praeter rem gestam significetur, idem his locis fieri verisimilius videtur. Denique possessivum *suus*, cuius latiorem esse usum quam reflexivi vel ea docent, quae Madvigius artis § 490b notavit, etiam in enuntiato consecutivo ponitur a Nepote Milt. 1, 1 *Miltiades cum ea esset aetate, ut non iam solum de eo bene sperare, sed etiam confidere cives possent sui* et q. s. et Cicerone de inv. i. 14, 19 *ut si velit Orestes dicere eiusmodi animum matris suae fuisse in patrem suum, in se ipsum ac sorores, in regnum, in famam generis et familiae, ut ab ea poenas liberi sui potissimum petere debuerint*, quo tamen loco *liberi sui* possunt esse *proprii*.

Exempla huius usus contulerunt Ramshornius § 157, 5 not. 1 b et c p. 543 sq., Zumptius § 550, Haasius ad Reisigii scholas not. 386, Matthias ad Cic. p. Rosc. Am. 2, 6, Kritzius ad Sall. Cat. p. 558, Madvigius op. i. 189; ex quibus, quae apta erant et a codicibus tuta, selegi. Plerique hoc dicendi genus ortum esse putant ex confusione quadam orationis obliquae et directae, ut scriptorem aut reflexivum posuisse statuant, quasi ad alienam sententiam significandam coniunctivum ponere voluerit, aut indicativum tamquam directam eius, de quo narrat, orationem referentem, pro personali autem pronomine substituisse reflexivum quasi inter suam et alienam orationem medium, quae sententia est Kritzii itemque Walchii emend. Liv. p. 190 de loco Livii xxiv. 33, 6, ubi haec leguntur in oratione oratoris Romani *Nec caedem nefandam socio|rum inultam Romanos passuros: ita-* 14
que, si eis, qui ad se perfugerunt, tutus in patriam reditus pateret, caedis auctores dedantur et libertas legesque Syracusanis restituantur, nihil armis opus esse; quo loco mihi quidem Strothius recte *perfugerint* videtur emendasse. Verum haec artificia (ita enim appellanda videntur) nequaquam omnibus locis, quos attu-

limus, convenire recte monuit Haasius et unicuique singulos perlustranti facile apparebit. Itaque sic de his statuendum est, subiectum enuntiati primarii tantam vim exercere etiam in secundarium enuntiatum, ut quodammodo huius quoque subiectum esse videatur; id quod convenit ei rationi, de qua iam supra diximus, ut secundarium enuntiatum non plenum per se, sed pars primarii existimetur, nisi quod hoc facilius eoque frequentissime fit in iis enuntiatis secundariis, quibus sententia vel oratio subiecti enuntiati primarii refertur.

Nota res est *suum* semper dici, ubi contrarium sit alieno, item substantive *suos*, quae apud Nepotem leguntur Lys. 1, 2 *Non enim virtute sui exercitus, sed immodestia factum est adversariorum*, Eum. 10, 3 *hunc Antigonus conservasset, si per suos esset licitum*, Hann. 8, 4 *cum multitudine adversariorum sui superarentur, quo cornu rem gessit, fuit superior.*

Superest, ut moneam Nepotem possessivum, quod est *suus*, saepe adiecisse, ubi consuetudo sermonis Latini id omittere sinebat, atque nonnumquam ita, ut positione pondus quoddam ei tribueret per sententiam non necessarium, cum id aut praemitteret aut ea verborum collocatione, quam adamavit, verbo inter substantivum et pronomen interiecto in fine subiceret. Sic saepissime posuit *cives suos*, velut Milt. 1, 1 (*cives possent sui*). 3, 5. 7, 4. 8, 1. Them. 8, 1. Lys. 4, 1. 4. 6, 3. Con. 2, 1. 4, 5. Iph. 3, 3 (*suorum civium*). Chabr. 3, 2 (*suorum civium*). Timoth. 1, 3. Ep. 3, 5. 7, 1 (*suorumque iniurias ferentem civium* et *cives sui*). Phoc. 2, 1 (*suorum civium*). Timol. 1, 3. Hann. 1, 2: praeterea *copias suas* Milt. 4, 2 (*suas copias*). 5, 4. Cim. 2, 3. Ag. 3, 1 (*omnis suas copias*). Eum. 9, 5 (*suas contraxisse copias*); *classem suam* Them. 3, 4, *classem constituisset suam* Alc. 8, 1; *milites sui* Eum. 3, 6; *naves suas* Hann. 11, 6; *patrem suum* Cim. 3, 1. Ep. 6, 2; *matris suae* reg. 1, 4. Att. 17, 1; *fratri suo* Dion. 9, 2; *sororis suae* Dion. 2, 4, *sororem germanam suam* Cim. 1, 2; *liberis suis* Phoc. 1, 3; *filiam suam* reg. 3, 3. Ham. 3, 2; *patruo*[1] *suo* Ag. 1, 4; *avunculi sui* Att. 22, 4; *privigno suo* 19, 4; *aequalibus suis* Ep. 2, 2. Att. 16, 1; *amicis suis* Milt. 3, 2. Pel. 1, 4; *collegas suos* Them. 7, 3; *imperatoribus suis* Lys. 1, 2; *sub sua retenturum potestate* Milt. 3, 2, *in suam potestatem* 4, 1, *in sua tenuit potestate* Cim. 2, 1; *de reditu suo* Alc. 5, 3; *dissidentis suos sensus* Dion. 8, 2; *consilium aperiretur suum* 8, 5; *iudicii sui*

Timoth. 4, 1; *periurio suo* Ag. 2, 5; *iter suum* Eum. 9, 6; *natali suo die* Timol. 5, 1; *studiis obsequendi suis* Att. 2, 2; *fortunarum traiecit suarum* 2, 3; *possessiones posset suas* 12, 2; *infinitas suas occupationes* Att. 20, 2. Seclusi, ut par erat, omnes eos locos, quibus maior quaedam vis inest in pronomine sententiae conveniens, velut Timoth. 3, 3, ubi *cum suis copiis* verbis *illorum adventu* et *suam classem* Charetis opposuit scriptor, item Lys. 1, 4 *ut omnes civitates in sua teneret potestate, cum id se Lacedaemoniorum causa facere simularet*, Dion. 6, 4 *omnia in sua potestate esse velle*, Att. 1, 3 *incitabat omnes studio suo,* alia; in quorum numero etiam haec pono: Timoth. 1, 3 *cuius partem domum suam ferre posset*, Ag. 7, 3 *nihil umquam domum suam contulit*, Timol. 4, 4 *Itaque suae domi sacellum Automatias constituerat,* Att. 13, 6 *domum suam omnium ordinum homines invitaret,* quibus accuratius privata aut ipsius hominis domus significatur, ut item Att. 9, 4 *tanta diligentia officium suum praestitit* ab ipso obeundum.

---

3 V.*)

Eum. 1, 1 paenitet me, quod adhuc haec retinui: *Huius si virtuti par data esset fortuna, non ille quidem maior, sed multo illustrior atque etiam honoratior, quod magnos homines virtute metimur, non fortuna.* Nam cum recte Paus. 5, 5 et Att. 21, 1 *est* adiecissem, quippe quod in narratione abesse non posset, et in editione maiore ad Thras. 3, 2 demonstrassem, quibus condicionibus *est* et *erat* a Nepote omitteretur, hic *fuisset* omitti potuisse statuere non debui, cuius rei nullum apud melioris quidem aetatis scriptorem exemplum est. *Fuisset* autem requiri, non, ut Fleckeiseno in Philol. IV. 331 visum est, *esset*, et ego post alios dixeram et Dietschius verbis *illustrior atque etiam honoratior* demonstrari monuit. Verum is falso ex *fuisset*, quod post *honoratior* addidit, ad superius *maior* intellegendum dixit *esset*, id quod forma orationis non patitur, et in hunc modum verba transposuit: *non ille quidem maior, quod magnos homines virtute metimur, non fortuna, sed multo illustrior atque etiam honoratior fuisset.* Qua transpositione Nepotem corrigi, ex cuius consuetudine sit, ut, quae sententia coniuncta sunt, interiectis quibusdam, quae forma orationis conectuntur, separet, satis multis exemplis in maiore editione ad hunc locum collectis probavi. Recte Lambinus, ut alia multa emendavit, quae ab insequentibus spreta sunt, sic hoc loco post *maior* adiecit *fuisset;* cuius exitus cum par esset proximo vocabulo, non difficilis error

*) [*Index schol. hib. a. 1870/71.*]

erat. Nam verba *non ille quidem maior* et *esset* admittunt et, quod propter sequentia necessarium est, *fuisset:* nam *maior fuisset* recte dicitur hac sententia *maior fuisse iudicaretur.* Etiam Ep. 2, 1 nunc Fleckeiseno assentior cum deterioribus codicibus scribendum esse *Natus*[1] *est igitur patre, quo diximus;* quo loco 4
non, ut falso olim statui, descriptio, sed narratio est.

3, 6 in Guelferbytano, Sangallensi, Ultraiectina scriptum est *Effecit etiam illud locorum praeoccupatione, ut equitatu potius dimicaret, quo plus valebat, quam peditatu, quo erat deteriore;* in Parcensi et aliis *deterior.* Quod qui probarunt, non reputaverunt Eumenem non potuisse dici *peditatu deteriorem*, dicendum fuisse *inferiorem,* quod in suo codice invenisse videri volebat Ernstius. Est hic locus cum aliis certo documento multo latiorem fuisse ablativorum qualitatis usum apud Latinos quam aut nostra consuetudo in eo dicendi genere, quod illi respondet, aut accurata ratio ferat. Cuius rei olim in maiore editione complura exempla ad hunc locum attuli, velut quod apud Nepotem quater legitur *aliquo periculo esse;* quibus locis aliisque sane difficile non est addere *in* praepositionem, at quomodo removebimus haec longe insolentiora, quae ibidem commemoravi: Cic. Phil. VIII. 6, 18 *cum suo magno esset beneficio,* ubi Halmius ascripsit ad fam. VII. 30, 3 *Acilius maximo meo beneficio est,* et Caecinae apud Cic. ad fam. VI. 7, 1 *qua quidem in re singulari sum fato,* cui simile est Persii 4, 27 *hunc dis iratis genioque sinistro?* Abhorrent a nostra consuetudine haec passive dicta: *aliqua gloria esse,* cuius tria Ciceronis exempla attulit Madvigius op. I. 193 (Nepotis est Ep. 2, 1 *non minore fuit in musicis gloria,* ut omittam Thras. 4, 1 ubi est de corona *nullam habuit invidiam magnaque fuit gloria,* auctor potest videri scripsisse *magnaeque fuit gloriae*), *ea tum erant fama* Nep. Eum. 3, 4, *rem esse insigni infamia* Cic. Att. I. 12, 4, *aliquo numero et honore esse* (exempla sunt apud Ramshornium § 140, 1 p. 417), *minore se invidia fore* Nep. Eum. 7, 2, *fanum Iunonis, quod tanta religione semper fuit* Cic. Verr. IV. 46, 103, *apud milites tanta caritate esse* Liv. I. 54, 4, *dum adipiscerentur dominationes, multa caritate, et maiore odio, postquam adepti sunt* Tac. XII. 30. Iam plane eodem modo, quo Nepos illo Eumenis loco, cuius causa haec disputavimus, Tacitus dixit H. II. 82 de Vespasiano *egregie firmus adversus militarem largitionem eoque exercitu meliore* et

ab exc. d. Aug. vi. 34 *claritudinem Arsacidarum contraque ignobilem Hiberum mercennario milite disserebat.* Constat igitur Latinos minus accurate locutos (nam hoc confiten|dum est) etiam res extra aliquem positas, quaecumque *habere* aliquis diceretur, quae ei acciderent et quae pateretur, ablativo qualitatis significasse. Quae cum ita sint, non video, cur eos idem fecisse negemus in iis, quae ad tempus animum permoverent, quae sententia fuit Madvigii l. c. non recte scripta iudicantis, quae leguntur apud Cic. ad fam. vi. 4, 4 *quanto fuerim dolore* et ad Att. v. 14, 2 *magno timore sum.*|

5, 1 in novissimis editionibus sic scripsi: *Haec dum apud Hellespontum geruntur, Perdiccas apud Nilum flumen interficitur a Seleuco et Antigene rerumque summa ad Antipatrum defertur. Hic, qui non deseruerant, exercitu suffragium ferente capitis absentes damnantur, in his Eumenes.* Nam cum antea *qui deseruerant* legeretur, quam id perverse diceretur (neque enim, si maxime exercitui tum suffragium ferenti, qui ipse magna ex parte Perdiccam deseruerat, desertores videbantur, qui ab illo non desciverant, certe neque aliis neque Nepoti videri poterant), in editione maiore monueram et postea, cum librariis proclivem errorem fuisse intellexissem, his potius quam Nepoti ineptissimam rem tribuendam ratus in tertia minore *non* adiciendum esse suspicatus eram. Qua mea coniectura non commemorata Dietschius, quam ignorasse videtur (quamquam idem de iis, quae spicilegii prioris p. 13 [*supra p. 16*] Hann. 6, 1 inserenda proposueram, etiam citato libro meo ita dixit, tamquam ipsius esset supplementum), *qui illum non deseruerant* scripsit. Quod etsi et ipsum verum esse potest, tamen hoc incommodum habet, quod excipiunt verba *Hac ille perculsus plaga* de Eumene (quae res Nepote non est indigna; at cur coniectura ei obtrudatur, causa nulla), deinde longius a codicum scriptura recedit et tollit exquisitiorem *deserendi* verbi usum. Cuius apud Ciceronem quidem incerta sunt exempla, et quod ego in maiore editione attuli et quod Io. Fr. Gronovius ad Sen. de ira ii. 10, 1, Verr. v. 42, 110 *'Prodiderat classem.' Quod ob praemium? 'Deseruerat'. Quid Cleomenes? 'Ignavus fuerat'. At eum tu ob virtutem corona ante donaras* et p. Sull. 28, 77 *quo in loco nobis vita ante acta proderit, quod ad tempus existimationis partae fructus reservabitur, si in extremo discrimine ac dimicatione fortunae deseret? si non aderit, si nihil*

adiu|vabit? (ita enim recte ex plerisque codicibus, nisi quod 6
deserit habent, ediderat Orellius, a quibus unus bonus Tegernseensis ita discedit, ut pro *in* praebeat *non;* quo facili errore abusus Halmius antea scripsit *si non extremo* et *deserviet*, postea retento *deseret* Richterum secutus *si nos in extremo*). Priore igitur loco sane intellegere licet *classem*, altero, quamquam id paulo difficilius fit, *nos* ex superiore *nobis*, neque tamen quicquam impedit, quominus absolute positum verbum illo sit '*er war davongelaufen*', hoc '*abtrünnig wird*', '*nicht stich hält*'. At dixit ita Livius VII. 25, 7, quem locum commemoravit Oudendorpius ad Lucani II. 728, *senatus contendere* (id enim proxime accedere videtur ad codicum scripturam *extendere*, recte a compluribus improbatam) *omnes imperii vires consules dilectu habendo iussit: civili quippe standum exercitu esse, quando socialis coetus desereret;* ubi *coetus* immerito offendit Gronovium et alios; neque recte a Weissenbornio explicatus est de universa sociorum multitudine, cum *coetus* sit congregata multitudo, conventus: dicuntur ita per contemptum *concilia populorum Latinorum ad lucum Ferentinae habita*, in quibus, ut paulo ante relatum est, *responsum haud ambiguum imperantibus milites Romanis datum, absisterent imperare iis, quorum auxilio egerent: Latinos pro sua libertate potius quam pro alieno imperio laturos arma.* Iam post Livium saepe hoc verbum absolute ponitur de militibus signa relinquentibus, velut a Seneca de ira II. 10, 1 (4) *In singulos severitas imperatoris destringitur: at necessaria venia est, ubi totus deseruit exercitus*, de tranq. an. 3, 4 (5) *Ergo si tempus in studia conferas, quod subduxeris officiis, non deserueris nec munus detrectaveris*, ep. 95, 35 *primum militiae vinculum est religio et signorum amor et deserendi nefas*, quae collegit Gronovius, idemque frequentem esse hunc usum monuit in titulo digestorum *de re militari* (loci sunt XLIX. 16, 3 §§ 7. 9; l. 5 pr. et §§ 1. 3; l. 13 § 5 apud Modestinum, Arrium Menandrum, Macrum) et locos quosdam adiecit ex declamationibus, quae Quintiliano tribuuntur: ex ipsius Quintiliani libris hos neglexit III. 6, 78 *Deserui tempestatibus, fluminibus, valetudine impeditus* et IX. 2, 85 *ire in aciem coactus deseruit*, quibus non sua verba Quintilianus posuit, sed antiquiorum rhetorum. Denique latiore rursus significatu Plinius dixit ep. III. 5, 8 *Erat sane somni*
paratissimi, nonnumquam| etiam inter ipsa studia instantis et de- 7

serentis, quem locum cum aliis extremae aetatis attulit Cortius ad Lucani II. 728. Ita igitur Nepos quoque cum indignatione quadam et acumine eos, qui non deseruissent, condemnatos videtur dixisse ab iis, qui re vera essent desertores.

6, 1 quae in codicibus scripta sunt *Ad hunc Olympias, mater quae fuerat Alexandri, cum litteras et nuntios misisset in Asiam consultum, utrum repetitum in Macedoniam veniret* (*nam tum in Epiro habitabat*) *et eas res occuparet, huic ille primum suasit, ne se moveret et exspectaret, quoad Alexandri filius regnum adipisceretur*, olim ita explicavi, ut ad *repetitum* ex sequentibus *Macedoniam* cogitatione adiciendam dicerem et haec compararem Cic. ad Att. II. 8, 1 *scito Curionem adolescentem venisse ad me salutatum*, Caes. b. G. v. 26, 2 *magna manu ad castra oppugnatum venerunt;* neque nunc id reprehenderim, quod hoc loco supinum praecedit. Verum Olympias non repetebat Macedoniam, sed totius regni ab Alexandro relicti administrationem, quae neque a Nepote neque a quoquam umquam Macedonia appellata est, neque hoc reginae consilium fugisse Nepotem ex iis apparet, quae § 4 scripsit *Id quo facilius faceret, se omnibus praefectis, qui in officio manebant, misisse litteras, ut ei parerent.* Nihil igitur egerunt, qui *in* omiserunt; quo facto praeterea, cum, quo ventura fuisset Olympias, non declararetur, in Asiam ad Eumenem profectura fuisse existimanda esset: aliud enim nihil ex reliqua sententia supplere licet. Neque *repetitum* absolute poni potuit, quemadmodum Nauckio visum est, ut esset *ius suum repetitum*. Adieci igitur *regnum*, quod inter *utrum* et *repetitum* ob proximarum litterarum similitudinem facile excidere poterat. Recte autem *regnum* hic dicitur, quamquam in tempus eius administrationem susceptura erat Olympias, donec Alexandri filius per aetatem succedere posset, non *procuratio regni*, quae regina poterat indigna videri; et ipsi Perdiccae 2, 2 Alexander dicitur *regnum commisisse*. Neque *repeti* recte dici rem debitam et iniuria retentam post Gesneri thesaurum est, qoud exemplis comprobem.

8, 2 *Namque illa phalanx Alexandri Magni, quae Asiam peragrarat deviceratque Persas, inveterata cum gloria tum etiam*
8 *licentia, non parere se*[1] *ducibus, sed imperare postulabat.* Admonet hic locus, ut paulo accuratius, quam adhuc factum est, de accusativo cum infinitivo disputem verbis studium vel vo-

luntatem significantibus adiuncto. Pervagatum est autem, ut his verbis accusativus cum infinitivo adiungatur, cuius aut infinitivus est passivus aut subiectum aliud atque verbi accusativum cum infinitivo regentis. Quarum rerum adeo frequentia sunt exempla, ut hic Nepotis tantum ponenda putem. Milt. 8, 4 *populus maluit illum innoxium plecti,* Paus. 2, 3 *seque tecum affinitate coniungi cupit,* 4, 4 *huic indici, quid fieri vellent, praeceperunt,* 5, 1 *qui eum admoneri cupiebat,* Alc. 10, 3 *violare clementiam quam regis opes minui maluit,* Con. 5, 2 *potius patriae opes augeri quam regis maluit,* Dion. 9, 5 *qui se metui quam amari malunt,* Ep. 4, 5 *quo se deduci vellet,* Timol. 3, 4 *maluit se diligi quam metui,* Hann. 12, 3 *ne id a se fieri postularent,* Them. 6, 4 *Quare eos quam infirmissimos esse volebant,* Ar. 3, 1 *Id enim commune aerarium esse voluerunt,* Timol. 2, 2 *cuius benignitatis memoriam volebat exstare,* 4, 3 *quod, cum Siciliam recreare constituissent, tum se potissimum ducem esse voluissent,* Att. 21, 5 *Id vos ignorare noluit,* Ep. 7, 5 *Hanc* (legem) *Epaminondas cum rei publicae conservandae causa latam videret, ad perniciem civitatis conferre noluit.* Ita enim hic Epaminondae locus explicandus est, ut ad infinitivum *conferre* ex superioribus addatur accusativus subiecti *hanc.* Mire enim Epaminondas ad perniciem civitatis conferre diceretur, cum legi oboediret; quod autem nonnulli commenti sunt, legem ab Epaminonda ad perniciem civitatis conferri dici, neque sententiam meliorem habet neque Latine dici poterat, ut studium, opera conferri dicitur. Minus saepe illis verbis adiungitur accusativus cum infinitivo, cuius et idem est subiectum atque verbi accusativum cum infinitivo regentis et infinitivus activus: qua compositione optimi quique scriptores, ut Cicero, Caesar, itemque, ni fallor, Livius, ita tantum usi sunt, ut infinitivus statum vel condicionem vel casum, id, quod aliquis pateretur, quod ei eveniret, significaret; et recte Madvigius artis § 389 nota 4 frequentissime ita *esse* poni dixit. Ex quo genere haec sunt. Plaut. Trin. 365 *qui se fictórem probum Vitae agundae esse expedit,* Capt. III. 5, 81 *Cur ego te invito me esse salvum postulem?* Truc. I. 2, 39 *An tu te Veneris publicum aut Amoris alia lege Habere posse postulas?*[1] Asin. 121 *moriri sese misere mavolet,* 183 *Vult placere sese amicae,* Most. III. 1, 100 *id me scire expeto*; Ter. Eun. 66 *Mori me malim*; Cic. Cat. I. 2, 4 *Cupio me esse clementem, cupio in tantis rei publicae periculis me non dissolutum videri,* III. 10, 25 *non illi*

nullam esse rem publicam, sed in ea, quae esset, se esse principes, neque hanc urbem conflagrare, sed se in hac urbe florere voluerunt, p. Sull. 2, 5 *An vero, in quibus subselliis haec ornamenta ac lumina rei publicae viderem, in his me apparere nollem?* p. Arch. 5, 10 *quod semper se Heracleensem esse voluit*, p. Sest. 45, 96 *alteri se populares, alteri optimates et haberi et esse voluerunt*, p. Planc. 33, 80 *nihil est, quod malim, quam me et esse gratum et videri*, ad fam. I. 9, 18 *qualem me et esse et numerari volo*, v. 8, 3 *eum me esse cupio*, ad Brut. I. 10, 3 *tantum quisque se in re publica posse postulat, quantum habet virium*, de or. I. 24, 112 *quo praesente ego ineptum esse me minime vellem*, 47, 204 *ut nihil mallent esse se quam bonos viros*, Br. 73, 257 *ego me Phidiam esse mallem quam vel optimum fabrum tignarium*, or. 25, 83 *non se parcum solum, sed etiam elegantem videri volet*, 33, 117 *iudicem esse me, non doctorem volo*, de re p. III. 17, 27 *qui dubitet, utrum se esse malit*, de fin. II. 31, 102 *quem se ille esse vult*, Cat. m. 20, 73 *Vult se esse carum suis*, de off. I. 19, 65 *principem se esse mavult quam videri*, 31, 113 *cum in omni sermone omnibus affabilem esse se vellet*, 32, 117 *constituendum est, quos nos et quales esse velimus*, II. 20, 70 *gratum se videri studet*, III. 17, 71 *eaque malitia, quae vult illa quidem videri se esse prudentiam*; Caes. b. c. III. 80, 3 *cum se victoriae Pompeii comitem esse mallet quam socium Caesaris in rebus adversis*; Nep. Milt. 8, 4 loco iam supra allato *populus maluit illum innoxium plecti quam se diutius esse in timore*, Att. 20, 5 *cum se uterque principem non solum urbis Romae, sed orbis terrarum esse cuperet*; Sall. Cat. 1, 1 *Omnes homines, qui sese student praestare ceteris animalibus*, Iug. 14, 3 *vellem potius ob mea quam ob maiorum meorum beneficia posse me a vobis auxilium petere* (ita enim in omnibus fere codicibus legitur; in Vaticano, qui vulgaria sequi solet, *me* omissum, in uno bono primum errore *possem a* scriptum, sed deinde verum restitutum est); Liv. III. 68, 11 *ma-*
10 *lae rei se quam nullius, tur*[1]*barum ac seditionum duces esse volunt*, XXII. 50, 7 *qui se bene mori quam turpiter vivere maluit*. Quod autem illo Eumenis loco, cuius causa haec disputavimus, Nepos fecit, ut accusativum cum infinitivo poneret, cuius subiectum idem esset atque verbi accusativum cum infinitivo regentis et infinitivus actionem significaret, in eo, ut in multis aliis rebus, usum comicorum retinuit vel potius familiaris et co-

tidiani sermonis suae quoque aetatis consuetudinem. Saepissime enim ita dixit Plautus, velut Trin. 237 *Numquam amor quemquam nisi cupidum postulat se hominem in plagas Conicere*, 324 *res quaedam est, quam volo Ego me abs te exorare*, Capt. III. 5, 59 *Quid? tu una nocte postulavisti et die Recens captum hominem, nuperum et novicium Te perdocere?* IV. 2, 76 *Quin ita faciam, ut tu te cupias facere sumptum, etsi ego vetem*, Cas. I. 39 *quod te postules Gustare quicquam*, 53 *Nunc ne tu te mihi respondere postules*, Pseud. 167 *Magnifice volo me viros summos accipere*, Stich. 80 *Si manere hic sese malint quam alio nubere*, Men. 443 *qui hero me postulem moderarier*, Asin. 67 *Atque ego me id facere studeo*, Ep. I. 2, 17 *Sed operam Epidici nunc me emere pretio pretioso velim*. Quorum exemplorum partem collegit Schoppius Suspectarum lectionum IV. 19, alia Brixius ad Trin. 237, qui cum recte compluribus locis *tu te* posuisset, nescio quo modo Capt. IV. 2, 76 *tute* reliquit. Eadem forma coniuncta cum altera utra earum, de quibus supra diximus, usi sunt Nepos Timoth. 4, 3 *ut mallet se capitis periculum adire quam Timotheo de fama dimicanti deesse*, Ter. Eun. prol. 1 *qui placere se studeat bonis Quam plurimis et minime multos laedere*, Sall. Cat. 7, 6 *se quisque hostem ferire, murum ascendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat*. Accusativi cum infinitivo *postulandi* verbo adiuncti, quae compositio post Plautum non adeo frequens est, iis exemplis, quae supra iam allata sunt (Cic. ad Brut. I. 10, 3. Nep. Eum. 8, 3. Hann. 12, 3) haec addo, quae infinitivum passivum habent. Ter. Ad. 879 *Ego quoque a meis me amari et magni pendi postulo;* Cic. de inv. I. 32, 53 *postulabimus nobis illud, quod dubium sit, concedi*, Verr. III. 60, 138 *Hic postulat se Romae absolvi*, 139 *qui postulet ibi de tua existimatione iudicium fieri.*[1]

Multas variasque sententias protulerunt, qui de discrimine 11
dixerunt, quod intercederet inter infinitivum et accusativum cum infinitivo verbis studium vel voluntatem significantibus adiuncto, velut Haasius ad Reisigii scholas nota 603 quosque is commemorat, Ellendtius ad Cic. de or. I. 21, 112, Nauckius ad Nep. Milt. 8, 4, quocum consentit Weissenbornius ad Liv. III. 68, 11, cum rectiora protulisset artis suae § 318 nota 1. Sed illos refutare et longum neque necessarium est, cum, quae opinati sunt, neque naturae accusativi cum infinitivo neque usui scrip-

torum accommodata sint. Discrimen non est in sententia positum, sed in sola ratione grammatica. Recte Madvigius dixit accusativo cum infinitivo rem, quae cupiatur, magis separari a verbo regente et eius subiecto, et ex hac parte haec compositio affinis est *ut* particulae cum coniunctivo vel simplici coniunctivo illis verbis adiuncto, nisi quod accusativus cum infinitivo nihil praeter rem cupitam significat, altera structura finis notionem adicit. Inde apparet, cur elegantior consuetudo abstinuerit ab accusativo cum infinitivo, ubi de actione subiecti cupientis dicebatur: haec enim inter se artissime coniuncta sunt, cum, quid alii agant et quid ipsi patiamur aut quid nobis eveniat, plerumque non sit in nobis positum.

11, 3 quae in codicibus leguntur *non enim hoc convenire Antigoni prudentiae, ut sic deuteretur victo,* non est probabile ita a Nepote esse scripta, quia *deutendi* verbum hoc uno loco legitur, in promptu autem erat usitatissimum *abutendi.* Lambinus coniecit *se uteretur,* mihi Nepos scripsisse visus est *uteretur devicto,* ut hic simile mendum irrepserit atque Hann. 5, 2, ubi in codicibus scriptum est *Quo repentino obiectu viso,* in Ultraiectina *obiecto viso,* a Nauckio optime correctum *obiecto visu.*

Phoc. 4, 1 tenui, quae in codice *B* scripta fuerunt: *Huc perventum est, cum propter aetatem pedibus iam non valeret vehiculoque portaretur. Magni concursus sunt facti, cum alii, reminiscentes veteris famae, aetatis misererentur, plurimi vero ira exacuerentur propter proditionis suspicionem Piraei maximeque, quod adversus populi commoda in senectute steterat.* Hic priora
12 sane pau|lum ab usitata ratione dicendi recedunt, cui haec fere forma accommodata esset *Huc ita perventum est, ut, cum propter aetatem pedibus iam non valeret, vehiculo portaretur;* verum totum id, quod nos in his leviter offendit, in eo versatur, quod vis particulae *cum* non statim ab initio legenti perspicua est, sed perlecto demum enuntiato percipitur: per se rectissime hac particula significatur, qua condicione Phocion Athenas pervenerit. In Parcensi autem et Ultraiectina (nam de Danielino non constat) post *huc* additur *ut.* Quo recepto illud enuntiatum *cum propter aetatem — portaretur* nequaquam ad sequentia referre licet, cum, quae illo traduntur, in causa non fuerint, cur magni concursus fierent: nihil igitur in ea re, de qua antea diximus, commutaretur, sed perspicuitas orationis sine dubio turbaretur.

Itaque hoc *ut*, ut non pauca in eo libro, ex quo Leidensis, Parcensis, Ultraiectina descendunt, interpolationi deberi videtur, qua falso aliquis id removeri putabat, de quo diximus; neque maior hoc loco illorum librorum auctoritas est quam deteriorum quorundam codicum, in quibus *Huc ubi perventum est* legitur. Simili interpolatione, sed minus perspicua de causa paulo ante 3, 4 in codice *B* scriptum est *Hic cum ab Agnone accusatus*, ubi *cum* Gifaniani auctoritate sublatum est.

Ea, quae modo attulimus, in maiore editione mea haec excipiebant: *Qua de re ne perorandi quidem ei data est facultas et dicendi causam in iudicio; legitimis quibusdam confectis damnatus, traditus est undecimviris.* Quorum verborum postrema cur ita constituenda essent, satis exposui spicilegii prioris p. 63 [*supra p. 72*] neque nunc de his sententiam mutavi aut iis, quae ibi disputavi, quicquam addendum puto. Prima *qua de re* primus intellexi non posse cum *perorandi* verbo coniungi et ita explicari, Phocioni non licuisse de hac re perorare. Nam quae res proxime ante haec verba commemorata est, *quod adversus populi commoda in senectute steterat*, de ea illi omnino perorandum non erat, cum in iudicium adductus esset, *quod Piraeum Nicanori prodidisset*, ut relatum est c. 3, 4; et si vel maxime illa *qua de re* referre liceret ad superiora *propter proditionis suspicionem Piraei*, quod fieri non potest, ne sic quidem apta sententia nasceretur. Neque enim qua de re Phocioni perorare non licuisset, dicendum erat, sed perorare ei non licuisse. Itaque in maiore editione eo confugi, ut *qua de re* idem significare dice- 13
rem atque *qua de causa*, et laudavi locum b. Hisp. 24, 4. *Quo de facto cum utrorumque copiae tumulum excellentem petissent.* Minus tum attenderam ad scripturam codicis Guelpherbytani, in quo legitur *quo harene perorandi;* quod cum totidem litteris postea in Parcensi inventum sit, dubium non est, quin in codice archetypo scriptum fuerit. Itaque statim in minoribus editionibus posui *quare*. Nam cum errore scriptum esset *quo*, huic *a* littera aut suprascripta aut in margine apposita est, *h* autem illa aut signum quoddam est correctioni adiectum aut a librario addita, quia *harenam* sibi tenere videbatur. Alius ex his *qua de re* effecit, quod reliquos codices familiae *B* occupavit.

Timol. 3. 3 male obsecutus Nauckio in editione anni 1867 ita distinxi: *Arcem, Syracusis quam munierat Dionysius ad urbem*

obsidendam, a fundamentis disiecit. Falsum est enim, quod ille contendit, dicere non licuisse *arcem Syracusis* pro *arce, quae fuerit Syracusis*, vel *Syracusarum* vel *Syracusana.* Quod etsi frequens non est dicendi genus, legimus tamen apud Cic. ad Att. I. 6, 1 *Domum Rabirianam Neapoli, quam tu iam dimensam et exaedificatam animo habebas, M. Fonteius emit* et Verr. v. 26, 65 *Homines maritimi Syracusis, qui saepe istius ducis nomen audissent, saepe timuissent, cum eius cruciatu atque supplicio pascere oculos animumque exsaturare vellent, potestas aspiciendi nemini facta est;* quibus locis nemini in mentem venire potest locativum alio quam ad proximum vocabulum referre. Neque haec diversa sunt ab his, quae leguntur apud Nep. Att. 20, 3: *cum aedis Iovis Feretrii in Capitolio, ab Romulo constituta, vetustate atque incuria detecta prolaberetur*, ubi hanc compositionem ipse probavit Nauckius (quamquam falsa de causa, quod scilicet Romuli temporibus Capitolium non fuisset; vera haec est, quod duae res scriptori erant declarandae, et quo loco fuisset templum et quam venerabili origine) et *pugnam apud Salamina* et alia pervagatissima contulit. Sic in origine significanda tribum semper ablativo casu nomini adiungi notum est; Cic. p. Cluent. 13, 36 dixit *Fuit Avillius quidam Larino*, ubi *Larino* cum *fuit* coniungere non licet, in dete-
14 rioribus codicibus positum est *Larinas* (nam 69,[1] 197 *Teano Apulo atque Luceria equites Romanos, homines honestissimos, laudatores videtis* ablativus pertinet ad *videtis*, quod breviter dictum est pro *adesse videtis*), p. Rosc. Am. 27, 74 *quos homines? indidemne Ameria an hosce ex urbe sicarios? Si Ameria, qui sunt ii? si Roma, unde eos noverat Roscius?* Nep. Ep. 5, 2 *Menecliden quendam, indidem Thebis*, Caes. b. c. I. 24, 4 *N. Magius Cremona*, III. 71, 1 *C. Fleginatem Placentia, A. Granium Puteolis, M. Sacrativirum Capua*, Livius I. 50, 3 *Turnus Herdonius ab Aricia*, IV. 3, 11 *Tarquinium, incolam a Tarquiniis*, VI. 12, 6. 13, 8. 17, 7 *coloni a Velitris*, Plautus Merc. 940 *Video ibi hospitem Zacyntho*, Asin. 499 *Periphanes Rhodo mercator dives*, Ter. Andr. 833 *Illam hinc civem esse aiunt*, 892 *qui illam civem hinc dicant*, Eun. 234 *Conveni hodie adveniens quendam mei loci hinc atque ordinis*, ad quod exemplum Plauto restitutum est Trin. 326 *adulescenti hinc*, 359 *Lesbonico hinc adulescenti*, quibus locis in libris est *huic*, restituendum adhuc 872 *Lesbonicum hinc adulescentem quaero in his regionibus, Ubi habitet*, ubi *hic* legitur, cuius concursum cum

verbis *in his regionibus* ita vitare student editores, ut haec ad sequentia trahant.

De Reg. 1, 1, ubi in codicibus, nisi quod *Graeciae* habent, haec leguntur: *Hi fere fuerunt Graecae gentis duces, qui memoria digni videantur*, errarunt, qui Nepoti aut *viderentur* vel *videbantur* aut *sunt* scribendum fuisse dixerunt. Duplex in verbo *fuerunt* sententia inesse potest. Nam et hoc significare ita Nepos poterat, iis, quae antea legerentur, se absolvisse, quae de Graecae gentis ducibus memoria dignis exponenda fuissent, et hoc, praeter illos, qui antea commemorati essent, nullos fuisse Graecae gentis duces memoria dignos. Utrum eligimus, recte ponitur *videantur*, cum id significetur, quod eo tempore, quo haec scribebat Nepos, omnibus videretur. Quod si *viderentur* vel *videbantur* posuisset, aut de illo tempore diceret Nepos, quo eorum vitam exposuisset, quid sibi tum esset visum, aut quid tum, cum illi vixissent, de iis iudicatum esset; quorum hoc ineptum erat, cum posteritatis iudicium longe sit gravissimum, illud sane fieri poterat et saepe in simili re factum est, cum scriptoris iudicium idem esse, quod antea fuerit, praesertim non magno aut nullo potius inter|cedente temporis intervallo, per se intellegatur. 15
Quod si quaerimus, utra sententia verbum *fuerunt* positum existimemus, praeferenda est sine dubio simplicissima, quam altero loco commemoravimus, cui coniunctivum praesentis unum vidimus accommodatissimum esse. Qui autem coniunctivo praesentis legem de consecutione temporum, quae dicitur, violari putarunt, naturam enuntiati relativi non satis perspectam habuerunt. Nam haec enuntiata relativa, quibus, quomodo aliquid comparatum sit, significatur (in quibus *qui* est *talis*, *ut*), apertum est enuntiata esse consecutiva. Ad haec autem non pertinet illa lex, quae tamen ne in reliquis quidem exceptione caret, ut enuntiata ex verbo praeteriti temporis apta tum quoque imperfectum habeant, cum etiam de praesenti dicatur.

---

3 VI.*)

Hann. 4, 4 cum in libris scriptum esset *P. Servilium Geminum*, itemque Cat. 1, 2 *P. Claudii Neronis*, quorum illi *Gnaei*, huic *Gaii* praenomen fuisse constaret, postquam haec librariis potius quam Nepoti tribuenda visa sunt (item ut Hann. 12, 1 *L. Quintius Flamininus* pro *Tito* positus), in minoribus editionibus aliquando, quia *Cn.* et *C.* a librariis in *P.* corrupta esse non satis probabile putabam, praenomina omisi: nunc ita statuo, illud *p.* ut omnium praenominum notam pro singulis praenominibus, quae scribere non liberet, a librario esse positam. Nepos enim, ubi primam aliquo loco hominis alicuius Romani mentionem facit, constanter praenomen apponit, nisi ille est notissimus. Sic dixit *adulescentem Marium* Att. 2, 2 (quamquam est *C. Marius filius* 1, 4), *Sullam* 4, 1. 2. 16, 1, *Ciceronem* 4, 4. 5, 4. 9, 3. 10, 1. 4. 16, 2. 4. 18, 6 et in fragmento Guelpherbytano, *Cicerones* 15, 3 (*M. Cicero* est Att. 1, 4. 5, 3. 16, 1), *Catonem* 15, 3, *Pompeium* 7, 1. 3, *Caesarem* 7, 3. 8, 1. 3, *Brutos et Cassium* 8, 1, *Brutum et Cassium* 8, 5, *Brutum* 8, 3. 4. 6. 9, 3. 10, 1. 11, 4 (*M. Brutum* dixit 8, 2. 16, 1. 18, 3, *C. Cassium et M. Brutum* 11, 2), *Antonium* 8, 5. 9, 2. 3. 6. 10, 1. 4. 12, 4. 20, 5 (*M. Antonium* 12, 2. 20, 4), *adulescentem Caesarem* 12, 1 eundemque *Caesarem* 19, 3, 4. 20, 3. 5, *Agrippam* 19, 4. 21, 4 (*M. Vipsanium Agrippam* 12, 1), *Lucretium Catullumque* 12, 4. Item, ut homo litteris notus, Hann.

*) [*Index schol. aest. a. 1871.*]

13, 1 historicus *Sulpicius Blitho* sine praenomine appellatur, ibidem eadem de causa *Atticus*; quem Nepos cum praef. 1 familiariter *Attice* allocutus esset, ubi praeter hos locos et vitam ipsius commemoravit, Cat. 3, 1 *Huius de vita et moribus,* inquit, *plura in eo libro persecuti sumus, quem separatim de eo fecimus rogatu T. Pomponii Attici.* Unum mirum est, quod Att. 18, 3 haec leguntur: *Fecit hoc idem separatim in*[1] *aliis libris, ut M.* 4 *Bruti rogatu Iuniam familiam a stirpe ad hanc aetatem ordine enumeraverit, notans, qui a quoque ortus quos honores quibusque temporibus cepisset, pari modo Marcelli Claudii de Marcellorum, Scipionis Cornelii et Fabii Maximi Fabiorum et Aemiliorum.* Videtur hic eum morem secutus esse Nepos, quo illi homines ab aequalibus nominari soliti sunt, quamquam tres Marcelli fuerunt Attici fere aequales, sed ex his unus, quem hic significari verisimile est, ceterorum superstes et eo tempore, quo Nepos haec scribebat, propter affinitatem Augusti notissimus.

7, 4, quem locum iam in praefatione editionis anni 1867 tetigi, haec scripta sunt: *Huc ut rediit, praetor factus est, postquam rex fuerat, anno secundo et vicesimo. Ut enim Romae consules, sic Carthagine quotannis annui bini reges creabantur.* Hic primum ineptum est de regibus Carthaginiensium legentes verbis *Ut enim Romae consules* et q. s. accuratius edoceri, de praetore nihil adici, cum illi antea obiter commemorati sint, hic in ea re, quae narratur, primarium locum obtineat. Deinde hic unus locus est, quo praetor Carthaginiensium, cui quidem domi res publica administranda esset, a rege diversus fuisse tradatur. Nam Livius XXXIII. 46, 3 ubi de iisdem rebus atque Nepos tradens item *praetorem* vocat Hannibalem, recte existimatur hac voce *regem* vel *sufetem* significasse; qui ipsa Punica voce usus XXX. 7, 5 *Senatum itaque sufetes, quod velut consulare imperium apud eos erat, vocaverunt*, XXXIV. 61, 15 *cum sufetes ad ius dicendum consedissent* et de Gaditanis XXVIII. 37, 2 *sufetes eorum, qui summus Poenis est magistratus*, neque *praetorem* Carthaginiensium quemquam praeter sufetem neque sufetem Latino vocabulo alio quam *praetoris* videtur appellasse. Neque enim in iis, quae XXVIII. 30, 4 leguntur *comprensosque omnis Mago Adherbali praetori Carthaginem devehendos tradit,* erat, quod Weissenbornius dubitaret, utrum dux an sufes significaretur, et in periocha libri L *Carthaginienses Hasdrubalem, Masinissae nepotem, quem praetorem*

habebant, hominem proditionis suspectum, in curia interemerunt recte Hendricum secutus Drakenborchius sufetem intellexit. Nam alterum Hasdrubalem, quem, cum illi Masinissae nepoti interitum machinatum esse τὴν τῆς πόλεως[1] στρατηγίαν προσλαβεῖν ἐπειγόμενον Appianus Pun. 111 extr. tradat, necato Masinissae nepote omnia eius munera suscepisse vel maxime verisimile est, Orosius IV. 23 *regem* eiusque uxorem *reginam* appellat: neque obstat, quod apud eundem superiore capite *Hasdrubal, Poenorum imperator, Masinissae nepos* legitur et antea Carthaginienses duos Hasdrubales duces sibi creasse narratur, de qua re accuratius tradit Appianus Pun. 93 στρατηγοὺς δὲ εἵλοντο τῶν μὲν ἔξω πράξεων Ἀσδρούβαν, ᾧ θάνατος ἐπικήρυκτος ἦν — ἐντὸς δὲ τειχῶν ᾑρέθη στρατηγὸς ἕτερος Ἀσδρούβας, θυγατριδοῦς Μασσανάσσου; immo quod hunc Appianus c. 111 τὸν ἄρχοντα τῆς πόλεως appellat, potest et ipsum quodammodo eum sufetem fuisse significare. Aristoteles enim Pol. II. 11 (p. 1273b, 8 ap. Bekk.) Φαῦλον δ᾽ ἂν δόξειεν εἶναι, inquit, καὶ τὸ πλείους ἀρχὰς τὸν αὐτὸν ἄρχειν, ὅπερ εὐδοκιμεῖ παρὰ τοῖς Καρχηδονίοις. Neque pauci commemorantur, qui simul et reges et imperatores fuerunt, velut Hamilcar, qui bellum cum Therone et Gelone gessit, quem Herodotus VII. 165 vocat στρατηγὸν Ἀμίλκαν τὸν Ἄννωνος, Καρχηδονίων ἐόντα βασιλέα, Diodorus XI. 20 στρατηγόν, Polyaenus I. 27, 2 (cui est Ἰμίλκων) βασιλέα, Hannibal, Gisgonis filius, apud Diod. XIII. 43, Himilco apud eundem XIV. 54, quem *imperatorem* appellat Iustinus XIX. 2, 7. 3, 1, *regem* item Orosius IV. 6, Mago apud Diod. XV. 15, qui etiam Hamilcarem, quem XV. 29 τῶν ἐν Σικελίᾳ δυνάμεων στρατηγόν dixerat, c. 33 βασιλέα appellat; denique Bomilcar, dux adversus Agathoclem, de quo Diodorus tradit XX. 10. 12. 43, *rex Poenorum* dicitur a Iustino XXII. 7, 7, et *Adherbal* ille *praetor* a Livio XXVIII. 30, 4 commemoratus, de quo supra diximus, cum classi praefuerit, et sufes et imperator fuisse existimandus est. Uno loco apud Livium imperatores Carthaginiensium *praetores* dicuntur, XXI. 3, 4 *nos tamen minime decet iuventutem nostram pro militari rudimento assuefacere libidini praetorum,* verum ibi rectissime Aldus scribendum dixit et Iuntina recepit *imperatorum*. Neque recte Weissenbornius eosdem imperatores a Livio *reges* dictos iudicavit: nam in iis, quae subsequuntur, quibus hoc probari putat, *An hoc timemus, ne Hamilcaris filius nimis sero imperia immodica et regni paterni*

speciem videat, et cuius regis genero hereditarii sint relicti exercitus nostri, eius filio parum mature serviamus? in his igitur *rege* et *regno*, ut saepe, nimiam et tyrannicam potentiam significari apparet. Imperatores[1] Carthaginiensium a nullo antiquo 6 scriptore *reges* appellati sunt, nisi qui utroque magistratu simul fungebantur; Livius ne sufetes quidem *reges* dixit.

Sed ut falso *praetorem* Carthaginiensium a *rege* discerni existimemus, haec accedunt. Zonaras sive potius Cassius Dio, in cuius reliquiis eius rei vestigia supersunt fr. 57, 86 apud Bekkerum, postquam de pace retulit, qua bellum Punicum secundum compositum est, haec subiungit ix. 14 extr.: Ἀννίβας δὲ κατηγόρητο παρὰ τοῖς οἰκείοις ὡς τήν τε Ῥώμην λαβεῖν δυνηθεὶς καὶ μὴ θελήσας καὶ τὴν λείαν τὴν ἐκ τῆς Ἰταλίας σφετερισάμενος. Οὐ μὴν καὶ ἑάλω, ἀλλὰ καὶ τὴν μεγίστην τῶν Καρχηδονίων ἀρχὴν οὐκ εἰς μακρὰν ἐπετράπη, et narrationem de fuga Hannibalis ad Antiochum c. 18 (ii. 257 ed. Bonn.) his verbis ingreditur: Ἀννίβας δὲ τὴν μεγίστην τῶν παρὰ Καρχηδονίοις ἀρχῶν εἰληφὼς καὶ προσκρούσας ἀπ᾽ αὐτῆς τοῖς δυνατωτάτοις ἐμισήθη τε ὑπ᾽ αὐτῶν καὶ πρὸς τοὺς Ῥωμαίους διεβλήθη. Iustinus autem xxxi. 2, 6, cum profectum esse Hannibalem narrasset, *Postera die*, inquit, *civitas principem suum ac tum temporis consulem in foro expectabat.* Quae quis aliter intellegere potest, nisi Hannibalem finito secundo bello Punico sufetem esse factum, cum Aristoteles Pol. ii. 11 reges et imperatores Carthaginiensium identidem vocet τὰς μεγίστας τῶν ἀρχῶν, sufetes Livius *summum Poenorum magistratum* et *velut consulare imperium*, apud Paulum denique p. 308 haec legantur *Sufes consul lingua Poenorum.* In hoc reliquorum scriptorum omnium consensu nihil est ineptius sententiis Hendrici et Klugii, qui hoc uno Nepotis loco moti ille in *Carthagine sive Carthaginiensium re publica* p. 316 praeturam Carthaginiensium maiorem fuisse magistratum quam sufetum, hic in libro, qui inscriptus est *Aristoteles de politia Carthaginiensium* p. 96, novum hunc et extraordinarium magistratum, ceteris maiorem Hannibali esse mandatum statuerunt. Quem, ut cetera omittamus, quis Romanus scriptor *praeturam* dixisset? Nam cum sufetes consulibus compararentur, necessario praetor, si a sufete diversus fuisset, Romani praetoris similis fuisse existimandus esset. Is autem consule minor fuit. Atque haec ipsa res aliud argumentum nobis subministrat, cur hunc magistratum a sufe-

tibus diversum apud Carthaginienses nullum fuisse iudicemus. Hunc enim praetorem Carthaginiensem domi item ut Romanum iurisdictioni praefuisse necesse esset, id quod ego olim in ma-
7 iore editione statui. At hoc ipsum munus fuisse[1] sufetum et nomen eorum indicat, quo *iudices* significantur (quo eodem nomine consules Romani ante institutam praeturam appellabantur), et Livii locus ex XXXIV. 61, 15 supra allatus demonstrat. Praeterea quae et Nepos deinceps § 5 et Livius XXXIII. 46, 8 de vectigalibus et aerario Carthaginiensium ab Hannibale melius administrato referunt, aut quaestori aut summo magistratui sufeti conveniunt.

Denique ipsa illa, quae apud Nepotem ita adiunguntur, tamquam *rex* Carthaginiensium a *praetore* diversus fuerit, *postquam rex fuerat, anno secundo et vicesimo*, vera non sunt. Quae Klugius p. 73 et 97 perverse de aetate Hannibalis intellexit, cum intervallum inter utramque dignitatem interiectum significari appareat. Quo temporis spatio si rex fuisset Hannibal, aliqua eius rei significatio, si non apud reliquos scriptores, certe apud Polybium inveniretur: non fuisse, antequam Carthaginem rediret, silentium omnium evincit. Quid autem apertius est quam eum, qui haec scripserit, falso *regem* pro *imperatore* posuisse? Nam inter annum p. Ch. n. 221, quo imperator factus est Hannibal, et annum 199, qui proximus est post P. Sulpicium C. Aurelium consules, post quos consules Hannibalem domum revocatum praetorem esse factum apud Nepotem legimus, ipsi illi duo et viginti anni intercedunt.

Ex iis, quae proximis verbis traduntur: *Ut enim Romae consules, sic Carthagine quotannis annui bini reges creabantur*, hoc, binos fuisse reges Carthaginiensium, item hoc uno loco certa significatione declaratur; cum tamen Aristoteles reges Carthaginiensium comparet cum regibus Lacedaemoniorum (ἔχει, inquit Pol. II. 11, ἡ Καρχηδονίων πολιτεία τοὺς βασιλεῖς καὶ τὴν γερουσίαν ἀνάλογον τοῖς ἐκεῖ βασιλεῦσι καὶ γέρουσιν), Livius, Iustinus, Paulus Diaconus cum consulibus Romanorum, neque dubitavit de ea re quisquam neque dubitandum est. In diversas partes discessum est de altera re, quod annui fuisse apud Nepotem dicuntur. Hendricus p. 312 et Klugius p. 87 hoc vere traditum censuerunt, cum multum tribuerent Zonarae consensui, cuius haec verba sunt de Carthaginiensibus VIII. 8 (II. 131 ed. Bonn.):

τὸν γὰρ βασιλέα ἑαυτοῖς κλῆσιν ἐτησίου ἀρχῆς, ἀλλ' οὐκ ἐπὶ χρονίῳ
δυναστείᾳ προὐβάλλοντο. Neque Zonaram vel potius Cassium Dio-
nem, ex quo illum sua petisse nunc inter omnes constat, in his
Nepotem secutum esse satis probabiliter statuit Goettlingius noster
ad Arist. Pol. p. 484. Perpetuam fuisse regum Carthaginiensium
potestatem[1] praeter Goettlingium, qui uno Aristotele nititur, ma- 8
xime defendit Heerenus (in libro, cui index est *Ideen über die
Politik* et q. s. II. 1, 135 ed. quartae). Qui quod Ciceronem de
re p. II. 23, 42 reges Carthaginiensium conferre ait cum regibus
Romanorum, primum verum non est. Nihil enim dicit aliud nisi
triplex rerum publicarum genus, ex regali, optimati, populari
mixtum, commune fuisse Romanis cum Lacedaemoniis et Cartha-
giniensibus. Quae res si reges Carthaginiensium usque ad vitae
finem tenuisse potestatem demonstraret, eodem argumento unum
fuisse Carthaginiensium et Lacedaemoniorum regem ut Romano-
rum statuendum esset, praesertim cum multa Cicero § 43 dicat
de unius potestate; neque minus recte inde, quod Livius reges
Carthaginiensium cum consulibus Romanis comparat, alii con-
sules appellant, eos annuos fuisse probaretur. Longe etiam de-
biliora alia sunt eiusdem argumenta. Grave est unum, quod
Aristoteles, ubi, quibus rebus Carthaginiensium et Lacedaemo-
niorum reges differant, exponit, nihil diceret de tempore. Quod
si verum esset, sane rem conficeret. Atqui is locus corruptus
ad nos pervenit, ut, quid Aristoteles dixerit, ex parte tantum
affirmare liceat. Haec enim in codicibus leguntur post verba
supra allata, p. 1272b, 38 ap. Bekk.: Καὶ βέλτιον δὲ τοὺς βασι-
λεῖς μήτε κατὰ τὸ αὐτὸ εἶναι γένος μηδὲ τοῦτο τὸ τυχὸν εἴτε δια-
φέρον ἐκ τούτων αἱρετοὺς μᾶλλον ἢ καθ' ἡλικίαν. Quae nemo
adhuc ita emendavit, ut, quid Aristoteles scripserit, constet.
Verum hunc nequaquam perpetuam regum potestatem iudicasse
Klugius eo demonstravit, quod p. 1273a, 15 τὰς πενταρχίας ait
πλείονα ἄρχειν χρόνον τῶν ἄλλων. Itaque Boetticherus historiae
Carthaginiensium p. 46 itemque Godofredus Wolffius in disser-
tatione de principibus rei publicae Carthaginiensis magistratibus
Bonnae anno 1857 edita p. 8 (nihil sane novi attulit Koenerus
in libello de re publica Carthaginiensium Halis a. 1867 vulgato)
reges Carthaginiensium neque per unum tantum annum neque
per totam vitam regnasse censuit; ex quibus hoc sane certum
est, illud non melioribus quam superiores argumentis probavit

Wolffius. Potius ita statuendum est, iis, quae apud Nepotem leguntur, non leve momentum accedere Zonarae testimonio, quod ego quoque adhuc neglexi; cum tamen utrumque testimonium non tam grave sit, ut certam ei rei fidem faciat, et Aristotelis aut alius gravioris scriptoris testimonium desit, hoc unum con-
9 stare, regiam Carthaginiensium potestatem perpetuam non[1] fuisse, quo temporis spatio circumscripta fuerit, dubium, annuam fuisse omnium maxime probabile esse.

Denique ea, quae apud Nepotem leguntur § 6 *Deinde anno post praeturam, M. Claudio L. Furio consulibus,* ita tantum probari possunt, si Hannibal aut non statim, ut rediit, hoc est anno p. Ch. 199, sed 197 demum praeturam acceperit, aut non per unum, sed plures annos tenuerit.

Iam si quaerimus, quid ex his omnibus rebus Nepoti tribuere liceat, unum constat, etiamsi verum non sit, annuos fuisse reges Carthaginiensium, tamen, cum id aliis antiquis hominibus ita visum sit, Nepoti quoque videri potuisse: utrum gravissimi errores, quibus praetor Carthaginiensium discernitur a rege et hic pro imperatore ponitur, et inepta sententiarum coniunctio, qua verba *Ut enim Romae consules* et q. s. iis, quae antea legimus, adiunguntur, ipsi an aliis, qui eius verba corruperint, debeantur, id et universa scriptoris natura et emendandi huius loci difficultas dubitare nos cogit. Unum est remedium simplicissimum, sed idem violentissimum, ut illa omnia *postquam rex fuerat, anno secundo et vicesimo. Ut enim Romae consules, sic Carthagine quotannis annui bini reges creabantur,* aut servatis aut ipsis quoque reiectis inferioribus *anno post praeturam,* spuria iudicemus. Aliam rationem, qua servarentur verba *Ut enim Romae consules, sic Carthagine quotannis annui bini reges creabantur,* iniit Heusingerus. Ita enim Nepotem scripsisse putavit: *Huc ut rediit, rex factus est, postquam praetor fuerat, anno secundo et vicesimo,* et *praetorem* ab eo dictum esse imperatorem. At Romani scriptores sane Graecarum civitatium στρατηγούς proprio vocabulo *praetores* dicere consuerunt, Carthaginiensium στρατηγούς a Graecis appellatos, quorum Punicum nomen nescimus, numquam *praetores* vocaverunt (de uno enim Livii loco, qui refragatur, antea diximus), sed aut *dictatores* aut *duces* aut *imperatores.* Et *dictatorem* quidem alii sufetem, alii eum, qui simul et sufes et imperator esset, appellatum opinati sunt. Quae falsa esse evincunt

Catonis loci apud Gell. II. 19, 9. X. 24, 7, quibus Hannibal post pugnam Cannensem, quo tempore eum sufetem fuisse propter Polybii silentium minime credibile est, *dictator* appellatur. Videntur autem hoc nomine maxime antiqui usi esse, velut praeter Catonem in Duilii columna rostrata imitatione antiquitatis Claudii aetate composita C. I. L. I p. 38 v. 8 haec legimus in hunc modum a viris doctis suppleta: [max]*umas copias Cartaciniensis praesente*[d Hanibaled] *dictatored ol*[or]*um inaltod marid pucn*[andod vicet]. Praeterea Hasdrubalis *dictaturas undecim* Iustinus XIX. 1, 7 commemorat. Livii locus XXIII. 13, 8 recte plerisque corruptus videtur; minus recte suspectus fuit Frontini Strateg. II. 1, 4 *et dictatores Carthaginiensium cotidie ante ipsa munimenta Romanorum dirigerent aciem*, ubi recte Oudendorpius in curis secundis significari statuit Hannibalem Agrigenti inclusum et Hannonem huic subsidio missum, quorum ille *imperator Poenorum*, hic *imperator novus Carthaginiensium* ab Orosio IV. 7 vocatur. *Dux* quamquam plerumque, quicumque militibus praeest, appellatur et magis rem quam dignitatem significat, velut *Hannibale duce, Hamilcare duce* apud Liv. XXI. 1, 1. 2, 2, tamen nonnumquam peculiarem habet summi ducis significationem, qua Livius de Hannibale haec posuit XXI. 5, 1 *ex quo die dux est declaratus* et 12, 1 *Nec Sagunti oppugnatio segnior erat Maharbale, Himilconis filio (eum praefecerat Hannibal) ita impigre rem agente, ut ducem abesse nec cives nec hostes sentirent.* At proprium huius rei vocabulum et apud omnes scriptores frequentissimum est *imperator*, eoque Nepos Ham. 2, 3. 3, 1. Hann. 2, 3. 3, 1. 2 neque ullo alio usus est. Unum igitur relinqui videtur, ut Nepotem sic scripsisse iudicemus: *Huc ut rediit, rex factus est, postquam imperator fuerat, anno secundo et vicesimo. Ut enim Romae consules, sic Carthagine quotannis annui bini reges creabantur.* Ex quibus ea, quae nunc leguntur, ita orta esse possunt, ut aliquis, qui a Livio XXXIII. 46 in eadem re tradenda Hannibalem *praetorem* dici legisset, hanc vocem *regi* ascripserit, deinde alius *praetorem* pro *rege*, et cum proxima *regem* hic commemoratum esse demonstrarent et fortasse simul ipse sibi deinceps non *imperatorem*, sed *praetorem* legere videretur, *regem* pro *imperatore* posuerit. Apparet autem cum hac ratione non convenire verba § 6 *Deinde anno post praeturam, M. Claudio L. Furio consulibus.* Et Heusingerus quidem unam vocem *praeturam* interpolatam iudicabat, ita ut

Hannibalem extremo anno 200 p. Ch. domum revocatum, proximo
designatum, magistratu 198 non calendis Ianuariis, sed serius
inito 197 demum abisse statueret. At hanc artificiosam rationem
11 refutant verba *postquam imperator fuerat, anno secundo et*[1] *vicesimo,* quae Hannibalem anno 199 sufetem factum esse declarant, quod idem optime iis convenit, quae antea narrata sunt, cum anno 200 legati Romani de eo essent questi, Hannibalem domum revocatum et, ut redierit, regem esse factum: haec enim, quicumque alia edoctus non fuerit, ita accipiet, ut nullo longiore spatio interiecto se exceperint. Heusingerus autem, qui liberare errore Nepotem studet, alterum ei affingit, ut de tempore, quo Hannibal imperator erat creatus, quod erat notissimum, erraverit. Fuit, qui et *praeturam* deleret et *deinde* corruptum putaret ex *quinto*, quod ne litterarum quidem similitudine commendatur, cuius adeo cupidus fuit ille, ut in foedissimum calculorum errorem incideret. Et quae ratio est duplici mendi genere corrupta statuere, quae ad unum revocare licet? Itaque potius tria vocabula *anno post praeturam* interpolata existimanda sunt, ab eodem adiecta, qui primus *regi* ascripserit *praetorem:* is enim cum apud Livium XXXIII. 45, 8 haec legisset de Hannibale *Irritaverat etiam recenti facto multorum potentium animos,* praeturam, in qua illud perpetraverat Hannibal, proximo anno putavit assignandam, consulum, quibus Hannibalis fugam tradit Livius, nulla ratione habita. Neque quo minus ita statuam, Fleckeiseni iudicium me deterret, cui in Philol. IV. 324 eiectis praeter *praeturam* etiam illis *anno post* reliqua nimis nude adiungi et haec res tanti videtur, ut Nepoti errorem tribuere malit. Verum haec omnia eiusmodi sunt, ut cauto ac sobrio critico, etiamsi tam graviter errasse Nepotem non credat, tamen mutare quicquam hoc loco non liceat. At idem nunc facile adducor, ut, quod adhuc non feci, etsi rem ab aliis neglectam dudum notaveram, initio c. 8 Nepotem scripsisse credam *anno quarto, postquam domo profugerat, L. Cornelio Q. Minucio consulibus,* cum, quod in codicibus legitur, *anno tertio,* Romanae consuetudini repugnet.

Versu primo EPIGRAMMATIS PROBI, quod libri Hannibali subiciunt et ego quoque retuli in editione anni 1867 p. 85, secutus non sum codicis Parcensis scripturam

Vade, liber, nostri fato meliore memento,

quia, ut multa alia in eo libro, coniectura effectam putavi, in

quam iam ante inventum hunc codicem alii inciderant. Quae in universa familia *B* leguntur, de qua sola praeter Parcensem constat, sic distincta antea edebantur:[1]

Vade, liber noster, fato meliore memento, 12

quo facto vitiose *memento* cum ablativo coniungebatur. Itaque sic scripsi:

Vade, liber noster, fato meliore, memento,

ut *fato meliore* cum imperativo *vade* coniungeretur, *memento* nude adiectum gravius inculcaret melius fatum manere librum apud imperatorem, quam fuerat antea apud Probum; quomodo Cicero dixit ad Att. ix. 7, 4 *Causa igitur non bona est? Immo optima, sed agetur, memento, foedissime**).

Item vitiose scribebatur ultimus versus

Felices, dominum quae meruere, manus.

Nam *merere dominum* est *dominum sibi parare* vel *dignum esse, qui dominum habeat;* quae inepta sunt hoc loco. Quare Probum *emeruere* scripsisse iudicavi, ut praeter alios dixit Ovidius Am. ii. 8, 24 *Unum est e dominis emeruisse satis*, Heroid. 6, 138 *Crimine dotata est emeruitque virum*, Trist. iv. 8, 52 *Aequantem superos emeruisse virum.* Ex cuius Tristium primo carmine complura Probum in epigramma suum transtulisse iam ab aliis adnotatum est, velut ex v. 3 *vade*, 15 *vade, liber*, 9 *felices ornent haec instrumenta libellos*, 11 *nec fragili geminae poliantur pumice frontes*, 62 *te liquet esse meum.*

Att. 9, 4 deserui ex parte postea, quam initio tenueram, codicis archetypi scripturam *Ipsi autem Fulviae, cum litibus destinaretur magnisque terroribus vexaretur, tanta diligentia officium suum praestitit, ut nullum illa stiterit vadimonium sine Attico, sponsor omnium rerum fuerit.* Neque enim de futuris litibus dici, ut olim putabam, quas Antonii adversarii se Fulviae intenturos minati sint, sed de praesentibus et iam intentis, proxima demonstrant. Ne autem *destinare* hic primaria significatione positum existimemus, qua est *alligare* vel *deligare, defigere*, qua usi sunt ex antiquioribus Caesar b. G. iii. 14, 6 *funes, qui antemnas ad malos destinabant*, vii. 22, 2 *laqueis falces averte-*

) ['Ienes* (memento) *ist ebenso gesagt, wie bei Ovid. Trist.* i. *1*, *25* neu, cave, defendas' *Nipperdeius in Philologo* i. *p. 668*, *ubi pridem de utroque versu epigrammatis emendando monuit.*]

bant, quas cum destinaverant, tormentis introrsus reducebant, b. c. i. 25, 7 *Has quaternis ancoris ex quattuor angulis destinabat* et Vitruvius v. 12, 3 *arcae in aquam demittendae destinandaeque firmiter*, qui ibidem et § 5 etiam substantivum *destinas* posuit:
13 primum hoc[1] impedit, quod hoc significatu verbum translate poni non videtur (nam b. Afr. 88, 2 verba *animum mentemque perterritam atque in fugam destinatam habere*, quae Schneiderus ad Caes. b. G. iii. 14, 6 commemorat, non aliter dicuntur atque *certae destinataeque sententiae* ap. Cic. Tusc. ii. 2, 5, *opinio destinata, consilia ad bellum destinata* ap. Liv. xxviii. 14, 9. xlii. 48, 1 hoc est *obfirmata*, neque apud Caes. b. G. vii. 72, 2 *operi destinati* sunt operi intenti, in opere occupati, sed quibus opus iniunctum, mandatum erat, quos operi destinaverat Caesar, *die zur arbeit bestimmten*); tum hoc ne aptum quidem esset. Nam ut *litibus* dativum putaremus, non patitur usus, quia hac significatione *destinari aliquid ad aliquam rem* dici solet, neque haec imago, non magis quam *alligari litibus*, convenit Latinae consuetudini, quae *implicari litibus* probavit. Ablativus autem significaret Fulviam impediri litibus, quo minus aut discederet aut ageret quicquam, quorum illud omnino in animo non habebat Fulvia, neutrum litibus effici poterat. Redii igitur ad scripturam familiae *c distineretur*, superioribus editoribus probatam, quae rei gravitati accommodatissima est. Contra nihil mutavi in ultimis huius loci verbis, cum nihil apud Nepotem sit frequentius quam mutatum subiectum non poni, sed intellegi, id quod hoc loco fit facillime. Sic Them. 6, 4, cum antea de Lacedaemoniis relatum esset, subiciuntur haec *His praesentibus desierunt*, nempe *Athenienses*; 9, 3 legimus *ut pons, quem in Hellesponto fecerat, dissolveretur atque ab hostibus circumiretur* (Xerxen dicit); Paus. 1, 3 *suo ductu barbaros apud Plataeas esse deletos, eiusque victoriae ergo Apollini donum dedisse*, scilicet non illos, sed Pausaniam, cuius haec verba sunt; Lys. 4, 1 *Quem cum legisset probassetque, alterum pari magnitudine subiecit*, priora de Lysandro, haec de Pharnabazo; Dion. 2, 3 *Itaque cum a Dionysio crudeliter violatus esset, quippe quem venundari iussisset*, illud de Platone, hoc de Dionysio, Chabr. 4, 2 *Cum enim eo penetrasset* (Chabriam dicit), *ceterae non sunt secutae* (naves intellegit); Ep. 10, 1 *In quo cum reprehenderetur a Pelopida, maleque eum in eo patriae consulere diceret*, nimirum Pelopidas;

Phoc. 2, 3 *Namque auctus adiutusque a Demosthene eum, quem tenebat, ascenderat gradum, cum adversus Charetem eum subornaret* (hic Demosthenes, illic Phocion intellegitur); Att. 8, 4 *si quid Brutus de suis facultatibus uti voluisset, usurum, quan|tum* 14
hae paterentur; sed neque cum quoquam de ea re collocuturum neque coiturum (plane ut Paus. 1, 3 antea Brutus, hic Atticus, cuius oratio est, intellegitur). Nec dissimilia haec sunt: Cim. 4, 4 *si et vita eius fuit secura et mors acerba*, at hoc non Cimoni, de quo dicitur, sed aliis, Timoth. 2, 3 *Sic iuxta posita recens filii veterem patris renovavit memoriam*, ubi *recens posita* secundum orationis formam *memoria* debebat intellegi, *statuam* antea commemoratam dici ipsa verba demonstrant. Ex his nonnulla a recentioribus sunt mutata, complura non leviora intacta relicta; plura etiam non difficulter mutari poterunt: sed quis haec omnia librariis deberi credat? et quis Them. 6, 4. 9, 3. Phoc. 2, 3. Cim. 4, 4. Timoth. 2, 3 mutabit? Quamquam desperandum non est, cum inventus sit, qui Ep. 10, 1 scriberet *maleque ille eum in eo.* Haec exempla vel Pel. 4, 3 dubitare nos cogunt, ubi haec leguntur de Pelopida longe in hoc genere gravissima: *Omnibus praeterea periculis affuit* (*sicut, Spartam cum oppugnavit* [hic intellegendus est Epaminondas antea commemoratus], *alterum tenuit cornu*), quamvis facile sit *ille* inserere post *oppugnavit.* At eo loco, cuius causa haec disputavimus, nihil est vitiosius Halmii coniectura magno plausu a compluribus excepta, cuius ipsum auctorem paenitere arbitror, *ut nullum illa stiterit vadimonium, quin Atticus sponsor omnium rerum fuerit.* Quasi in omni vadimonio sistendo spondendum aliquid fuerit aut necessaria quaedam coniunctio vadimonio intercesserit cum sponsore dando! Quae apud Nepotem legimus, hanc habent rectam sententiam: quotiescumque vadibus datis diem constitutam obibat Fulvia, aderat ei Atticus; idem, quotiescumque sponsore illa egebat, spondebat.

18, 5 *Namque versibus, qui honore rerumque gestarum amplitudine ceteros Romani populi praestiterunt, exposuit ita, ut sub singulorum imaginibus facta magistratusque eorum non amplius quaternis quinisque versibus descripserit.* Recte Fleckeisenus in Phil. IV. p. 342 eos reprehendit, qui ante relativum verba *de iis* intellegi posse putarent, inter quos ego quoque fui, cum Nepotem primum ederem. Postea *eos* intellegendum dixi et *ex-*

ponere cum accusativo hic eodem modo positum iudicavi atque Them. 1, 2 *Sed ab initio est ordiendus*, Alc. 11, 6 *reliquos ordiamur*, Hann. 13, 4 *Romanorum explicare imperatores*. Sed confitendum est inter hos locos et eum, quem tractamus, hoc interesse, quod illis de vitae narratione, ita ut ipsi homines quasi pro vita sua ponantur, hoc de brevissima rerum maxime memorabilium notatione agitur. Itaque nunc fere adducor, ut post *versibus* excidisse putem *de iis*, praesertim cum is error facillimus fuerit. Namque Fleckeisenus omnem probabilitatem egressus est, cum pro *versibus* substituit *de viris illis;* cui quod intolerabilis visa est repetita vox *versibus*, permulta eius generis et longe graviora ex Nepote a me collecta sunt in editione maiore ad Dat. 5, 6, ex quibus ut simillima haec afferre satis est: Them. 3, 3 *quod erat periculum, ne, si pars navium adversariorum Euboeam superasset, ancipiti premerentur periculo*, Dion. 5, 5 *iis ipsis, qui sub adversarii fuerant potestate, regios spiritus repressit totiusque eius partis Siciliae potitus est, quae sub Dionysii fuerat potestate*, Phoc. 2, 1 *Idem cum prope ad annum octogesimum prospera pervenisset fortuna, extremis temporibus magnum in odium pervenit suorum civium*, Att. 8, 1 *cum res publica penes Brutos videretur esse et Cassium ac tota civitas se ad eos convertisse videretur*.

21, 3 nimis diu toleravi hanc librorum scripturam: *subito tanta vis morbi in unum intestinum prorupit, ut extremo tempore per lumbos fistulae puris eruperint*. Nam cum Attici morbus initio tenesmos medicis videretur, qui intestini est morbus, in hac corporis parte eum ab initio vim suam exercuisse apparet; neque verisimile est, quod antea ad excusandam librorum scripturam statui, initio alias quoque corporis partes affectas fuisse, et si fuerint, tamen ineptum erat dicere, quod legimus, cum et illas aliarum partium affectiones leviores fuisse necesse sit, neque, quod morbus in unum intestinum proruperit, quicquam ad gravitatem eius pertineat. Recte Ascensius correxit *imum*, iam ab Heusingero et aliis receptum.

ZU TACITUS.

EMENDATIONES HISTORIARUM TACITI.

(Quibus ad audiendam orationem qua munus professoris publici ordinarii die x mensis Februarii hora xi auspicaturus est . . , invitat Carolus Nipperdeius. Ienae typis Fr. Frommanni a MDCCCLV.)

Taciti libros quod nonnulli paucissimis interpolationibus inquinatos esse sibi persuaserant, id ne in sex prioribus quidem ab excessu divi Augusti verum esse, quorum ad nos egregius codex pervenit, satis multis exemplis demonstratum esse arbitror. Longe hoc inferius esse cum in ceteris partibus tum interpolationum genere et numero id exemplar, quod reliquos libros ab excessu divi Augusti cum historiis servavit, vel primae paginae leviter perlustratae docent, in quibus legimus xi. 6 *gali asinii* et super *Caesarem* scriptum *claudium*, item c. 7 *lege* super *repetundarum*, c. 13 *filium* super *alterum*, pro quo recte Puteolanus *adulterum*, ne plura commemorem quae deinceps minus crebra, sed non minus manifesta occurrunt. Ex historiis quoque plura amovebimus quam adhuc criticorum severitatem experta sunt. Velut i. 31 Tacitus scribere non potuit *Pergunt etiam in castra praetorianorum tribuni Cetrius Severus, Subrius Dexter, Pompeius Longinus, si incipiens adhuc et**) *necdum adulta seditio melioribus consiliis flecteretur. Tribunorum Subrium et Cetrium adorti minis, Longinum manibus coërcent exarmantque.* Nam et *tribunos* illos fuisse iam antea edocti sumus, neque pars eorum commemoratur, neque ullum momentum habet dignitatis discrimen, quod inter hos et reliquos supra et infra commemoratos intercedit. Expli-

*) [et *delevit in editione N.*]

candi igitur causa *tribunorum* ascriptum est, non iis quidem verbis quibuscum nunc coniungitur, sed superioribus. Simillimum est quod c. 53 deprehendimus: *At in superiore Germania Caecina decorus iuventa, corpore ingens, animi inmodicus, scito sermone, erecto incessu studia militum inlexerat. Hunc iuvenem Galba, quaestorem in Baetica, impigre in partes suas transgressum legioni praeposuit.* Quis enim satis quidem sanus eum, de cuius *iuventa* modo dixerat, etiam superiore anno *iuvenem* fuisse inculcaverit? Difficilius persuadebo c. 52 ex his verbis: *Redditi plerisque ordines, remissa ignominia, adlevatae notae, plura ambitione, quaedam iudicio, in quibus sordes et avaritiam Fontei Capitonis adimendis adsignandisve militiae ordinibus integre mutaverat,* tollenda esse *adimendis adsignandisve militiae ordinibus.* Sententia haec superioribus adiungere iubet: neque enim Vitellius, qui gratiam captabat, a quo redditos ordines, remissam ignominiam, adlevatas notas paulo ante relatum est, ademerat ordines. At *sordibus et avaritiae* haec coniungi nequeunt nisi interposita praepositione *in*, quam post illa *in quibus* posuisse Tacitum vix credibile est. Denique, id quod gravissimum est, superiora non in solis ordinibus adsignandis adimendisve versatas esse sordes et avaritiam Capitonis docent, sed etiam in ignominia notisque infligendis. Repetunt igitur haec verba, quae iam superioribus non solum cognovimus, sed plenius et accuratius cognovimus, ita ut, quin Tacito indigna sint, equidem non dubitem. C. 70 haec leguntur *Poenino itinere subsignanum militem et grave legionum agmen hibernis adhuc Alpibus traduxit.* Recte non ambigunt novissimi interpretes, quin *subsignanus miles* sit legionarius; sed huic explicandi causa *grave legionum agmen* adici posse nimia patientia statuunt. Romano enim certe nemini obscurum erat, qui esset subsignanus miles, et si cui erat, adiectis verbis *et grave legionum agmen* non docebatur, sed, ut interpretibus aliquot[1] accidit, in eum errorem inducebatur ut hoc legionum agmen ab subsignano milite diversum putaret. Et omnino una res ita tantum duobus modis dicitur, si altero novi aliquid affertur. Quid multa? Delendum est *legionum.* Non vidit qui hoc ascripsit *grave agmen* esse impedimenta, ut ab exc. d. Aug. I. 64 *donec saucii quantumque gravioris agminis anteirent.* C. 87 reliquorum codicum testimonia comparanti non erit dubium quin in codice Mediceo, cuius haec pars periit, ita scrip-

tum fuerit: *Curam navium Oscus libertus retinebat, ad observandam honestiorum fidem immutatus.* Hoc postremum fuerunt qui explicarent *non demotus;* et ne hoc supervacaneum videretur, utpote verbo *retinebat* iam significatum, Doederlinius adiecit sententiam hoc vocabulo carere potuisse, numeros non item. At primum verbis *ad observandam honestiorum fidem* non convenit vocabulum negantis sententiae; deinde *immutatus* Latine is tantum dici potest cuius aut habitus aut animus mutatus non est. Sane *non demotum* significare voluit qui hanc vocem adiecit, sed eum Tacitum fuisse nego. Nam aliam pro ea substitui neque posse neque debere puto, ut cui recta similis nulla inveniatur (probant quae temptata sunt), ipsa autem et quid sibi velit et quo modo irrepserit facile explicetur. Numeris autem hac voce detracta non noceri multis exemplis docebit Doederlinius, si quaerere ei libuerit. II. 21, ut hoc obiter moneam, cum in codice scriptum sit: *In eo certamine pulcherrimum amphitheatri opus, situm extra muros, conflagravit, sive ab oppugnatoribus incensum, dum faces et glandes et missilem ignem in obsessos iaculantur, sive ab obsessis, dum reportans gerunt,* recte Puteolanus correxit *dum regerunt.* Nam ineptum est quod Iac. Gronovius effecit *dum retorta ingerunt,* quasi iisdem telis obsessi fuissent contenti quae ab oppugnatoribus iacta erant. Verbo *regerunt* suprascripserat aliquis *portant,* ut illud barbare voce *reportant* explicaret, plane ut XI. 33 in codice natum est *dum in urbem refertur vehitur.* Eiusdem libri c. 28 haec leguntur: *Si provincia urbe et salute imperii potior sit, omnes illuc sequerentur; sin victoriae sanitas sustentaculum columen in Italia verteretur, non abrumpendos ut corpori validissimos artus.* Recte Ritterus olim *victoriae sanitatem* Latine dici negavit, cuius confirmandae causa neque alii neque ipse retractata sententia quicquam attulerunt. Accedit intolerabilis coniunctio diversarum imaginum sanitatis, sustentaculi, columinis. Haec autem *sustentaculum* quoque trahit, neque haec sola, sed illud etiam quod inepte *verti sustentaculum* dicitur. Iam ne illud quidem casu factum esse intellegemus, quod *sustentaculum* nullo alio veteris scriptoris loco legitur. Nihil igitur Tacitus nisi *columen victoriae* posuerat, quod cum omni propriae significationis memoria abiecta pro consummatione diceret (quod non licebat addito *sustentaculo*) *verti in Italia* recte dicere poterat. III. 23 haec in codice scripta

sunt: *Magnitudine eximia quintae decimae legionis ballista ingentibus saxis hostilem aciem proruebat; lateque cladem intulisset, ni duo milites praeclarum facinus ausi, arreptis e strage scutis ignorati, vincla ac libramenta tormentorum abscidissent.* Nugantur qui duobus illis militibus spatium esse datum arbitrantur, quo non solum ballistae unius libramenta et vincula abscinderent, sed etiam aliorum tormentorum, quae Vitellianos in aggerem viae contulisse antea relatum est; atque eadem de causa male Lipsius *ballistae* et *proruebant* coniecisse censendus est. Non magis laudandi sunt qui unam ballistam *tormenta* appellari posse putarunt. Uno modo pluralis *tormentorum* tolerari poterat, si de funibus acciperetur. Sed id neque usus elegantioris pedestris orationis patitur, neque tormenta paulo ante pro machinis posita, neque hic adiuncta libramenta. Plura igitur mutandorum illorum *tormentorum* causa excogitata sunt, infeliciter omnia. Ascriptum est enim id vocabulum ab aliquo, qui qualia vincla et libramenta dicerentur, significandum inepte existimaret. III. 73 admonere satis erit Tacitum scripsisse *Fuere qui excepto Vitellianorum signo ultro rogitantes respondentesve audaciam pro latebra haberent*, ab aliena manu post *signo* adiectum esse *quo inter se noscebantur*. Eiusd. libri c. 84 haec leguntur *Vitellius capta urbe per aversam Palatii partem Aventinum in domum uxoris sellula defertur.* Mira securitate novissimi interpretes *Aventinum* silentio tramittunt: Ernestius certe, ut hunc accusativum defenderet, *Esquilias* commemoraverat. Tacitum non raro terrarum et populorum no-
5 mina eodem modo atque urbium[1] tractasse ad II ab exc. d. Aug. c. 69 demonstravi; neque dubium est quin *Esquilias* ita ponere potuerit, quibus optimi scriptores ita usi sunt ut antiquitus non partem urbis, sed separatum oppidum visas esse appareat. Exempla ex Varrone, Livio, aliis collegerunt Io. Fr. Gronovius et Drakenborchius ad Liv. II. 28, 1, ad quos Ernestius relegavit: addam pauca. Cic. de nat. deor. III. 25, 63 *Febris enim fanum in Palatio et Orbonae ad aedem Larum et aram malae Fortunae Esquiliis consecratam videmus;* de legg. II. 11, 28 *ara quae vetustissima est in Palatio Febris et altera Esquiliis malae Fortunae.* Hor. Sat. I. 8, 14 *nunc licet Esquiliis habitare salubribus*; II. 6, 33 *at simul atras Ventum est Esquilias.* Verrii Flacci fast. Praen. Mart. 2 *Feriae Marti, Iunoni Lucinae Exquiliis.* Plin. hist. nat. II. 7, 16 *Ideoque etiam publice Febris fanum in Palatio dicatum*

est, Orbonae ad aedem Larum, ara malae Fortunae Esquiliis. ⟨Plin. ep. III. 21, 5 *mandat, ut domum meam Esquiliis quaerat.*⟩ Sed hi ipsi Ciceronis, Plinii, Livii loci documento sunt non licuisse idem in *Aventino* aliisque urbis partibus quod licebat in *Esquiliis*, cum ipsi illi ablativo *Esquiliis* adiungatur *in Palatio* et Livius II. 28 scribat *pars Esquiliis, pars in Aventino.* Apud Ciceronem autem ad Att. IV. 3, 3, unde Io. Fr. Gronovius commemorat *Milonis domum, eam quae Germalo*, quae sane non longe absunt a codicum corrupta scriptura, recte Turnebus emendavit *quae est in Germalo.* Num igitur Tacitum *in Aventinum* scripsisse cum Halmio suspicabimur? Impediunt quae statim excipiunt, *in domum uxoris.* Tacitum hic *Aventini* nullam mentionem fecisse eo magis credo, quod paulo ante c. 70 de eodem Vitellio scripserat *Cur enim e rostris fratris domum, imminentem foro et inritandis hominum oculis, quam Aventinum et penates uxoris petisset?* Prope desperatus locus est IV. 5: *Helvidius Priscus regione Italiae Carecinae municipio Cluvios, patre qui ordinem primi pili duxisset, ingenium inlustre altioribus studiis iuvenis admodum dedit.* Non opus est vana criticorum conamina excutere. Cum Bachius admonuisset de Carecinis, Samnitico populo, commemoratis a Zonara ann. XI. 7 (male Pinderus Καρκίνους ubi erat Καρικίνους) et Ptolemaeo III. 1 p. 184 et 185 Wilb., ubi legitur Καρακηνῶν et Καρακηνούς, quibus Plinium addo hist. nat. III. 12, 106, apud quem editur *Carentini supernates et infernates*, in optimo Leidensi etiam leviore errore sunt *Caretini*, Carolus Wexius Agricolae sui p. 211 vidit Helvidium eo oppido ortum esse cuius Livius meminisset IX. 31, 2 his verbis: *in Samnio Cluviam* (codices *Cluviani*), *praesidium Romanum.* Verum emendatio ipsa non tam prospere viro egregio cessit, qui scribendum coniecit *Helvidius Priscus, origine Cluvinus* vel, quod p. 332 se malle dixit, *Cluvias*, quibus explicandi causa adiectum putabat *Italiae Carecinae municipio.* Manifestum est enim haec codicis vestigiis significari: *Helvidius Priscus, regione Italiae Carecina e municipio Cluviis;* e quibus si illa *regione Italiae Carecina* removeris, habebis ipsius Taciti manum. Nam hunc neque *regionem Italiae Carecinam* pro *Carecinis* dicturum neque ablativum ita positurum fuisse facile largientur periti. *Cluvias* autem rectius id oppidum dici (atque ita apud Livium quoque restituerim, qui *Cluviani* ortum putem ex *Cluviãs*) idemque im-

peratorum aetate superfuisse duplici testimonio docemur, quod Wexium fugerat. Nam in inscriptione ap. Momms. I. R. N. 5293 ⟨Henzen 5178⟩ legitur *Bene*[f]*iciario tribuni cohor. V* [p]*r. C. Attio, C. f., Arn., Crescenti, aed., Anxani et Cluvis aed., IIII vir. i. d.* Et in libro coloniarum p. 260, 1 gromaticorum Lachmanni inter *civitates regionis Samnii* enumeratur *Clibes* (scribe *Clibis*), his adiectis: *Ager eius lege Iulia est assignatus. Finitur sicut ager Bobianus;* de quo loco dixit Mommsenius II p. 170. Denique IV. 56 in codice legitur *Claudius Labeo, quem captum et extra commentum amendatum in Frisios diximus.* Superiores cum Agricola (ipsius enim correctiones sunt quae codex eius propria habet) legebant *extra conventum amandatum*, recte postremum; prius inepte de terra Batavorum interpretabantur. Neque magis Latinum est Iacobi *extra commeatum*. Ritterus antea bene utrumque vocabulum *extra commentum* eiecerat, nunc *extra* retinet, unde putida et barbara oratio nascitur. Sed originem interpolationis ne antea quidem recte explicaverat. Nempe *amendatum* illud ita sibi aliquis explicare visus est ut ascriberet *extra commendatum;* quae similia sunt illis quae II. 21 a Puteolano emendata dixi *reportans gerunt.*[1]

6 Haec habui de interpolationibus; quae coniunxi ut ex ipsa similitudine patrocinium aliquod accederet. In reliquis, quae mihi videor emendare posse, locorum ordinem sequar.

I. 33 eorum oratio refertur qui egrediendum Galbae et coniuratis occurrendum censebant. *Obsidionem nimirum toleraturos: et praeclarum in servis auxilium, si consensus tantae multitudinis et, quae plurimum valet, prima indignatio elanguescat. Proinde intuta quae indecora.* Non falso illi demonstrasse se affirmant eo rerum statu, qui tum erat, eadem quae Galbae indecora sint periculum afferre. Verum id sibi videri tota superiore oratione tam perspicue docuerant, ut plane otiosa sit illa conclusio: *Proinde intuta quae indecora.* Novi aliquid expectamus; quod aderit levissima mutatione: *Perinde intuta quae indecora,* ut hoc rerum statu omisso generali sententia, ut quidque indecorum, ita intutum esse adseverent et argumento latissime patente superiora confirment. Paulo post c. 39 male editur: *iam Marius Celsus haud laeta rettulerat, cum alii in Palatium redire, alii Capitolium petere, plerique rostra occupanda censerent:* neque enim infinitivis significari potest, quid faciendum aliquis censeat. Accedit ipsius

codicis indicium; qui cum *peteret* praebeat, ad eundem modum superius verbum conformari iubet.

Difficillima sunt verba c. 42 *Titum inde Vinium invasere. De quo et ipso ambigitur, consumpseritne vocem eius instans metus, an proclamaverit non esse ab Othone mandatum ut occideretur. Quod seu finxit formidine, seu conscientia coniurationis confessus est, huc potius eius vita famaque inclinat, ut conscius sceleris fuerit cuius causa erat.* Primum mirum est Tacitum in iudicio ferendo nullam omnino rationem habere illius famae, quae nihil dixisse Vinium tradebat. Sed fecerit hoc, quia altera verisimilior ei videbatur. Longe maior difficultas superest. Vinius enim, qui post discessum Othonis in castra, de quo c. 27 relatum est, a Galba digressus non esset neque alios atque hic de Othone nuntios accepisset, certo scire omnino non poterat non esse ab Othone mandatum ut occideretur. Itaque accurate non poterat hoc aut finxisse Vinius aut confessus dici, quod, sive factum ab Othone erat sive non factum, ille fingere tantum poterat. Sed licet haec ita accipere, ut confessus esse Vinius dicatur quae ita esse sibi persuasisset, finxisse quae ne ipsi quidem verisimilia viderentur. At qui conscius est coniurationis, nemo sibi non persuadebit mandatum esse a coniurationis principe ut sibi parceretur. Quod si Tacito id videbatur fieri potuisse, ut Vinio persuasum non fuisset non esse ab Othone mandatum ut occideretur, hoc est si aliquid fieri potuisse putabat quod illum plane alienum a coniuratione fuisse demonstraret, incredibili iniquitate tamen huc inclinaret ut conscium illum sceleris arbitraretur. Ne id quidem recte fit, ut *conscientia coniurationis* confessus aliquid Vinius dicatur. Nam qui *con- conscientia* aliquid facit, is necessario conscius est. Iam hic igitur Tacitus id affirmaret, quod in apodosi demum his verbis argumenti loco adhibitis concludit. Removit hoc Acidalius ita ut *conscientiam* poneret. Nam qui conscientiam confitetur, de eo dubium adhuc est, utrum vere an falso confessus sit, ut non otiose, utrum sibi videatur, scriptor adiungat. Hoc adhibito reliqua ita corrigo: *Quod seu siluit formidine, seu conscientiam coniurationis confessus est.* Utrumque proponit Tacitus quod antea tradi dixerat, sive non dixerit formidine instantis mortis praepeditus non esse ab Othone mandatum ut occideretur, sive dixerit: nam hoc significant verba *conscientiam coniurationis confes-*

sus est. Scripsit autem *Quod seu siluit formidine,* cum accurate dicendum esset nulla re adiecta *Seu siluit formidine*, ut pro consuetudine sua aliquam opinionis suae significationem admisceret, nihil nisi hoc clamare Vinium voluisse. Quod si aliis verbis eius sententiam enarramus, haec est: Sive formido eius argumentum nobis eripuit, sive ipsius confessionem tenemus. Cum autem haec quoque confessio, ut monui, non possit firmum argumentum videri, ipsum Taciti iudicium vita famaque Vinii nititur.

C. 52 vitiosa sunt haec: *Et ut Vitellius apud severos humilis, ita comitatem bonitatemque faventes vocabant, quod sine modo, sine iudicio donaret sua, largiretur aliena; simul aviditate imperandi ipsa vitia pro virtutibus interpretabantur.* Verba non patiuntur, ut Vitellii vitia ita a quibusdam excusata statuamus, ut virtutes
7 aviditate imperandi in vitia conversa dicerent; non[1] magis ii qui alio imperatore tanta potentia sunt, ut ad ipsorum voluntatem omnia gerantur, quod nonnullis hoc loco placuit, imperare dici possunt, nisi aliquo modo inusitato hoc significatu imperandi verbum poni declaratur. Quod si cum Agricola *impetrandi* ponimus, idem his verbis atque superioribus referetur. Scripserat Tacitus, ni fallor, *imperii dandi.* Quia ipsi facere imperatorem cupiebant neque ad hanc rem idoneus alius suppetebat, vitia Vitellii tam benigne interpretabantur.

Multos frustra exercuerunt quae c. 71 leguntur: *Marium Celsum, consulem designatum, per speciem vinculorum saevitiae militum subtractum, acciri in Capitolium iubet. Clementiae titulus e viro claro et partibus inviso petebatur. Celsus constanter servatae erga Galbam fidei crimen confessus, exemplum ultro imputavit. Nec Otho quasi ignosceret, sed ne hostes metueret conciliationis adhibens, statim inter intimos habuit et mox bello inter duces delegit.* Ita enim haec scripta sunt in duobus codicibus Florentinis, quibus maior fides est quam reliquis in supplendis unici exemplaris lacunis. Quae adhuc temptata sunt, nemini satisfacient. Mihi corrupta vocabula ita conformanda videntur: *sed deos testes verae*) reconciliationis adhibens.* Item c. 89, ubi in iisdem libris haec sunt: *Sub Tiberio et Gaio tantum pacis*

---

*) [mutuae, *quod voluit Heinsius, in editione praetulit N.*]

adversa r. p. pertinuere, iis quae adhuc excogitata sunt praestare puto *rem publicam perculere*.

II. 4 haec traduntur de Vespasiani et Muciani exercitibus: *Tres ipsi Vespasiano legiones erant, exercitae bello: quattuor Mucianus obtinebat in pace, sed aemulatio et proximi exercitus gloria depulerat segnitiam, quantumque illis roboris discrimina et labor, tantum his vigoris addiderat integra quies et inexperti belli labor*. Ritterus in novissima editione Rhenani correctione *inexpertus belli labor* recepta repetitionem eiusdem vocis ad XIII. 2 exemplis se defendisse affirmat. Sed longe diversa sunt quae ibi collegit; in quibus idem vocabulum ita repetitur, ut de eadem re ponatur, idque aut perspicuitatis aut gravitatis causa. Ne Agricola quidem illud incommodum satis lenivit, cum corrigeret *inexperti belli labores*. Alii *labori* substituerunt *ardorem, calorem, amorem*; ex quibus solus *amor* pro cupiditate recte dicitur. Sed cupidos illos belli fuisse iam supra *aemulatione* commemorata significaverat Tacitus, neque haec cupiditas respondet alterius membri vocabulis, neque *discriminibus* neque *labori*. Rectius ex hac parte Doederlinius deleto *labore* verbis *inexperti belli* significari statuit quod belli inexperti erant. Verum hoc loco nisi ponitur *ipsi inexperti belli*, necessario *inexperti belli* alii videbuntur atque ii qui pronomine *his* significantur. Mihi quoque *laborem* altero loco tollendum esse persuadet alterius partis forma *integra quies*; sed corrigendum puto *inexpertum bellum*, quod, cum *labor* male ex superioribus repetitus esset, huic accommodatum arbitror.

Eiusdem libri c. 7, ubi in codice scriptum est: *Non fallebat duces impetus militum, sed bellantibus aliis placuit expectari bellũ cũ hi* (vel *In*) *victores victosque numquam solida fide coalescere*, optime Heiniscus scribendum coniecit *bello civili*, novam sententiam ab his verbis orsus, nisi quod equidem *belli civilis* praefero, quo magis haec ad *victores victosque*, non ad verbum pertinere appareat*). Exempla eius compositionis sunt IV. 18 *Sacroviriani belli victor*, H. II. 28 et IV. 58 *tot bellorum victores* et apud Livium XLV. 36, 7 *tanti belli victorem*. Sed eidem Heinisco non assentior proxima in suspicionem vocanti: *Igitur arma in occasionem distulere Vespasianus Mucianusque nuper, ceteri olim*

*) [*In editione emendationem Ritteri* bellorum civilium *recepit N.*]

mixtis consiliis, quorum postrema ita mutavit: *cupere ceteri non immixti consiliis.* Movit eum quod c. 5 et 6 Vespasianus et Mucianus iam exitu Neronis positis discordiis in medium consuluisse et tribunos centurionesque et vulgus militum allicuisse dicuntur, exercitus autem de bello civili post Othonis demum et Vitellii electionem cogitasse, inter quos bello incipiente haec referuntur. Sed vel in brevissimo temporis spatio aliud olim, aliud nuper fieri recte dicitur. Quod autem hic miscuisse nuper consilia Vespasianus Mucianusque dicuntur, eo pertinet, ut imperium ad Vespasianum deferretur: quod c. 5 relatum est, eos post Neronis exitum in medium consuluisse et militum favorem sibi conciliasse, nihil aliud spectabat quam ut communi consilio agerent et, si quod periculum ingrueret, alter alteri praesidio essent.[1]

8 C. 10 in his verbis: *Nam recens, Galbae principatu, censuerant patres ut accusatorum causae noscerentur*, plane supervacaneum est *recens* illud, accuratiore temporis definitione adiecta, nisi si id quod refertur extremo Galbae principatu acciderit. At statim Nerone interfecto factum esse cum res ipsa demonstrat, tum quae I. 4 leguntur *Sed patres laeti, usurpata statim libertate licentius, ut erga principem novum et absentem* et IV. 42 *Elanguimus, patres conscripti, nec iam ille senatus sumus qui occiso Nerone delatores et ministros more maiorum puniendos flagitabat.* Itaque Tacitum *recenti Galbae principatu* posuisse existimo.

Postquam relatum est milites, qui duces coëgerant ut se contra hostes educerent, perspecta eius rei temeritate ad modestiam redisse, c. 19 haec adiciuntur: *Ipse postremo Spurinna, non tam culpam exprobrans quam ratione ostendens, relictis exploratoribus ceteros Placentiam reduxit minus turbidos et imperia accipientes.* Explicant haec ita ut Spurinnam non conviciis usum, sed argumentis propositis culpam militum patefecisse dicant. Sed ne hoc quidem e mollitia eius disciplinae est, quae tumentibus Othonianorum animis adhibenda erat; et Latine *exprobrare culpam* nequaquam is dicitur qui conviciis utitur, sed qui aliquem culpae convincit. Id ita esse vel hoc loco verba *non tam* demonstrant, pro quibus, si de conviciis diceretur, aut nuda aut confirmata negatio ponenda erat. Scribendum est *rationem.* Culpae militum nullam fere mentionem faciebat, sed ostendebat

e ratione esse ut Placentiam redirent. *Ratio* est quod nos dicimus *das vernünftige*, *verständige*, ut H. I. 32 *denique eundi ultro*, *si ratio sit*, *eandem mox facultatem* et III. 22 *Vitellianus exercitus*, *cui acquiescere Cremonae ratio fuit*. Hoc simplicius esse Doederlinium non fugerat, sed maluit haec ita explicare ut *ratione* idem esse diceret quod *ratione fieri quae faceret*; de qua ellipsi ne cui persuadeat non metuo.

Obiter moneo c. 57 male edi: *ipse e Britannico delectu octo milia sibi adiunxit*. Nam *delectus Britannicus* dici nequit nisi de tironibus in Britannia conscriptis. Vitellium autem vexilla legionum Britannicarum sibi adiunxisse III. 22 demonstrat: *cum vexillis nonae secundaeque et vicesimae Britannicarum legionum*. Recte igitur codex *delecta*, ita ut *Britannico* supplendum sit ex superioribus verbis *Germanici exercitus*. Quamquam ea tam longe remota sunt, ut Tacitum *Britannia* scripsisse probabilius putem*).

C. 68, ubi haec leguntur: *Et quidem partes modeste distraxerat*: *apud victores orta seditio*, *ludicro initio numerus caesorum invidiam bello auxisset*, iis assentior qui adiecta particula *ni* ante *numerus* sententiam expletam a Rhenano statuunt. Nam quod Ritterus dicit initium iis rebus non mutari quae postea consecuta sunt, non plane verum est. Nam recte veremur id ludicrum initium dicere quod tristissimae rei initium fuit. Sed in reliquis plura vitiosa sunt. Primum Waltherus perspexit invidiam illius pugnae, quae deinceps narratur, non potuisse ad *bellum* pertinere, quod confectum erat, quamquam inepte hoc ita se effugere putavit, ut *bello* de ipsa illa pugna interpretaretur. Removit hoc Doederlinius, qui pro *bello* scribendum vidit *Vitellio*. Huius enim dissolutae disciplinae calamitatem illam imputabant. Et laus illi in superiore membro tributa hic quoque aliquid de Vitellio nos expectare iubet. Sed in illo ipso membro non capio verba *et quidem*. Non dubito quin fuerit *et partes quidem modeste distraxerat*. Hoc dicit Tacitus: eos inter quos bellum fuerat modeste distraxerat, suos ipse milites cohibere non potuit**). Eodem vitio XI. 13 in codice legitur *comperto quoque Graecam litteraturam* pro *Graecam quoque*.

---

*) [e Britannico exercitu *Heraeus quem in editione sequitur N.*]

**) [*In editione* Et victas quidem *cum Haasio dedit N.*]

Recte primus observavit Ritterus Tacitum in hominibus Romanis appellandis non pluribus quam duobus nominibus uti solere. Itaque cum huius libri c. 86 in codice scriptum esset *titus amplius fabianus,* III. 4 *tampius flavianus,* III. 10 *t. ampium flavianum,* ex quo superiores postremum secuti erant, ipse omnibus locis *Tamphilum Flavianum* posuit. Sed ipsa codicis auctoritas *Tampium Flavianum* commendabat; cui accedunt Frontini codices de aqu. 102, ubi inter curatores aquarum post *Pompeium Silvanum* hic *Tampius Flavianus* enumeratur. Rem conficit *ala I Pannoniorum Tampiana,* commemorata in tabula honestae mis-
9 sionis a Traiano[1] datae (Ephem. Arcad. VIII p. 57*)), quae ala sine dubio huius Tampii Flaviani nomen gerit, quem Pannoniam rexisse Tacitus refert. Ceterum plures *Tampii* sunt in inscriptionibus apud Muratorium et in 4508 et 4623 apud Orellium.

C. 100 haec in codice scripta sunt: *Mox vexilla in quattuor decum XIII legionum, dein quinta et duoetvicesima secutae; postremo agmine una et vicensima Rapax et prima Italica incessere cum vexillariis trium Britannicarum legionum et electis auxiliis.* Quae legiones Vitellianae contra Flavianos duces eductae sint, perspicue docemur III. 22, ubi de acie Bedriacensi haec referuntur: *Ordinem agminis disiecti per iram ac tenebras adseverare non ausim, quamquam alii tradiderint quartam Macedonicam dextro suorum cornu, quintam et quintamdecumam cum vexillis nonae secundaeque et vicesimae Britannicarum legionum mediam aciem, sextadecumanos duoetvicesimanosque et primanos laevum cornu complesse. Rapaces atque Italici omnibus se manipulis miscuerant.* Non recte igitur Duebnerus et Ritterus Tacitum eo loco, de quo disputamus, ita scripsisse putant: *vexilla quartae, quintaedecimae et sextaedecimae legionum.* Ita enim desiderantur *primani*, qui III. 22 commemorantur, hoc est vexilla legionis primae Germanicae, quae ex inferiore Germania adduxerat Fabius Valens, non confundenda cum legione prima Italica Lugduno abducta. Cf. I. 55. 61. 64. Nam quod Ritterus primanos hic omitti potuisse putat, quia plerique, ut ipse conicit, urbanam militiam praeoptaverint, et III. 22 et aliis locis, qui ne ipsum quidem fugerunt, redarguitur. Viderat hoc Rupertius,

---

*) [*C. I. L.* III. *p. 864 n. XXI. Praeterea ala Tampiana memoratur ib. n. 4466. 5531. 5632.*]

quem Ritterus et Duebnerus in priore parte sequuntur; cui deinceps scribendum videbatur *unaetvicesima Rapax et prima et Italica*. Verum haec pluribus incommodis laborant. Nam cum unetvicesimae cognomen adiciatur, non bene id in duabus adiunctis omittitur, et duae legiones, quae utraeque numero primae erant, mire altera numero, altera cognomine appellantur. Neque primae Germanicae aderant nisi vexilla; quae etsi nonnumquam a Tacito plenae legionis appellatione significantur, tamen hoc loco cur id in illa una legione fecisse existimetur causa non est. Ad rem recte iam Ferletus coniecit: *vexillarii primae, quartae, quintaedecimae et sextaedecimae*. Sed codicis vestigia haec demonstrant: *vexilla primae, quartae, quintaedecimae, sextaedecimae*. Omnia haec numeris perscripta erant, lineolis, ut solet, superductis. Inde ex $\overline{I}$ ortum est *in*, $\overline{IV}$ male explicata *quattuor*, ex $\overline{XV}$ vel potius $\overline{xu}$ natum *dec* (quibus litteris *decem* significabatur) *um*, denique ex *XVI* frequentissimo errore *XIII*. Ita quod verissimum est, idem proxime ad antiquam memoriam accedere videmus.

III. 5 haec leguntur: *Trahuntur in partes Sido atque Italicus, reges Suevorum, quis vetus obsequium erga Romanos et gens fidei commissior patientior. Posita in latus auxilia; infesta Raetia, cui Porcius Septiminus procurator erat, incorruptae erga Vitellium fidei.* Inepte alii *fidei commissae* aut *fidei commissa* et plura, quae commemorare nihil attinet: verissime enim dudum Muretus *fidei commissi*. Huius gentis fidei committere aliquid licebat: contrarium verbis proximis superioribus de Sarmatis relatum est. Sed quaenam sunt illa auxilia *in latus* posita, quibus ne grammatica quidem ratio constat? Scribendum est: *Noricum in latus auxilio.* Itaque statim haec excipiunt: *Igitur Sextilius Felix cum ala Auriana et octo cohortibus ac Noricorum iuventute ad occupandam ripam Aeni fluminis, quod Raetos Noricosque interfluit, missus.*

C. 6 refertur initio belli Flavianos aliquam Vitellianorum manum incuriosam oppressisse. *Luce prima inermos plerosque oppressere. Praedictum ut paucis interfectis ceteros pavore ad mutandam fidem cogerent. Et fuere qui se statim dederent: plures abrupto ponte instanti hosti viam abstulerunt. Volgata victoria principia belli secundum Flavianos datae legiones septima Galbiana, tertiadecima Gemina cum Vedio Aquila legato Patavium alacres*

veniunt. Sic haec in codice scripta sunt, ita ut super primam litteram vocis *principia* hoc signum' positum sit. Duorum hominum inventa commemoratione digna sunt, Rhenani et Kiesslingii, quorum ille proposuit *Volgata victoria principio belli secundum Flavianos data*, hic *Volgata victoria*, *post principia belli secundum Flavianos data.* Verum in utroque displicet dilatatum quoddam et diiunctum orationis genus; et aliud codicis vestigia significare arbitror. Transpositis enim duobus primis vocabulis haec efficio: *Principia belli secundum Flavianos data. Volgata victoria legiones* et q. s. Atque hoc ipsum, transponenda esse verba, signo illo primae litterae vocis *principia* imposito significari puto: reliqua signa, quibus verus ordo notabatur, perierunt. Notissima est formula ex iure desumpta *dare secundum aliquem*, cuius exemplum ex ipso Tacito iam attulerunt interpretes, ab exc. d. Aug. IV. 43 *ita secundum Messenios datum.* Eadem autem transponendorum verborum medicina adhibenda est H. v. 12 his verbis: *Fons perennis aquae, cavati sub terra montes et piscinae cisternaeque servandis imbribus.* Apertum est verbis *cavati sub terra montes* inepte distineri quae rerum similitudo coniungi iubebat. Neque enim cuniculos illos quicquam ad aquae usum pertinuisse, quae alii scriptores de iis referunt, docent. Velut Xiphilinus ex Dione LXVI. 4: οἱ δὲ Ἰουδαῖοι διὰ τῶν ὑπονόμων ἴσχυον· ὀρωρυγμένους τε γὰρ αὐτοὺς ἔνδοθεν ὑπὸ τὰ τείχη μέχρι πόρρω τῆς χώρας εἶχον, καὶ δι' αὐτῶν διεξιόντες τοῖς τε ὑδρευομένοις ἐπετίθεντο καὶ τοὺς ἀποσκεδαννυμένους ἐλυμαίνοντο, et Iosephus b. Iud. VI. 7, 3: ἔθαλπε δὲ τούς τε τυράννους καὶ τὸ σὺν αὐτοῖς λῃστρικὸν ἐλπὶς ἐσχάτη περὶ τῶν ὑπονόμων, εἰς οὓς καταφεύγοντες οὐ προσεδόκων ἐρευνήσεσθαι. Itaque verba *cavati sub terra montes* ante haec: *fons perennis aquae,* collocanda sunt.

III. 13 haec in codice leguntur: *postquam domos hortos opes principi* (pro hoc codex *principis*) *abstulerint, etiam militibus principem auferre litem. Integros incruentosque, Flavianis quoque partibus viles, quid dicturos reposcentibus aut prospera aut adversa?* Non successit iis, qui *litem* illud levi aliqua mutatione se correcturos sperarunt, velut God. Bernhardyo, qui *scilicet* efficiebat, aut aliis, qui *licet*, idque cum proximis coniungebant. Melius, qui deleverunt. Sed recte complures monuerunt, non potuisse milites eius rei mentionem omittere, quae omnium erat gravissima, quod Caecina exercitum Vitellio auferre conaretur.

Longius tamen omnium coniecturae, qui in eam sententiam verba convertere studuerunt, a codicis vestigiis discesserunt, Ferreti *etiam milites auferre*, Bipontinorum *etiam principi auferre militem*, Agricolae *etiam militibus principem auferre, principi militem*, quod reliquis sane praeferendum ita sequitur Doederlinius ut supra *principi* tollat. Mihi scribendum videtur: *postquam domos hortos opes principi abstulerint, etiam militem, militibus principem auferre.* Exciderat *militem* ob similitudinem proximae vocis, et in fine sententiae suppletum reliquit illud *litem*. Forma sententiae ita placuit Tacito, ut saepius ea usus sit, velut I. 22 *quis fratri meo vitam, quis fratrem mihi reddit?* et H. III. 33 *quo minus stupra caedibus, caedes stupris miscerentur.*

C. 16 vera esse nequeunt haec verba: *Dum Antonius quidnam agendum consultat, aviditate navandae operae Arrius Varus cum promptissimis equitum prorupit, impulitque Vitellianos modica caede: nam plurium adcursu versa fortuna, et acerrimus quisque sequentium fugae ultimus erat.* Nam si acerrimi sequentium postremi fugam capessissent aut postremi in agmine fugientium fuissent, nihil in hac re erat, quod mentione dignum esset. Waltheri et Doederlinii artificia omitto, quorum hic exposuit quae ne intellegere quidem mihi contigerit, ille inepte ad Vitellianos haec retulit. Sed ne Ritteri quidem sententia probari potest, qui *ultimum fugae* explicat extremo pavore fugientem collatis illis ex A. 2 *quid ultimum in libertate esset.* Tali enim tralationi ibi tantum locus est, ubi sententia est perspicua: hic nemo, qui primum haec legat, *ultimum* aliter nisi de tempore et loco intellexerit. Quid sententia requireret, Ernestius vidit, cui parum probabiliter *fugae primus* scribendum videbatur. Ne ego quidem quod satisfaciat reperio: propono tamen *fugae celerrimus.* Quod si compendio scriptum erat *celr̄imus*, potuit inde *ultimus* nasci.

C. 18 haec leguntur: *Ad quartum a Cremona lapidem fulsere legionum signa Rapacis atque Italicae, laeto inter initia equitum suorum proelio illuc usque provecta. Sed ubi fortuna contra fuit, non laxare ordines, non recipere turbatos, non obviam ire ultroque adgredi hostem tantum per spatium cursu et pugnando fessum. Forte victi, haud perinde rebus prosperis*[1] *ducem desideraverant* 11 *atque in adversis deesse intellegebant.* Recte monuit Freinshemius neque victas fuisse illas legiones, quae tum de-

mum ad pugnam venerint, neque forte victam ullam Vitellianorum partem, siquidem in adversa equitum pugna, quae antea relata est, nihil admodum forte gestum est. Ritterus mire prioribus ita occurrit, ut *victos* solos equites dici affirmet; *forte* ita defendit, ut legiones aliena clade victas interpretetur. Quamquam neque qui aliena clade vincitur, forte vincitur; neque *victi* hic non possunt non aut de solis legionibus dici, quippe quae robur essent exercitus, aut certe legiones comprehendere. Non satisfaciunt superiorum inventa, Agricolae *forte victuri*, quod superioribus adiungebat, Freinshemii *forte acti*, Doederlinii *fortes victi*, Bernhardyi *forte et vi tracti.* Equidem fuisse puto *Non ante victi* *).

C. 47 haec referuntur: *Quin et barbari contemptim vagabantur, fabricatis repente navibus. Camaras vocant artis lateribus latam alvum sine vinculo aeris aut ferri conexam, et tumido mari, prout fluctus attollitur, summa navium tabulis augent, donec in modum tecti claudantur.* Doceri velim quemadmodum in eadem navi et arta latera et lata alvus inesse possint. Sed id deprecor, ne quis aut *latera* de summa laterum parte aut *arta latera* aquae impervia dici interpretetur. Scribendum est *altis lateribus.* Strabo XI. 2, 12 στενά appellat haec navigia ad spatium respiciens quod navigantibus praebebant. Verba eius haec sunt: ἀκάτια λεπτὰ στενὰ καὶ κοῦφα, ὅσον ἀνθρώπους πέντε καὶ εἴκοσι δεχόμενα, σπάνιον δὲ τριάκοντα δέξασθαι τοὺς πάντας δυνάμενα· καλοῦσι δ' αὐτὰ οἱ Ἕλληνες καμάρας.

C. 56 plura vitiosa sunt in his verbis: *Nam cum transgredi Apenninum integro exercitus sui robore et fessos hieme atque inopia hostes adgredi in aperto foret, dum dispergit vires, acerrimum militem et usque in extrema obstinatum trucidandum capiendumque tradidit, peritissimis centurionum dissentientibus et, si consulerentur, vera dicturis.* Primum enim non Vitellius dispergebat milites, quem c. 55 relatum est tot milia armatorum conduxisse, ut inferendo quoque bello satis pollerent. Neque recte Savilius eum partem secum in urbem reduxisse narrat, de qua re nihil Tacitus, aut haec ad ea refert quae c. 58 traduntur. Nam quod Vitellius fratrem cum sex cohortibus et quingentis equitibus ingruenti per Campaniam bello opposuit, non potest

*) [*In editione N. recepit Urlichsii* fortes invicti.]

ea re, quae necessaria erat, dispersisse vires dici. Et omnino tum iam occasionem, de qua hic dicitur, praetermiserat Vitellius. At Flavianos duces vires dispersisse c. 50 relatum est: *Signa aquilaeque victricium legionum, milites vulneribus aut aetate graves, plerique etiam integri Veronae relicti; sufficere cohortes alaeque et e legionibus lecti profligato iam bello videbantur.* Has relictas copias, postquam duces praetorias cohortes ex urbe motas audissent, acciri placuisse c. 52 et expectari adhuc c. 60 narratur. Itaque scribendum est *dispergunt.* Deinde quis non dissentiat trucidandum capiendumque exercitum tradi, nisi qui suas partes perdere cupiat? Tolerarem igitur *dissentientibus* illud, si de fidissimis centurionibus diceretur, non de peritissimis. Non dubium est quin Tacitus scripserit *sentientibus.*

C. 62 in his verbis: *Et Flavianus exercitus immane quantum animo exitium Valentis ut finem belli accepit*, Acidalio post *animo* adiciendum videbatur *auctus*. Obloquitur Waltherus et eum secuti alii, *animum* interpretantes alacrem animum. Audio. Sed quo referemus *immane quantum?* Nam in eo, quod *exitium Valentis ut finem belli accepit* exercitus, nihil inest, de quo dici possit *immane quantum.* An hoc pertinebit ad illud *alacri* quod in *animo* inesse dicitur? aut ellipsi Doederliniana *animo* erit pro *aucto animo?* Addemus potius, ni fallor, quod deest. Nam *aucto animo* praefero Acidalii coniecturae, qui ipse ex II. 4 commemoravit *Titus aucto animo ad patrem pervectus: aucto* enim ante *animo* facilius excidere potuisse apparet.

C. 66 necessario scribendum est *Denique nihil atrocius eventurum quam in quod sponte ruat*, non *ruant.* Solus enim Vitellius sponte ruebat, quippe qui cedere imperio statuisset; qui loquuntur, hoc ipsum dissuadebant et nulla condicione ab armis recedendum putabant.

C. 71 primus Rupertius edidit: *Hic ambigitur, ignem tectis oppugnatores iniecerint, an obsessi, quae crebrior fama, nitentes ac progressos depulerint*, cum in codice legeretur *famā*,| superio- 12
res ex deterioribus codicibus retinuissent *fama est, quo nitentes.* Sed non possunt ex superioribus intellegi verba *iniecto igne*, quae ad sententiam necessaria sunt. At idem significabitur immissa ante *nitentes* vocula *ita* *), quae non paulo melior et lenior correctio est quam Waltheri *ea vi.*

---

*) [*cum Al. Rupertio.*]

C. 72 verba, quibus Tacitus Capitolii incendium deplorat, ita in codice scripta sunt: *Arserat et ante Capitolium civili bello, sed fraude privata: nunc palam obsessum, palam incensum, quibus armorum causis? quo tantae cladis pretio stetit? pro patria bellavimus?* Haec ineptissima esse frustra negant quibus corruptissima quaeque fovere placet. Nam verba *quo tantae cladis pretio stetit* non possunt accipi nisi de Capitolio. Quaereret igitur Tacitus, quod incendii eius pretium percepisset civitas, dum stetisset Capitolium. At Orellius subiectum esse narrat Capitolii deflagrationem. Quid huic verba *tantae cladis* significasse putes? Idem, Waltherus, qui explicat: quod pretium tantae cladis fuit, quo illa res stetit? Doederlinius, qui de eventu et pretio vili loquitur, quoniam dominus tantum mutatus sit; Pichena, qui coniecit *quo tanta clades pretio stetit:* hi omnes quid Latine diceretur *pretio aliquo stare* nescierunt. Neque enim, cum aliquo pretio stare mihi aliquid dico, pretium accepi, sed dedi. Tenebant hoc, ut par erat, Rhenanus et Io. Fr. Gronovius, quorum ille *stetit* delebat, ad sententiam recte; hic *quid tantae cladis pretio stetit* proposuit, non plane recte. Nam accurate cum aliquid aliquo pretio stare dicitur, nisi dativus adicitur, non id pretio illo adquisitum, sed adquiri posse significatur. Equidem lenissime emendo: *quot tantae cladis pretium fuit?* dico lenissime: nam prima littera verbi *stetit* saepissime in codice commutatur cum nota litterae *m*, qua superiori vocabulo adiuncta ex reliqua verbi parte facile fieri *fuit* omnes concedent. *Quot* me scripsisse pro eo quod vulgo est *quod*, non est quod moneam. Iam acceptum pretium intellegere licet, ut in Rhenani coniectura *quo tantae cladis pretio?*

Extremo c. 74 leguntur haec: *Tum confossum conlaceratumque*, quae unicum postremi vocabuli exemplum praebent. Sed id ego eo magis tollendum arbitror, cum praepositio verbi significationi plane repugnet. Itaque Tacitum *laceratumque* posuisse et huic *con* male ex superiore verbo repetitum a librario adiectum esse puto.

IV. 14 mire queritur Civilis *Instare dilectum, quo liberi ab parentibus, fratres a fratribus velut supremum dividantur.* Nam id queri solemus, in longum tempus aut in aeternum aut nulla redeundi spe nos dividi: supremum se dividi ii dicere consuerunt, qui se postea semper coniunctos fore sperant. Certe si

ab iis dici potest, qui ne in perpetuum dividantur metuunt, ita tantum potest, ut et ante aliquoties divisi fuerint, et hoc sibi sciant repetitis usque ad certum numerum vicibus accidere necesse esse. Quorum hoc ineptum est, illud his hominibus non convenit, quorum permultos ad id tempus a parentibus et fratribus digressos non esse certum est. Quid multa? Scribendum est *velut supremis*, hoc est morte.

C. 26 scribendum est: *Quod in pace fors seu natura, tunc fatum et ira deum vocabatur,* non *dei*. Nusquam enim de uno deo Tacitus, et si unum ex pluribus significare voluisset, *alicuius dei* ponendum erat.

C. 33 haec leguntur: *Fortissimus quisque e Batavis, quantum peditum erat, funduntur; eques evasit cum signis captivisque, quos prima acie corripuerant.* Apertum est *funduntur* vitiosum esse. Nam cum eques evaserit, fortissimos peditum qui iis opponuntur aut captos esse aut interfectos necesse est. Sensit Doederlinius; qui *caeduntur* ante *funduntur* excidisse suspicatur, ut illo fortissimorum peditum, hoc reliquae peditum multitudinis fortuna declaretur. Sed hoc fieri non potest nisi huius reliquae multitudinis significatio adiciatur. Tacitum autem nihil de iis retulisse id demonstrat, quod verba *fortissimus quisque* initio collocavit: nam si de utraque peditum parte dixisset, ita conformanda erat oratio: *E Batavis, quantum peditum erat, fortissimus quisque caeduntur, ceteri funduntur.* Poterat autem tuto de reliquis peditibus tacere, cum eos effugisse fortissimorum fortuna doceret: equites evasisse ideo retulit, quia fuga sua signa captivosque abstulerunt. Itaque ex *funduntur* efficio *trucidantur*. 13
Nam Ritterus, qui *funduntur* nove dictum narrat pro *sternuntur* vel *occiduntur*, impediendus non est, quo minus talium novitatum amatores alliciat.

Cum iam antea Civilis Vetera obsedisset et oppugnasset, initio c. 36 Tacitus non scripsit *Interim Civilis Vetera circumsedit,* sed *Iterum*.

C. 39 haec leguntur: *citeriorem Hispaniam ostentans discessu Cluvii Rufi vacuam.* At nequaquam discessu Cluvii haec provincia vacua erat, qui cum in Galliam ad Vitellium profectus comitatui principis adiectus esset, absens eam rexit exemplo L. Arruntii, ut Tacitus II. 65 refert. Scribendum est *decessu*. Obisse enim paulo ante Cluvium non leviter confirmat quod c. 43

proximo senatu Helvidius Priscus traditur *a laude Cluvii Rufi orsus, qui perinde dives et eloquentia clarus nulli umquam sub Nerone periculum facessisset.*

que rei causas (v. 23) demonstraturus erat. Atque id eum bene tenere, probatur versibus hos excipientibus: *Inde fit, ut raro* et q. s. Num enim omnes homines praeter paucos avari? An nemo praeter avaros non uti conviva satur e vita recedit? Itaque hoc loco, quo ad totius satirae propositum redit Horatius, ubi causas explicat, cur pauci tantum homines se vixisse beatos in exitu vitae dicant, necessario rursus de omnibus dixit. Haec eadem obstare apparet viro cum paucis artis nostrae principi, Friderico Ritschelio, qui haec proposuit: *Illuc, unde abii, redeo nunc, nemo ut avarus se probet*; eadem et praeterea, quae de scriptura Blandinii antiquissimi monuimus, Schwenckio ita conicienti: *Unde abii, redeo. Nemo, qui fit, ut avarus se probet.* Mihi autem pro *qui* illo Blandinii antiquissimi ponendum videtur *quia*, deinde *probet*, *laudet* (nam *gerat* retinere licet), *tabescat*, *conparet*, *laboret* in indicativos mutanda, haec omnia autem usque ad *obstat* in unum enuntiatum coniungenda a *quia* pendens, quod referatur ad *inde fit* v. 117, hac forma:

Illuc, unde abii, redeo. Quia nemo, ut avarus,
se probat, ac potius laudat diversa sequentes,
quodque aliena capella gerat distentius uber,
tabescit neque se maiori pauperiorum
turbae conparat, hunc atque hunc superare laborat,
sic festinanti semper locupletior obstat,
ut cum carceribus missos rapit ungula currus,
instat equis auriga suos vincentibus, illum
praeteritum temnens extremos inter euntem:
inde fit, ut raro, qui se vixisse beatum
dicat et exacto contentus tempore vita
cedat uti conviva satur reperire queamus.

Audacem coniecturam! Sed me consolatur et sententiae veritas et *obstat* illud v. 113 in omnibus fere codicibus servatum. Corruptelam autem ita explico, ut *quia* errore in *qui* mutato, hoc ut ineptum omissum et verba particulae *ut* accommodata esse, excepto illo *obstat*, quod a superioribus separari posse videbatur, ab aliis autem ad hiatum vitandum *nemon* positum putem. Uni-

10 versae quidem satirae sic exitum im|poni Horatii arte dignum facile concedes. Causas enim demonstraturus, quare nemo sua sorte contentus vivat, cum multis hominibus infiniti laboris causa sit avaritia, avarum tamquam exemplar huius hominum morbi uberius persequitur: avarum enim nihil explet, quod accepit. Atque in avaro causam illius morbi posuit poëta, ita ut legentibus relinqueret ad omnes homines transferendam. Nam ut avarus omnes divitiis superare studet (v. 40 *dum ne sit te ditior alter*), ita homines quaerunt statum, qui humanam naturam excedat. In exitu igitur ita homines sua sorte non contentos avari similes esse monuit, ut animum eorum ex parte tamquam avari describeret et verbis ab illius condicione desumptis uteretur (*pauperiorum*, *locupletior*), quibus legentes facili opera universo generi convenientia substituerent. Ita neque Heindorfius recte questus videbitur, non certum quoddam consilium Horatium in hac satira secutum, neque alii recte ei affinxisse, quod ineptum est, causam illius morbi omnium hominum communis eum dixisse avaritiam. Tenuit propositum suum poëta, sed usus est satirae libertate, ut unam partem uberrime persequeretur etiam ad ea, quae longius a proposito remota erant, multa non tangeret, non omnia tamquam e cathedra planissime doceret, sed aliquid legentium acumini relinqueret.

Satirae 6 versum 19 et sqq. ita fere omnes distinguunt:

Namque esto, populus Laevino mallet honorem
quam Decio mandare novo, censorque moveret
Appius, ingenuo si non essem patre natus:
vel merito, quoniam in propria non pelle quiessem.

Et siqui paulum ab his discedunt, certe eadem ratione se verba coniunxisse ostendunt, ut *esto* etiam ad *moveret* pertinere et utrumque coniunctivum et *mallet* et *moveret* concessivum, *vel merito* autem ita adiectum putarent, ut condicionale *moveret* intellegeretur. Sane poëtam, si sequentia consulimus, unam sententiam his verbis protulisse videmus, ut se non improbare profiteretur, si in re publica etiam ingenui homines non virtute, sed sorte nascendi aestimarentur, modo in privata vita sola virtus valeret. Sed tamen dubium esse non potest, quin aliter probaverit Laevinum praeferri Decio, aliter libertini filium a senatu removeri. Franciscus quidem Ritterus adeo ab hac sen-
11 tentia abhorruit, ut verba *vel merito* et q. s. etiam ad| Decii

repulsam referret, ita explicata: »iure suo illud populus et censor faceret, quod ipse immodico honorum studio repulsam et notam provocassem«, quasi se ipsum Horatius dixisset Decium quendam novum; et Kruegerus certe latere in his putavit, etiam Decium novum merito repulsam laturum esse. Adeone ab omnium sanorum hominum suae aetatis iudicio discreparet Horatius, ut non minus recte praestantissimum hominem a populo sperni quam id fieri existimaret, a quo bonorum nemo sine rei publicae detrimento discedi putaret, cum ipse vel in privata vita ingenuitatem requireret v. 7:

cum referre negas, quali sit quisque parente
natus, dum ingenuus?

Nam etsi turbis civilibus factum est, ut anno ante Ch. n. 50 libertinorum filii in senatu essent, quos eiecit Appius ab Horatio commemoratus *), et permulti eo tempore, quo Horatius haec scripsit, a Caesare et a triumviris allecti, ut tradit Dio XL. 63. XLIII. 47. XLVIII. 34, tamen, quod omnium bonorum de hac re iudicium etiam multo post fuerit, ex iis perspici potest, quae de Claudio et Nerone referuntur apud Suet. Claud. 24. Ner. 15. Ita igitur potius illos versus distinguemus:

Namque esto, populus Laevino mallet honorem
quam Decio mandare novo; censorque moveret
Appius, ingenuo si non essem patre natus,
vel merito, quoniam in propria non pelle quiessem,

ut *moveret* sit coniunctivus condicionalis, nihil ad *esto* pertinens, cum verbis *vel merito* in unum enuntiatum coniunctus: *censorque Appius vel merito moveret.* Ita, ut bonum virum illius aetatis decebat, Horatius Decii repulsam non improbabit, quia eius modi res necessario cum libera re publica coniuncta est; libertinorum filios non in senatum admitti, non solum non improbabit, sed laudabit: illud fieri aequo animo patitur, hoc recte fieri iudicat. Et quoniam iterum iam in hunc locum, qui est de distinguendis poëtae verbis, incidimus, hic de paucis aliis eiusdem generis obiter monebo. Sic 3, 84:

---

*) ⟨Cic. p. Cluent. 47, 132 *Nam Popilium, quod erat libertini filius, in senatum non legit* (Lentulus censor); *locum quidem senatorium ludis et cetera ornamenta relinquit.*⟩

paulum deliquit amicus,
quod nisi concedas, habeare insuavis: acerbus
odisti[1]

12 et q. s., unus Ritterus animadvertit enuntiatum relativum non per parenthesin interiectum esse, sed accuratius *paulum* illud definire, ut sententia sit: tantum, ut, nisi concedas, insuavis habeare. Hoc enim modo novi aliquid haec verba afferunt; illo inania sunt et supervacanea, cum nihil dicant, nisi quod unusquisque per se teneat. Ceterum unice vere eos statuere iudico, qui *acerbus odisti* coniungunt. Flagitat hoc contrarii pondus, quod, si detrahatur *acerbus*, fere evanescit; neque ei respondendum est, qui nimium acumine suo delectatus *acerbus odi* recte dici negavit, nec Francisco Rittero post brevem sanitatem ad familiares ineptias revoluto. Item 4, 48:

At pater ardens
saevit, quod meretrice nepos insanus amica
filius uxorem grandi cum dote recuset,
ebrius et magnum quod dedecus ambulet ante
noctem cum facibus,

omnes verba *magnum quod dedecus* a reliquis separant, ita ut *quod* sit relativum, qua re, ut mihi quidem videtur, sententia efficitur exilis et poëta prorsus indigna. Potius *quod* est particula perspicuitatis causa repetita, et ipse filius appellatur *magnum dedecus.* Ad idem genus pertinet, quod 5, 4

Forum Appi,
differtum nautis, cauponibus atque malignis,

omnes recentiores, qui quidem aliquid annotaverint, extrema posita putant pro *atque cauponibus malignis;* quibus certe, si accurati esse vellent, post *nautis* incidendum non erat, ut fecit Meinekius. At recte Acro: *deest hominibus.* Nam tales traiectiones ibi tantum admitti possunt, ubi omnis error excluditur, quia mali scriptoris est legentes in errorem inducere; quod necessario accidit, ubi simplicissima intellegendi ratio deserenda est. Et hic simplicissima ratio eadem longe praestat acerbitate et novitate sententiae. Nam caupones vituperare res obvia; oppidum dicere ut nautis et cauponibus, ita malignis differtum et re et coniunctione inexpectatum. Ita igitur statuemus, causa aliqua commotum Horatium, quae nos fugit, hanc insignem labem huic oppido aspersisse. Nequem autem *atque* offendat ter-

tio loco positum, cum secundum vocabulum sine copula adiungatur, iam Mauritius Hauptius observa|tionum criticarum p. 31 13
[*Opusc. I. 104*] eodem modo Horatium *et* posuisse docuit, et alterum particulae *atque* exemplum monstrabimus satirae 10 v. 36.

Satirae 6 v. 24:

quo tibi, Tilli,
sumere depositum clavum fierique tribuno?

interpretes hactenus recte scholiis crediderunt, quod referunt Tillium senatu motum a Caesare, ut Pompeianum, occiso Caesare recepisse latum clavum, hoc est senatoriam dignitatem. Similitudo enim nominis vix dubitare sinit, quin, quod monuit Orellius, hic Tillius frater fuerit Tillii Cimbri, interfectoris Caesaris, qui ex coniuratis primus ad Caesarem accessit, simulans se pro fratre exule deprecari. Ita referunt Plutarchus Caes. 66, Brut. 17 et Appianus b. c. II. 117, cum Suetonius Caes. 82, quid rogaverit Cimber, non significet, Cassius Dio XLIV. 19 aliquem gratias agentem inducat. Sed quod iidem id quoque scholiis crediderunt, Tillium factum esse tribunum militum, eo, quam parum periti essent antiquitatum Romanarum, ostenderunt: qualis error Heindorfio facile condonabitur, permulta in hoc genere, ut illis temporibus, optime explicanti, nostra aetate nulli Horatii interpreti ignosci potest. At Orellius ultro nos docet *tribunos militum quattuor legionibus primis* habuisse ius lati clavi, et Kruegerus haec quasi ex aliquo oraculo accepta repetit, confisus, credo, numeris locorum legis Serviliae, quam vulgus dicit, et Cluentianae Ciceronis ab Orellio ascriptis, quibus nihil traditur nisi tribunos illos a populo creatos e numero magistratuum minorum fuisse. Qui autem illis ius esset lati clavi, quibus ne in senatum quidem venire licebat? Nam hoc vel pueri tenent, infimum magistratum, cui hoc licuerit, fuisse quaestores. Refert quidem Cassius Dio LIV. 26 inter res ob inopiam senatorum et hominum senatorii generis anno 13 ante Ch. n. institutas, senatus consultum factum esse, ut vigintiviri ex equitibus Romanis crearentur, et ea de causa neminem eorum in senatum allectum esse (ἐσεγράφη), nisi alium praeterea magistratum gessisset aditum in senatum concedentem. Putavit igitur, ut postrema ostendunt, antea senatorum filios vel potius homines census senatorii his magistratibus minoribus functos esse; in quo erravit, cum, ut maiorum magistratuum, ita multo magis horum minorum pe-

14 titionem nulli censui neque ampliori ordini astric|tam fuisse certum sit. Illo senatus consulto, quod nihil ad senatorum inopiam pertinebat, non descendebatur ad inferiorem ordinem, sed excludebantur, qui censu equestri non essent; quod in maioribus magistratibus lege sancire opus non videbatur, cum hos sustinere non posset neque in senatu post illos permanere, nisi qui censu esset senatorio. Verum id ne Dio quidem affirmare voluit, qui magistratum minorem gessissent, iis ius fuisse in senatum veniendi (nam si ita sensisset, posuisset hos magistratus minores inter τὰς ἀρχὰς τὰς ἐς τὸ βουλευτήριον ἐσάγειν δυναμένας, quas ab illis separat): quamquam, etiamsi affirmasset, tamen consentiente antiquitatis voce confutaretur: sed hoc significavit, superioribus temporibus lectione censoria, cum non suffecissent, qui quaesturam et maiores magistratus gessissent, descensum esse ad eos, qui minoribus functi idoneo censu essent, id autem post hoc senatus consultum fieri desitum; qua re ipse probavit, non propter senatorum inopiam hoc institutum esse. Superest igitur, ut quis Tillium, cum senator iam fuerit, tribunum militum factum esse dicat. At hoc, qui paulum haec tempora noverit, incredibile esse affirmabit; neque ullum post Sullana tempora exemplum invenietur praeter M. Agrippam, qui certa de causa post amplissimos honores aedilitate functus est, quo quis ad munus aliquod descenderit, quod minore dignitate assequi licebat. Quid multa? scholiis obversabatur tribunus laticlavius, quem eo tempore, quo Horatius haec scribebat, non fuisse, sed ab Augusto institutum esse, cum filiis senatorum, simulac virilem togam sumerent, latum clavum induere, curiae interesse permitteret, Suetonius docet Aug. 38; quacum re coniunctum fuit equitum illustrium institutum, hoc est eorum, qui censu erant senatorio, quibus filiisve eorum item cum virili toga concedebatur latus clavus, quam diu rem publicam capessere et in senatum ascendere nitebantur. Tum igitur Ovidium scimus, et antea et cum vigintivir aut monetalis aut capitalis esset, lato clavo indutum fuisse, atque cum a re publica recederet, id insigne deposuisse, ut ipse cecinit tristium IV. 10, 27:

Interea tacito passu labentibus annis
liberior fratri sumpta mihique toga est,
induiturque humeris cum lato purpura clavo,
et studium nobis, quod fuit ante, manet.[1]

Iamque decem vitae frater geminaverat annos, 15
cum perit, et coepi parte carere mei.
Cepimus et tenerae primos aetatis honores,
deque viris quondam pars tribus una fui.
Curia restabat. Clavi mensura coacta est:
maius erat nostris viribus illud onus.

Quibuscum non conveniunt, quae leguntur apud eundem fast. IV. 383, ubi aliquis poëtam alloquens inducitur:

Hanc ego militia sedem, tu pace parasti,
inter bis quinos usus honore viros.

Neque enim iis assentior, qui Ovidium et triumvirum, sive monetalem, sive capitalem, et decemvirum stlitibus iudicandis fuisse statuunt, cum neutro loco omisisse eum alterumutrum honorem credibile sit, neque in vita narranda neque in causa honoratioris sedis afferenda, neque omnino bis vigintiviratu fungi moris fuerit. Scripsit igitur in fastis

inter bis denos usus honore viros,

hoc loco vigintivirum, illo accuratius aut monetalem aut capitalem se fuisse ostendens. Sed ut ad Tillium redeamus, satis demonstrasse mihi videor, eum ab Horatio non tribunum militum, sed plebis dici. Atque id Romanis hominibus lato clavo satis ostenderat poëta, ut nihil tribuni vocabulo adicere opus esset. Non putabimus autem paulo post Caesaris mortem, sed paucis, hoc est tribus fere annis ante hoc tempus tribunatum gessisse Tillium, ita ut, cum ante bella civilia quaestura in senatum pervenisset, deinde exilio ordinem amisisset, hoc ipso tribunatus honore eum recuperarit. Atque haec optime conveniunt iis, quae poëta v. 108 significat, quo tempore hanc satiram scribebat, praetorem fuisse Tillium, qui honos subsequebatur tribunatum plebis, ita ut biennio interiecto geri posset.

Similiter peccatum est ab interpretibus satirae v. 38 et sqq.

'Tune, Syri, Damae aut Dionysi filius, audes
deicere e saxo cives aut tradere Cadmo?'
'At Novius collega gradu post me sedet uno:'
namque est ille, pater quod erat meus.' 'Hoc tibi Paullus 16
et Messalla videris? At hic, si plostra ducenta
concurrantque foro tria funera magna, sonabit
cornua quod vincatque tubas; saltem tenet hoc nos.'

Illum Syri, Damae aut Dionysii filium recte omnes libertini filium

esse statuunt, ita ut illa nomina, ut in libertinis fieri solebat, cognomina patris fuerint: nam servi filium neque ius neque mos Romanus agnoverunt. Hunc igitur libertini filium, quem populus cives deicere e saxo aut Cadmo tradere indignatur, plerique scholia secuti tribunum plebis, alii praetorem vel adeo consulem fuisse arbitrantur, Orellius vel triumvirum capitalem vel potius (hoc enim verbo utitur) praetorem sive quaesitorem rerum capitalium. At recte hodie, quicumque de re publica Romana egerunt, ad quaesturam et omnes magistratus maiores neminem admissum esse, nisi qui patre avoque vel minimum patre ingenuo natus esset, ex Livii VI. 40, 6 et Plinii h. n. XXXIII. 2, 32 constare credunt. Et consul quidem aut praetor ut factus sit libertino patre natus, numquam accidisse arbitror, nisi forte per fraudem: aediles et tribunos plebis non nullos factos esse scimus temporibus turbulentis, velut antiquiore aetate Cn. Flavium, quamquam de eo dubitatum esse Suetonius docet Claud. 24, P. Furium per seditionem Apuleianam, de quibus retulerunt Liv. IX. 46 et Appian. b. c. I. 33, plures Caesaris et triumvirum temporibus*), quos libertinorum filios in senatum legisse paulo ante monuimus. Verum horum plerosque extraordinaria lectione, paucos quaestura vel maiore magistratu in senatum pervenisse certum est. Quam enim hoc vel illis temporibus et proximis numquam in consuetudinem verterit et semper a civitate improbatum sit, quae de Claudio et Nerone a Suet. Claud. 24, Ner. 15 referuntur, ostendunt; quorum ille, quamquam apud Tac. XI. 24 libertinorum filiis magistratus mandari non, ut plerique falluntur, repens, sed priori populo factitatum esse asseverat et latum clavum libertini filio tribuit, tamen antea affirmaverat non lecturum se senatorem nisi civis Romani abnepotem; Nero in curiam libertinorum filios diu non admisit: admissis a prioribus principibus honores denegavit. Singuli igitur et praeter consuetudinem libertinorum filii ad quaesturam, aedilitatem, tribunatum perveniebant; Horatium autem ita, ut facit, agere non potuisse apparet nisi de re, quae
17 usu plane[1] recepta esset: haec enim nulla novae rei significatione facta iis subicit, quae omnibus rem publicam capessentibus accidere dixerat. Quod si quaerimus, quibus suppliciorum cura

---

*) (cf. Dio Cass. LIII. 27, 6.)

apud Romanos demandata fuerit, profecto non consulibus, prae-
toribus, tribunis plebis id muneris fuisse invenimus. Tribunos
plebis aliquot turbulentissimis temporibus antiquae rei publicae
saxum quibusdam minatos esse vel re vera praecipitasse aliquem
relatum est, cum contra leges hoc auderent; consules legimus
seditiosorum hominum supplicia iussisse vel eorum, qui gra-
vissime deliquerant, suppliciis, quae ostentanda videbantur,
praesedisse, ut apud Tac. II. 32: curam quidem suppliciorum,
ut et omnia ad eam rem necessaria pararent, et damnatos car-
nifici traderent, et ut recte sumeretur supplicium, prospicerent,
proprio magistratui demandatam fuisse constat, triumviris capi-
talibus. Qui cum e minorum magistratuum sive vigintisexvirum
numero essent, non mirum est libertinorum filiis hunc honorem
gerere licuisse. Hunc igitur magistratum neque ullum alium
ab Horatio hic significari statuemus. Sed ne de iis quidem,
quae ille Syri, Damae aut Dionysii filius populo respondet,
interpretes recte iudicarunt. Nam quod is Novium ait esse,
quod pater ipsius fuerit, hic quoque scholia secuti Novium li-
bertinum dici affirmant, idemque significari arbitrantur verbis
gradu post me sedet uno, quae figurate dicta sint de genere in-
feriore, in hac re non bene scholiis relictis. Mihi quidem num-
quam persuadebitur Romanos ad hos magistratus minores, qui-
bus iuvenes summo loco orti fungebantur, admisisse id homi-
num genus, quod ne suffragium quidem ferre nisi in exiguo
tribuum numero voluerunt, et eo minus, cum Horatius vel filios
eorum neque in vigintisexviratu neque in tribunatu militum,
quod munus illi par fuit, sine invidia et obtrectatione toleratos
esse hic et v. 47 ostendat. Cui sententiae certissimum docu-
mentum accedere statuo Taciti verbis XIII. 27, ubi, qui libertinos
tuentur, ita dicunt: *Quippe late fusum id corpus. Hinc plerum-
que tribus, decurias, ministeria magistratibus et sacerdotibus, co-
hortes etiam in urbe conscriptas; et plurimis equitum, plerisque
senatoribus non aliunde originem trahi:* nihil dicunt de magistra-
tibus minoribus ab iis gestis. Sensim igitur et per certos gra-
dus descenderunt Romani, ut ad maiores magistratus ingenui-
tatem ab avo vel certe patre traditam requirerent, ad minores
admitterent liber|tinorum filios, libertinis locus esset inter scri- 18
bas, lictores reliquaque magistratuum ministeria. Quid Novius
fuisset, proximis verbis ipse Horatius docuit. Quid enim eum

fuisse putabimus, qui voce sua vinceret plostra ducenta et tria funera magna (nam *magna* ad *funera* trahere et simplicissimum est et sententiae aptissimum)? Oratoremne vel causidicum vel advocatum, ut scholiis et interpretibus visus est? Is vero vel validissimis lateribus in tanto strepitu verba facere desisteret. Unum hominum genus illum strepitum vincere poterat, cum ei non verba facienda essent, sed pauca quaedam lente proclamanda: praeconum. Atque id iam veteres vidisse Acro nos docet, qui post illam explicationem prave ab recentioribus praelatam addit: *Aliis placet Novium praeconem fuisse*, et alia, quae omitto. Praecones enim infamiam quandam sustinebant, ut inde apparet, quod lege Iulia municipali prohibetur magistratum in municipio petere, *qui praeconium, dissignationem libitinamve faciet, dum eorum quid faciet*, tab. Heracl. II. 20. 30. Eosdem Romae a minoribus magistratibus prohibitos non fuisse (nam quin maiores capere nequiverint, dubium non est) Horatius ostendit, neque id mirum videbitur ei, qui Ciceronem de illa Caesaris lege audierit ad fam. VI. 18, 1 haec scribentem: *Quaesivi e Balbo per codicillos, quid esset in lege. Rescripsit eos, qui facerent praeconium, vetari esse in decurionibus; qui fecissent, non vetari. Quare bono animo sint et tui et mei familiares: neque enim erat ferendum, cum, qui hodie haruspicinam facerent, in senatum Romae legerentur, eos, qui aliquando praeconium fecissent, in municipiis decuriones esse non licere.* Illa autem *gradu post me sedet uno* cur figurate explicabimus, praesertim cum sana interpretandi ratio simplicissima quaeque sequi iubeat? An ut Horatius idem bis dicat, primum figurate, deinde aperte? Ita igitur statuemus, lege Iulia theatrali eiusdem Caesaris, qui praecones a magistratibus municipiorum removit, cuius legis crebra mentio est, praecones minus honoratam sedem accepisse. Qua lege quam multi gradus descripti fuerint, Ovidius demonstrat fast. IV. 384, loco paulo ante a nobis emendato, ubi ludis Megalesibus in theatro hominem tribunatu militum perfunctum haec sibi dicentem facit:

Hanc ego militia sedem, tu pace parasti,
inter bis denos usus honore viros.[1]

19 At Ovidius, ut eques Romanus, iam spectabat in quattuordecim ordinibus; fuit igitur in iisdem honoratior sedes iis equitibus, qui vigintiviri aut tribuni militum fuissent. Et his sine dubio

anteponebantur, qui tum ipsum in eo magistratu erant; quibus propinquam sedem obtinebant praecones eorum collegae, sed propter praeconium uno gradu remotiorem. Quae cui ridicula videbuntur, non noverit profecto ingenium Romanorum, qui sub exitum liberae rei publicae et sub imperatoribus fuerunt.

DE LOCIS QUIBUSDAM HORATII EX PRIMO SATIRARUM

COMMENTATIO ALTERA.

(Index scholarum aestivarum in universitate litterarum Ienensi a. MDCCCLVIII habendarum.)

Assentior iis, qui Horatii esse negant octo versus in paucis codicibus satirae decimae praemissos neque in scholiis explicatos:

Lucili, quam sis mendosus, teste Catone,
defensore tuo, pervincam, qui male factos
emendare parat versus. Hoc lenius ille,
quo melior vir et est longe subtilior illo,
qui multum puer et loris et funibus udis
exhortatus, ut esset, opem qui ferre poëtis
antiquis posset contra fastidia nostra,
grammaticorum equitum doctissimus. Ut redeam illuc.

Primum enim, si par esset codicum auctoritas, quae non est vel eo, quod hi versus in Blandinio antiquissimo non legebantur, quippe quos in uno codice Martinio invenerit Crucquius, tamen ii hac una de causa ab hac satira removendi erant, quod praeclarum est illud initium, in medias res nos rapiens:

Nempe incomposito dixi pede currere versus
Lucili,

idem autem ob *nempe* particulam non vulgari modo positam obtusioris ingenii homines offendere et ad explenda ea, quae ipsi

requirebant, invitare poterat; quae si Horatius posuisset, nemo erat recisurus. At haec causa demonstrat Horatium hos versus non posuisse, cum postremam manum huic satirae imponeret; non impedit, quo minus initio illos scripsisse et postea demum, cum animadvertisset, quantopere alterum exordium praestaret, resecuisse videatur. Verum ut hoc quoque negemus, duabus causis movemur: neque enim plures recte afferri arbitror, quare hi versus Horatio indigni[1] iudicentur. Primum, quod permulti 4
monuerunt, pinguius est et a veritate atque ipsius Horatii sententia saepius accurate exposita abhorrens illud *quam sis mendosus*; deinde non solum pingue, sed aut ineptum aut pravae calumniae plenum, quod hoc se ea re demonstraturum affirmat, quicumque hos versus scripsit, quia Cato Lucilii versus male factos emendare paret. Neque enim profecto Lucilii manum is corrigebat, sed restituebat remotis vitiis neglegentia vel mala sedulitate aliorum hominum illatis. Quod si haec perspecta a se data opera a vero deflexit et consilio suo accommodavit horum versuum scriptor, haec calumnia certe prorsus abhorret ab ea ratione, qua Horatius cum ubique, tum in hac satira de Lucilio agit. Verum qui hos versus composuit, si vere dixit, cum haec scriberet, Catonem in emendandis Lucilii poëmatis occupatum fuisse, fere aequalis Horatii fuerit necesse est. Nam id quidem nemo facile dubitaverit, quin de nobili grammatico Valerio Catone haec intellegenda sint. Quem cum Suetonius gr. 11 pupillum licentia Sullani temporis patrimonio exutum eundemque ad extremam senectam vixisse narret, non multum a vero aberrabimus, si natum anno 90 ante Ch., cum Horatius hunc librum ederet, annum quintum et quinquagesimum egisse et prope ad 10 annum ante Christum vitam produxisse statuamus. Non autem in postremos eius annos curam in Lucilio collocatam removebimus. At potuit homo longe postea natus fraudis tegendae causa, ut ipse Horatius videretur, illam temporis notam ponere. Recte, modo hoc teneamus, talem hominem nulla alia de causa videri posse hos versus adiecisse, nisi quod particula *nempe* initio satirae posita offenderetur. Hanc autem ingenii imbecillitatem mihi quidem non persuadetur in eum cadere, qui illos versus composuit, qui quidem, cuicuimodi sunt, certe hominem ostendunt in litteris non vulgaribus versatum et solvendae difficultati certe non gravissimae parem. Quod si hi versus omnino

non sunt ad fraudem faciendam compositi, sequitur primum, ut vera sit illa temporis nota, deinde ut non a scriptore hic positi, sed ab alio homine aliunde translati sint. Sic igitur statuo, hominem quendam satis stolidum offensum particula *nempe* in ipso exordio collocato, ut defectum, quem sibi repperisse videbatur, expleret, ex poëta Horatii fere aequali et eandem in poësi sectam secuto, qui et ipse de Lucilio longiore carmine egisset, huc transtulisse versus illos usque ad verba *grammaticorum equitum doctissimus* atque hos versus verbis *ut redeam illuc* a se ipso interpositis[1] Horatianae satirae agglutinasse, quamquam haec postrema verba per se reprehendenda non arbitror, quibus satis recte post paulo longiorem digressionem de grammaticorum equitum doctissimo rediri ad Lucilium significatur, adeo ut non repugnem, siquis haec quoque scriptori priorum versuum tribuere malit, quibus ille ad suum propositum regressus sit. Qui poëta ab interpolatore expilatus quo nomine fuerit, ignorabo equidem, donec probabili aliquo indicio cognoro; quod adhuc nullum esse arbitror sanis quidem hominibus. Kirchneri, quem haec Furio Bibaculo tribuere apud Linkerum legi, me nihil habere praeter primam partem novae editionis moneo; cuius rei me paenitebit, simulac me discere aliquid potuisse ex reliquis partibus edoctus fuero. Nec me a sententia modo proposita demovet, quod Orellius Frontonis aetati hos versus tribuit. Qui quidem nullum argumentum eius rei, de quo dicere opus sit, proposuit; sed in verborum usu cum omnia Horatianae aetati conveniant, inest tamen unum aliquod, quo uti poterat Orellius, at hoc ipsum, ut arbitror, non a poëta, sed a librariis profectum.

Nam v. 6 in pluribus atque antiquioribus codicibus legitur *exoratus*, in reliquis, quod posuimus, *exhortatus*. Atque illud quidem ferri non posse recte demonstravit Horkelius analecton Horatianorum p. 115; hoc, si aut ipsum verum est aut reliqua recte habent, passive dictum accipiendum est. Qui usus antiquiori sermoni conveniens potuit sane ab homine Frontonianae aetatis referri, ab Horatiana plane abhorret. Nam ut eos omittamus, qui *horto* posuerunt, Plautum Asin. III. 1, 9 *animus hortat* et Claudium Quadrigarium ap. Non. p. 472 M. *hos cohortarent*, haec sunt certa illius usus exempla: Cato ap. Gell. XV. 13, 5 *exercitum cohortatum eduxit*; Cassius, quem hoc ipsum non Cassium Severum, sed Heminam esse evincit, ap. Prisc. VIII. 15

adulati erant ab amicis et adhortati; Varro ap. eund. VIII. 20 *ab*
amicis hortaretur; Apuleius Metam. IX p. 662 Oud. *canes in eo-*
rum exitium inhortatos. Verum non solum in hoc verbo hic
haereo. Nam quod dixit poëta *hoc lenius ille*, certe significare
noluit, quae non nullorum sententia fuit, lenius Lucilium emen-
dasse Catonem. Si enim lenius emendasset, pauca vitia inesse
significasset, quod contrarium est verbis *quam sis mendosus;* et
quod caput est, id requiri apparet, ut comparentur inter se,
quae defendendi Lucilii causa egerint Cato et ille grammaticorum
equitum doctissimus; quorum si uterque emendabat Lucilii ver-
sus male factos, non tantum teste Catone, sed[1] utroque pervic- 6
turus erat poëta, quam mendosus esset Lucilius, et is certe magis
laudandus erat, qui acriter emendabat: hic enim subtilius iudi-
cium ex sententia poëtae ostendisset, cum plura vitia in Lucilio
deprehenderet. Itaque *hoc* ante *lenius* est accusativus pendens
ex verbo *facit* cogitatione supplendo, et haec fuit poëtae sen-
tentia, lenius agere Catonem, qui emendaret Lucilium, quam
illum alterum, qui alia ratione Lucilio subvenire studeret. At-
qui quo modo hic subvenerit, nihil relatum legimus; id legi-
mus, quid passus sit. Rectam igitur viam ingressum puto Rei-
sigium sive ante eum Wissium, qui *puerum* scribendum coniecit
et Orbilium hic describi iudicavit. Atque is falsa opinione
ductus, Horatii hos versus esse, data opera *puerum* posuit, ut
is similiter hic de se praedicaret atque epist. II. 1, 70 notis
versibus:

memini quae plagosum mihi parvo
Orbilium dictare.

Sed quicumque haec scripsit, singularis numerus *puerum* ferri nequit. Nam si horum versuum scriptor ipse esset ille, quem Orbilius antiquis poëtis opem ferre voluisset, non diceret *contra fastidia nostra*, ut se ipsum includeret. Equidem ita hunc poëtam scripsisse arbitror:

Hoc lenius ille,
quo melior vir et est longe subtilior illo,
qui multum pueros loris et funibus udis
exhortatus, ut esset, opem qui ferre poëtis
antiquis posset contra fastidia nostra,
grammaticorum equitum doctissimus.

In quibus *qui* non nominativum, sed ablativum sive adverbium

esse puto; id quod post *puerum* fieri non poterat. Quod si non apertissime dictum videatur, condonabitur huic poëtae, quem hac ipsa re, quod alia quoque in eo vituperanda sunt, Horatium non esse intellegimus. Hoc igitur dicit: Cato Lucilii versus male factos emendat, hic alter unum habebat, quo antiquis poëtis subvenire posset, lora et funes. Neque dubito ne ego quidem, quin haec de Orbilio dicta sint, quem clarum saevitia fuisse Suetonii verba ostendunt gr. 9: *Fuit autem naturae acerbae non*
7 *modo in antisophistas, quos omni*[1] *sermone laceravit, sed etiam in discipulos, ut Horatius significat plagosum eum appellans, et Domitius Marsus scribens*

Siquos Orbilius ferula scuticaque cecidit.

Pro quibus quod hic poëta lora et funes udos posuit, plane sui similis fuit, quippe quem in Lucilio quoque modum egressum iudicaverimus. Orbilius autem cum consule Cicerone quinquagenarius fuerit et prope ad centesimum annum vixerit, vitam produxit usque ad annum fere 13 ante Ch. n.; idemque cum equo meruisset, recte eques appellatur. Ne magnam famam quidem, qua eum docuisse Suetonius refert, omisit hic poëta, sed hanc famam irridens adiecit illa *grammaticorum equitum doctissimus;* quae verba per appositionem ad *posset* referuntur.

v. 35 sqq.

Scilicet oblitos patriae patrisque Latini,
cum Pedius causas exsudet Poplicola atque
Corvinus, patriis intermiscere petita
verba foris malis Canusini more bilinguis?

fere omnes scholia secuti duos homines ab Horatio commemorari statuunt, Pedium Poplicolam et Messallam Corvinum. Plerique autem id quoque accipiunt, quod Acro hos fratres fuisse refert, ita ut Poplicolam a Q. Pedio, consule anni ante Ch. n. 43 eodemque anno defuncto, adoptatum esse statuant. Huic autem Q. Pedio filium fuisse scimus, qui frater Messallae non esset, ita ut, qui scholia sequuntur, eo compellantur, ut praeter hunc filium fratrem Messallae a Q. Pedio ascitum existiment. Sic enim Plinius refert hist. nat. xxxv. 4, 21: *Cum Q. Pedius, nepos Q. Pedii consularis triumphalisque et a Caesare dictatore coheredis Augusto dati, natura mutus esset, eum Messalla orator, ex cuius familia pueri avia fuerat, picturam docendum censuit.* Si enim pater huius muti pueri frater Messallae fuisset, cur Plinius re-

motiorem cognationem commemoraret omissa proxima? At unum fratrem Messallae fuisse Horatius demonstrat v. 93 huius satirae, qui hac compellatione *Messalla tuo cum fratre* uti non poterat, si plures fratres habuisset Messalla: unde enim, quem fratrem diceret, intellegeretur? Hunc autem unicum Messallae fratrem non Pedium quendam Poplicolam, sed L. Gellium Poplicolam fuisse constat, de quo sta|tim dicam. Nullis igitur artificiis ef- 8
fici potest, quin falso scholia de hac re retulerint. Sed Heindorfius, ut tamen duos illos homines a scholiis commemoratos teneret, filium Q. Pedii consulis anni 43 a matre, quam Plinius ex Messallae familia fuisse ait, Poplicolae cognomen assumpsisse statuit. Quo invento fruatur, qui volet: ego hoc sequor, quod Pedium Poplicolam praeter Horatii scholia nemo novit, tres vero homines hoc tempore vixisse constat, Messallam Corvinum, Q. Pedium, filium consulis anni 43, patrem muti filii, de quo Plinius refert, L. Gellium Poplicolam, fratrem Messallae; et cum horum nomina apud Horatium reperiam, hos tres ab eo commemoratos iudico*). Et L. Gellium Poplicolam, de quo nihil inaudivisse interpretes Horatii videntur, initio easdem partes atque fratrem Corvinum secutum, primum Bruto, deinde Cassio insidiatum esse, et cum ab his Pollae matri et fratri concessus esset, ad Octavianum transfugisse, anno autem ante, quam |haec satira ederetur, 36 ante Ch. n. consulem fuisse referunt ep. Liv. 122, Cassius Dio XLVII. 24. XLIX. 1 fastique consulares. At nequid hoc loco non temptaretur, fuerunt, qui *Poplicola Corvinus* coniungendum putarent, et Orellius etiam Messallae Poplicolae nomen fuisse asseverat, et repetit hoc quoque mira reverentia Kruegerus, cui opto, ut meliorem huius rei auctoritatem reperiat. Non deerunt autem, ut spero, qui in posterum ita mecum hunc versum distinguant;

cum Pedius causas exsudet, Poplicola atque
Corvinus.

De *atque* particula monui commentationis I p. 12 [*supra p. 482*].

Iam pluribus locis demonstravimus, quam caute utendum esset Horatii scholiis, quamquam in iisdem quaedam bonae frugis latere perperam ab interpretibus neglecta aliis exemplis probavimus. Minima autem fide digni sunt ii, *qui de personis Ho-*

---

*) [*Sed vid. Nipperdeii variarum obss. antiq. rom. cap. II. 15.*]

ratianis scripserunt (quibus verbis a scholiastis producuntur); quos certum est longe plurima finxisse et ineptissimis mendaciis commentarios Horatianos implesse. Maxime insignia eius rei exempla sunt *Petillius Capitolinus*, de quo ne Ritterus quidem scholiis credidit (Kruegerus autem veterem fabulam in usum scilicet scholarum repetiit) et *Fannius*, ab Horat. sat. I. 4, 21. 94. 10, 34 commemorati, de quibus monuit Otto Iahnius nov.
9 mus. Rhen. VI. 589. De *Fannio* autem legen|dae sunt quattuor diversae fabulae ab Acrone relatae, non pauca illa, quae in excerpta Crucquiana recepta sunt, ut et quo modo illud hominum genus in fingendo versatum sit, cognoscatur, et qua auctoritate tam male de praefectis publicarum bibliothecarum, quae primae Romae constitutae sunt, existimetur, ut *ineptum convivam Tigellii Hermogenis*, ut appellatur ab Horatio 10, 87, recepisse videantur. Atque si recte, ut equidem arbitror, nulla primi libri satira post annum 35 ante Ch. n. edita iudicatur, una tum erat Romae publica bibliotheca ab Asinio Pollione anno 39 in Atrio Libertatis constituta, in quam cum ille ex vivis unius M. Varronis imaginem reciperet, ut Plinius refert hist. nat. VII. 30, 115, putabimusne vivo Pollione eundem honorem concessum esse Fannio? sive hanc satiram aliquot annis post editam concedere licet, num id factum credemus in bibliotheca Octavia, quam anno 33 publicatam esse Dio XLIX. 43, praefectum accepisse C. Melissum Suet. gr. 21 tradunt? At tres ex illis nugatoribus de auctoritate et imagine senatus consulto Fannio data narrant. Apparet igitur eos de bibliotheca Palatina cogitasse, quam anno 28 demum institutam esse ex Dione constat LIII. 1, in qua in clipeis imagines auctorum positas eumque honorem Germanico mortuo a senatu decretum esse Tacitus ab exc. d. Aug. II. 36 et 83 demonstrat. Sed id tamen recte in scholiis legitur: *Fannius, cui ultro delatae sunt capsae, ut suos libros mitteret.* Nam verba

beatus Fannius ultro
delatis capsis et imagine

neque ita interpretari licet, ut Fannio capsae et imago oblatae sint, quibus domi suae uteretur, qui honos non magnus fuisset neque certe homines legendorum Fannii librorum cupidos ostenderet, quod flagitant proxima:

cum mea nemo
scripta legat;

neque ita, ut ipse Fannius capsas et imaginem in aliorum bibliothecas detulerit, neque ut amici hoc fecerint: nam ne haec quidem proximis verbis conveniunt, postrema interpretatio ne *ultro* quidem vocabulo. Itaque privati homines capsas et imaginem se faciendas curaturos Fannio polliciti erant (hoc enim est *deferre*, »*antragen*«), si[1] iis suos libros concederet, quos illis capsis inclusos una cum imagine in suis bibliothecis reponerent. Sed, ut fit, ut ii, qui mendacia fingunt, ingenii inopia saepius ad easdem res relabantur, ita hos quoque homines, qui de personis Horatianis scripserunt, in tertia satira bis M. Antonio triumviro et urbe Alexandria ad exornandas fabulas suas usos reperimus. Nam et *Sisyphum* v. 47 commemoratum alii nepotem, si dis placet, Antonii vel nescio qua cognatione cum eo coniunctum (valde enim corrupta sunt Acronis verba), alii pumilionem eiusdem fuisse tradiderunt, de quo lepidam narratiunculam rei Alexandriae gestae adiciunt excerpta Crucquiana; et *Euandrum*, de quo v. 91 legimus, plasten et caelatorem ab Antonio Athenis Alexandriam, ab Augusto capta Alexandria Romam abductum. Et de Sisypho omnes crediderunt, de Euandro complures recte negaverunt, quamquam argumentis non satis idoneis usi. Sed cum Horatius v. 47 his verbis utatur:

ut abortivus fuit olim
Sisyphus,

apparet eum non dicere de homine paucis annis ante mortuo, ut vel is statuere cogitur, qui hanc satiram solus ad annum 34 detrudit, Franciscus Ritterus, nedum illa somnia conveniant tempori rectius constituto, anno 39 vel 38. Commemoravit poëta hominem dudum mortuum, sed fama celeberrimum, de quo legerat, ni fallor, apud aliquem admirandorum scriptorem. Idem cum v. 91 sic scriberet:

mensave catillum
Euandri manibus tritum deiecit,

nihil potuit aliud significare nisi vas ab Arcade illo Euandro, antiquissimo Romae incola, usu detritum. Nam sanus quisque homo, quae legit, simplicissima et maxime obvia sententia ac-

cipit; cui generi cum scribat bonus poëta, necessario, siquid aliter atque vulgo fit intellegi vult, huius rei indicium aliquod ponendum putabit. At celeberrimus et vel pueris Romanis notus Euander erat Arcas ille; pervagatus verbi, quod est *terere,* usus, quem supra posuimus. Itaque cum plastes Euander et catillum torno tritum nulla re indicetur, iniuriam poëtae faciemus, si haec pro illis substituerimus. Sed vel in nostris scho-
11 liis quibusdam locis una cum mendaciis eorum, qui de personis Horatianis scripserunt, saniora servata sunt. Velut ad eiusdem tertiae satirae v. 85 sqq.

acerbus
odisti et fugis ut Rusonem debitor aeris,
qui nisi, cum tristes misero venere calendae,
mercedem aut nummos undeunde extricat, amaras
porrecto iugulo historias captivus ut audit,

conficta haec sunt, quae Porphyrionis verbis referam: *Octavius Ruso* (usi sunt nugatores Cn. Octavio Rusone quaestore a Sall. Iug. 104 commemorato) *acerbus faenerator fuisse traditur, idem scriptor historiarum, ad quas audiendas significat solitum fuisse cogere debitores suos.* At Acro hanc aliorum sententiam dicit; alii, ut idem refert, *historias* interpretati erant *convicia.* Qua sana ratione spreta recentiores interpretes omnes illas nugas secuti sunt. Itaque iidem, cum apud nostratem de faeneratore quodam legerint: *seine schuldner bekommen predigten zu hören,* eum faeneratorem contiones sacras aut habuisse aut scripsisse existimabunt. Hic quoque illud tenendum erat, quod antea monui: tam mira res est faenerator pecuniae idemque historiarum scriptor gloriae cupidus, ut Horatius, si veras historias hic intellegi voluisset, hoc non potuerit non aperto aliquo indicio significare. Puto apparere, quam foeda superstitione laborent, qui audacia mendaciorum ad credendum compellantur, et quo illi homines, qui de personis Horatianis scripserunt, nulla in confingendo religione neque modo usi plura atque accuratiora se comperisse simulant, eo maiorem iis fidem habeant. Videbantur autem haec praemittenda, quo certius eorundem hominum grave mendacium convinceremus, quo cupide accepto insignis iniuria facta est egregio cuidam poëtae Romano non solum ab Horatii interpretibus omnibus, sed etiam a scriptoribus historiae litterarum Romanarum praeter unum Godofredum Bern-

hardyum. Qui quoniam brevissime, ut poterat, de hac re admonuit historiae litterarum Romanarum iterum editae p. 462 [^{5}*566*], operae pretium putavimus eandem quaestionem uberius pertractare, ut error a viro doctissimo notatus funditus tolleretur.

Nam Horatii versus sat. I. 10, 44: |

Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona dumque 12
defingit Rheni luteum caput,

Acro interpretatur de *Bibaculo*, ut recte Bentleius etiam in excerptis Crucquianis restituit, cum Crucquius *rivalem* posuisset; Porphyrio ad Cornelium quendam Alpinum refert. Sed sat. II. 5, 40:

seu pingui tentus omaso
Furius hibernas cana nive conspuet Alpes,

uterque Furium Bibaculum irrideri consentit, cuius hic versus fuerit in *pragmatia* belli Gallici:

Iuppiter hibernas cana nive conspuit Alpes.

Neque id dubitandum videtur, quin idem poëta utroque loco irrideatur, cum et tumidus atque inflatus homo utrobique commemoretur (ita enim et turgidum et pingui tentum omaso interpretor, non ventre tumente, quia proxima de carminibus hominis agunt), et Rhenus atque Alpes idem argumentum demonstrent. Id quoque recte interpretes ex utroque loco desumpsisse arbitror, hunc poëtam scripsisse Aethiopida et libros de bello Gallico: nam *pragmatiam* ne ineptissimus quidem Latinus poëta dixerit. Sed de Furio Bibaculo pernego. Primum enim praeter scholia Horatiana nemo hunc epica carmina composuisse auctor est. Nam perverse Weichertus in poëtarum Latinorum reliquiis p. 353 eos versus, quos ex Furio Antiate profert Gellius XVIII. 11, huic Bibaculo tribuit. Quos versus novorum verborum inchoativorum deliciis insignes quod a gravitate illius temporis, quo Furius Antias vixerit, abhorrere putat, plane contra est. Nam C. Marii et L. Sullae aequales non pauci, cum nequaquam omnia antiquitatis et ruris vestigia detersissent, tamen ita in quibusdam rebus elegantiam, leporem, argutias, festivitatem affectabant, ut gravitatem et vim et robur neglegerent. Quae res in praecipuis auctoribus C. Titio et Caesare Vopisco a Cicerone notata ad quem lusum atque ineptias processerit, ea ostendunt, quae ex Laevii et Cn. Mattii carminibus supersunt, quae alii

tempori nisi huic tribuere non licet: neque enim profecto ille Cn. Mattius idem est atque C. Matius, Caesaris et Augusti familiaris. Sed non solum nemo praeter scholia Horatiana Furium Bibaculum epica carmina composuisse tradidit, verum etiam omne certe longum et historicum epos, quales libros de bello
13 Gallico[1] poëtae ab Horatio notati fuisse necesse est, quos Caesaris res gestas comprehendisse nemo negaverit, plane a genere poëseos abhorret, quod Bibaculus secutus est. Fuit enim ille ex eorum poëtarum numero, qui Alexandrinos potissimum secuti simul et in oratione et in versibus componendis ab antiquiorum poëtarum Romanorum consuetudine discedebant, retenta illa ab utroque Varrone, Lucretio ipsoque Cicerone, qui hos novos vel νεωτέρους Romanorum poëtas et vituperat et irridet Tusc. iii. 19, 45. or. 48, 161. ad Att. vii. 2, 1. Apparet id praeter hendecasyllabos Catullianis simillimos ex coniunctione eius cum Valerio Catone, quem Suetonius refert peridoneum praeceptorem visum esse maxime ad poëticen tendentibus, quem Cinna nostrum appellat, cuius qui ex duobus carminibus supersunt versus hexametri 183 plane habent novorum poëtarum colorem, ita ut dubium non sit, quin hic huius generis praeceptor fuerit; a qua re non dissentire putabimus, quod idem Lucilium emendaverit neque pessime de eo iudicarit. Sed cum Bibaculus apud Suetonium *summam prope* Catonis *senectam* commemoret, comparantibus, quae de huius aetate supra monuimus, Hieronymum falso illum anno 99 natum referre apparebit, maiore etiam errore, quam quo Catulli tempora decem annis reiecit: nam Bibaculi annus natalis minimum viginti annis promovendus est. Hi igitur novi poëtae omnes minora carmina composuerunt, maxime amatoria, iambos, epigrammata (et quia toti fere in hoc minuto et leviore genere erant, Horatius sat. i. 10, 27 despicit homines *nil praeter Calvum et doctos cantare Catullum*); in epico genere et ipsa minora et fabulas magna doctrina exornatas, non historiam tractantia, ut Catullus epithalamium Pelei et Thetidis, Calvus Io, Cinna Zmyrnam. Non est igitur probabile ab hac consuetudine recessisse Furium Bibaculum. At tam insignis is fuit in uno genere poëta, ut, si mala carmina epica composuisset, vel miraculi causa hoc tacituri non fuerint, qui eum laudant, ita ut utraque re, et silentio omnium praeter scholia Horatiana et ipsius in iis carminibus, de quibus constat, praestantia, aut

nullum epos eum composuisse, id quod verisimillimum est, aut, siquid ex hoc genere composuerit, certe non ea composuisse, quae Horatius reprehendat, evincatur. Nihil autem constat nisi iambos et epigrammata ab eo scripta: nam ne amatoria quidem carmina composuisse, quae omnes eiusdem sectae cum illis coniunxerunt,[1] Ovidius ostendit trist. II. 421 sqq., ubi enumeratis 14
omnibus, qui ante ipsum amores cecinerint, Bibaculum non commemorat, nisi forte est inter eos,

> . . *quorum libris modo dissimulata Perillae*
> *nomine, nunc legitur dicta, Metelle, tuo.*

Verum in iambica, hoc est omni maledica poësi fuit praestantissimus. Atque hic non nihil dissentio a Bernhardyo, cui obfuit, ut puto, quod, cum primum historiam litterarum Romanarum ederet, et ipse secutus erat scholia Horatiana, quo minus ne nunc quidem suum locum huic poëtae tribueret. Ita enim iudicat Quintilianus X. 1, 96: *Iambus non sane a Romanis celebratus est ut proprium opus; quibusdam interpositus: cuius acerbitas in Catullo, Bibaculo; in Horatio, quamquam illi epodos intervenit, non reperiatur*. De postremis verbis non disputo, quae in codicibus corrupta ita recte ab aliis emendari statuo: hoc apparet, in iambica poësi omnium poëtarum ante Horatium Quintiliano praestantissimos visos esse Catullum et Bibaculum. Quod quale sit, rectius aestimabit, qui ne Calvum quidem cum eo comparari reputaverit, cuius erant nobilissimi iambi, pleni ingentis animi, ut Seneca ait contr. VII. 19, 7. Atque similiter cum Catullo coniungitur apud Tac. ab exc. d. Aug. IV. 34: *carmina Bibaculi et Catulli referta contumeliis Caesarum leguntur;* quae simul ostendunt recte nos de aetate Bibaculi statuisse: neque enim homo fere sexagenarius in Octavianum, qui primum anno 44 ad rem publicam accessisset, multa composuerit. Neque aliter Diomedes p. 482 P.: *cuius carminis* (iambum dicit) *praecipui scriptores apud Graecos Archilochus et Hipponax, apud Romanos Lucilius et Catullus et Horatius et Bibaculus*. Qui consensus satis ostendit omnium criticorum hoc fuisse iudicium, ut ante Horatium Catullus et Bibaculus omnium praestantissimi iambicae poëseos auctores existimarentur. Neque hanc ei gloriam, non magis quam Valerio Catoni suam, detraxerit Messalla Corvinus, quem Suet. gr. 4 in quadam epistula scripsisse refert *non esse sibi rem cum Furio Bibaculo, nec cum Ticida quodam*

aut litteratore Catone; dixit autem paulo contemptius ipse nobilissimus in homines genere ignobiles neque a re familiari beatissimos. Sed immerito Bernhardyus bilem tantum Bibaculi laudandam putavit. Cuius quod acerbitatem commemoravit Quintilianus, fecit hoc, quod summam hanc iamborum scriptoris laudem putaret, non quod solam huius poëtae. An sola acerbitate censetur Catullus? Quo non inferiorem fuisse Bibaculum in quibusdam carminibus elegantia, iucunditate, gratia versus ostendunt de Valerio Catone a Suetonio relati gr. 11: tantum a Bernhardyo dissentio, aculeis magis quam gratia conspicuos dicente. Quorum versuum prioribus nihil mea sententia potest esse dulcius: alteri de Catonis difficultate rei familiaris tanta cum festivitate et tam insigni hominis laude iocantur sine ulla malitia, ut gratissimi esse debuerint nobili grammatico, cui familiaris paupertas neque summum malum videretur neque pudori esset. Satis mihi demonstrasse videor tam insignem hunc fuisse poëtam, ut eum non irrideri ab Horatio certum sit. At quis fuit ille ab Horatio notatus? Furius Alpinus nescio quis, certe iis ipsis nominibus, quae apud Horatium legimus, Fabiis, Crispinis, Fanniis, Cassiis Etruscis aequiperandus. Eius versum fuisse

Iuppiter hibernas cana nive conspuit Alpes,

etiam non lecto eius libro Horatius ipse docebat; et puto Quintilianum, qui eundem una cum *capitis nivibus* ex Horatii carm. IV. 13, 12 affert, memoria deceptum ipsius Horatii hunc versum existimasse. Remotum est igitur ultimum exemplum hominis ficto nomine ab Horatio perstricti, postquam de *Malthino* (I. 2, 25) dixit Nicolaus Madvigius opusculorum priorum p. 63, quem omnes secuti sunt praeter Kruegerum, qui hoc quoque in usum scholarum retulit. Atque Madvigius hoc rectissime monuit, totum illud fictorum nominum genus plane a satira Romana abhorrere: reliqua eius argumenta non adeo firma sunt; ut auctoritate magis imposuisse Horatii interpretibus videatur, qua eos facilius moveri quam argumentis non hoc solum exemplum est. Quo mihi exoptatius est de Furio Alpino eandem ante me sententiam tulisse Godofredum Bernhardyum.

Verbis de turgido Alpino modo tractatis haec subicit Horatius sat. I. 10, 45:

haec ego ludo,
quae neque in aede sonent certantia iudice Tarpa,
nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.

Duplicem horum verborum apud interpretes explicationem legimus, quam utramque etiam in scholiorum confusa relatione dinoscere licet. Aut enim omnia interpretantur de poëmatis scenicis, quae primum a Tarpa probata deinde in scenam venerint, aut[1] priora de quocumque genere recitandorum carminum, altera 16
de fabulis in scena agendis, nisi quod Wuestemannus omnia de recitandis aut in aede aut in theatro carminibus accepit, quem fugit, ne alia proferam, vocabulum *spectanda*, neque Ovidium trist. II. 519:

Et mea sunt populo saltata poëmata saepe,
saepe oculos etiam detinuere tuos,

quem locum protulit, ut omnis generis carmina in theatro cum gestu et motu verba exprimente recitata probaret, pantomimos commemorare perspexit. Et priores sequuntur ea, quae excerpta Crucquiana servarunt, nulla carmina in scenam esse delata, nisi quae recitata a poëtis a Tarpa aut alio ex quinque iudicibus essent probata. Neque haec per se improbabilia dixerim, cum eiusdem Sp. Maecii Tarpae iudicio antea subiectas esse fabulas, quae Pompeii ludis anno 55 agerentur, Cicero auctor sit ad fam. VII. 1, 1. Sed aliis rebus hic fraudis convincuntur. Nam si de solis fabulis scenicis diceret Horatius, qui illam Tarpae probationem ab agendis fabulis separare poterat, cum hoc unum fabularum scriptoris interesset, ut agerentur fabulae? An iam in eo aliqua gloria erat, quod fabulae Tarpae iudicio subicerentur? Minime vero: qui enim his iudicibus ullam fabulam non lectam reicere licebat? Aut quo modo Horatius utramque rem ita commemorare poterat, quasi fieri potuisset, ut is, qui sua carmina illis iudicibus examinanda proposuisset, ea non agi in scena voluisset, cum illa re, ut hoc fieret, expeteretur? At alia sententia enuntiatorum duplici particula *neque* coniunctorum esse non potest. Apparet Horatio, si haec omnia de fabulis scenicis posuisset ita dicendum fuisse: *quae non, cum certaverint iudice Tarpa, redeant iterum atque iterum spectanda theatris*, aut *quae non certent iudice Tarpa, ut redeant* et q. s. Deinde qui fiebat, ut hi quinque vel sex viri fabulis probandis iudicarent in aede? Putes ad hanc rem modicum cubiculum suffecisse,

quod iudices et poëtam reciperet, vel si frequentia admitteretur
et publico loco auctoritatis causa opus videretur, certe non lo-
cum sanctissimum personuisse turpissimis comoediarum et mi-
morum actibus. Scholiastae aut urbis Romae aut huius satirae
temporum, ut solent, immemores hoc factum dicunt, Acro in
Museo aut Athenaeo, excerpta Crucquiana in aede Apollinis seu
Musarum, hoc est Apollinis Palatini, unde detruncata in Acronis
17 et Porphyrionis re|liquias venit aedes Musarum. Et eius modi
recitationes, fieri potest, ut habitae sint in bibliothecis aedi
Apollinis Palatini et Athenaeo adiectis; sed cum Horatius haec
scriberet, illae non erant: in aede factas esse incredibile est.
Atque haec etiam illis obstant, qui v. 46 de recitationibus om-
nis generis intellexerunt, auditoribus corrogatis a privato homine
habitis. Numquam enim eae in aede habitae sunt, id quod re-
ligionem loci reputantibus ipsa re patere debebat: ut operam
luserit Franciscus Ritterus detruncata scholiastarum verba de
vetere aede Herculis Musarum a Fulvio Nobiliore dedicata inter-
pretatus. Nam quod Kruegerus abusus est versibus epist. II. 2,
94 sqq., iam dudum recte ii explicati sunt de bibliotheca Pa-
latina, quam illi poëtae, quos Horatius inducit, vatibus Romanis
eo nomine dignis vacuam iudicent. Unum carminum genus so-
nare in aede Romana poterat, nimirum quod in cultu deorum
diebus festis celebrandis caneretur, quale ipse poëta postea
composuit carmen saeculare. Talia igitur carmina hic significa-
vit poëta. Atque ita aptissime coniunxit ea poëseos genera,
quae cantu et actione ad frequentis populi aures atque oculos
perlata magnam poëtae in vulgus commendationem afferrent,
lyrica carmina elatissima et fabulas scenicas. Sed quia ad illa
perite audienda non vulgari iudicio et musicae atque poëtices
subtiliore cognitione opus erat et periti maxime illos cantus fre-
quentabant, dixit *certantia iudice Tarpa*, hoc est poëtam his car-
minibus contendere, ut severorum et peritorum criticorum iu-
dicium auferant et ab iis aliis eiusdem generis praeferantur.
Sp. Maecius Tarpa autem, qui anno 55, cum Pompeii ludis fa-
bulas probaret, non potest videri quadraginta annis minor fuisse,
cum haec satira scriberetur, sexagenarius, cum ab Horatio in
arte poëtica v. 387 commemoraretur, octogenarius fuit, si usque
ad hoc tempus superfuit: nam id certe vere dixit Bentleius ar-
tem poëticam ex ultimis esse Horatii carminibus et Maecium ibi

figurate pro quovis perito iudice poni, cum, etiamsi superfuerit, tamen decrepitus senex iudicis officio fungi nequiverit. Sed qui scholia Horatiana cognoscere cupiunt, ii operae pretium facient, si ea quoque perlegerint, quae Acro de Tarpa ludi magistro et veteribus ludi magistris in aedibus sacris docentibus refert.

V. 61 sqq.[1]

Nil comis tragici mutat Lucilius Atti, 18
non ridet versus Enni gravitate minores,
cum de se loquitur non ut maiore reprensis?

recte Nicolaus Madvigius opusculorum priorum p. 106 ad scholiorum explicationem redeundum demonstravit. Sed miror neque ipsum neque post eum alios animadvertisse huic explicationi repugnare indicativum *cum* particulae adiunctum, quae ipsa causa videtur superioribus fuisse a scholiis discedendi. Nam huic particulae, cum significetur aliquid, quod superioribus comparetur et diversa quadam sui natura illa leniat et quasi compenset (vituperat enim Lucilius Attium et Ennium, at se illis non praefert), necessario adiungendus erat coniunctivus: *cum* adiuncto indicativo hic nihil significare potest nisi *quoties,* quod ineptum est. Recipiendum est igitur, quod in codice Bersmanni legi Kirchnerus refert: *dum.*

Breviter sententiam dicam de loco vexatissimo huius satirae, qui legitur inde a v. 72:

fuerit Lucilius, inquam,
comis et urbanus, fuerit limatior idem
quam rudis et Graecis intacti carminis auctor
quamque poëtarum seniorum turba.

Acquiescunt nunc plerique in Heindorfii explicatione, uberius exposita illa a Carolo Friderico Hermanno, ut Horatium hoc significare iudicent: fuerit Lucilius limatior, quam exspectari poterat, cum esset auctor carminis rudis et Graecis intacti. Et sane, si *rudi et Graecis intacto carmine* satira Romana significatur, hoc verissime vidit Heindorfius, huius *auctorem* hic non alium dici posse quam Lucilium. Nam quidquid contra dicunt Bernhardyus historiae litterarum Romanarum p. 497 [^{5}*632*] et Vahlenus Ennii sui p. LXXXIII, Horatius, qui v. 56 Lucilium satirae *inventorem* dixisset, nullum poterat alium eiusdem *auctorem* existimare. Neque enim Bernhardyo concedere possumus Ennium

auctorem satirae dici posse, quia primus poëmata vario argumento variisque numeris hoc nomine appellata composuerit, Lucilium eiusdem inventorem, quia propriam huic generi legem et normam imposuerit. Numquam enim Latine is auctor appella-
19 tur, qui alia re agenda, ita ut ipse nolit, in causa est, ut | alteri aliquid in mentem veniat. Auctor potius inventorem comprehendit; vel siquod discrimen statuere licet, inventor auctore prior est, ut, quod ille excogitaverit, hic primus agat eaque re alios, ut se imitentur, permoveat. Sed neque Horatius neque ullus alius paulo antiquior homo Romanus Ennium ulla ex parte satirae Romanae auctorem putavit. Neque enim solum Horatius nusquam Ennii in hac re nomen ponit, sed huius libri 4, 6, ubi exponit, quos secutus sit Lucilius, antiquae comoediae Atticae poëtas commemorat: *hinc,* inquit,

omnis pendet Lucilius, hosce secutus
mutatis tantum pedibus numerisque.

Satisne perspicue significare videtur nihil Lucilium debere Ennio? Nimirum Horatius et omnes post Lucilium Romani id, quod saturam appellare consuerant, plane diversum putabant ab Enniana satura, tam profecto quam ab antiquis illis scenicis saturis, de quibus Livius dicit vii. 2. Itaque cum saturae nomine uterentur, unam Lucilianam intellegebant, id est eam, quae ad mores hominum eiusdem aetatis referretur, et quidquid ageret, sive itinera describeret, sive grammaticae rationem emendaret, ad hos respiceret. Sic Quintilianus x. 1, 93 primum dicit de *satira*, quia hoc solo nomine posito satis apparebat, quam diceret; postea, ubi de Enniana et Varroniana acturus est, subicit *alterum illud etiam prius satirae genus.* Similiter vel Diomedes p. 482 P. discernit *satiram,* quae *nunc dicitur* et quae *olim vocabatur.* Horatius igitur, ubicumque *satiram* nominavit, Lucilianam dixit, de Enniana ne cogitavit quidem: is enim erat tum eius vocabuli usus, ut Enniana nisi aperto indicio adiecto intellegi omnino nequiret. Et num, qui Ennium hic inferunt, huius satiram putant intactum Graecis carmen fuisse? num Graecorum neminem poëmata vario argumento et variis numeris scripsisse affirmabunt? Denique si *auctor* ille *rudis carminis* est Ennius, necessario *poëtae seniores* proximo versu commemorati Ennio seniores accipiendi sunt. Flagitat hoc orationis forma, quae comparativum ad proxima referri iubet;

flagitat sententia: nam si intellegerentur Lucilio seniores, ipse Ennius in horum numero esset. At quot tandem ante Ennium Romani poëtae fuerunt, ut *turbam* eorum commemorare liceat? Equidem neminem novi praeter Livium, Naevium, Plautum. Sed ut recte egerunt Heindorfius et Hermannus,[1] quod Ennium excludunt, ita concedendum non est verba Horatii ita, ut voluerunt, intellegi posse. Nam primum grammatica ratio hoc non patitur, quae duplici tantum modo verba accipi sinit, ut aut *auctor* ille sit alius atque Lucilius, aut si est Lucilius, hic se ipso limatior dicatur. Hoc vidit Meinekius, sed non vidit hac re illam explicationem everti. Neque enim quisquam se ipsum superare dici potest, nisi ita, ut quibusdam sui partibus melior esse quam reliquis dicatur; aliter enim deerit ille, quem ipsum dicimus. At hoc plane ab hoc loco alienum est. Sed ne sententia quidem horum ipsorum verborum Lucilium intellegere sinit. Nam si *auctor rudis et Graecis intacti carminis* significat eum, qui satiram Romanam invenit et primus carmina eius generis composuit, non huius carmen, sive Lucilius est, sive Ennius (nam hunc quoque praeter superiora etiam haec excludunt), rude et Graecis intactum dicitur, sed totum genus, non solum omnes satirae, quae adhuc compositae sunt, sed etiam siquae postea componentur, quia hae res cum ipso genere atque natura satirarum coniunctae sunt. Quod ineptum esse apparet, nisi forte Horatio suae satirae rudes videbantur. Sensit hoc Hermannus dixitque *rude* nihil aliud significare quam *novum*. At nihil egit profecto: nam *rudis* semper est arte destitutus, atque ita sane homo incorruptus vel alia res cum laude dici potest; in litteris quodcumque rude dicitur, vituperatur. Neque ego, quamquam hoc minus premam, satiram puto Horatium dicturum fuisse *intactum Graecis carmen*, qui et 4, 6 et huius satirae v. 24 totum hoc genus ab antiquis Atticorum comicis deducat. Aliud est enim, quod Quintilianus fecit, satiram totam Romanam dicere, hoc est ut carminis genus ab aliis generibus diversum, aliud intactum Graecis, hoc est negare Graecos ullam eius partem attigisse. Sensit hoc quoque Hermannus et ne huic quidem rei satis feliciter succurrit; sed, ut dixi, hoc non nimis premam, cum aliis argumentis satis demonstraverim neque *auctorem* hic dici Lucilium neque *rude et Graecis intactum carmen* satiram Romanam. Atque altero argumento simul hoc effecimus,

VARIARUM OBSERVATIONUM ANTIQUITATIS ROMANAE

CAPUT I.

(Index scholarum hibernarum in universitate litterarum Ienensi a. MDCCCLXXI—MDCCCLXXII habendarum.)

In libro de legibus annalibus liberae rei publicae Romanae p. 55 nota 12 apud Tacitum A. 44, ubi in codicibus haec leguntur: *Natus erat Agricola C. Caesare ter consule idibus Iuniis; excessit VI°* *et L*mo *anno decimo kal. Septembr. Collega Priscoque consulibus*, cum neque Wexii ratio probari posset, qui Lipsium et Broterium secutus *C. Caesare tertium consule* et *quarto et quinquagesimo* posuerat, quia tum Agricola praeturam, cui legitimum annum aetatis tricesimum sub primis Caesaribus fuisse demonstravi, duodetricesimo anno cepisset, quam uno anno ob filiam susceptam remisso non potuisset capere ante undetricesimum, neque aliorum commentum admittere liceret, ut *C. Caesare primum consule* et *septimo et quinquagesimo* scriberetur, quia C. Caesar primum consul suffectus fuisset et quidem ex calendis Iuliis (Suet. Cal. 17), cum idibus Iuniis natus sit Agricola, unum relinqui dixi, ut *C. Caesare iterum consule* et *quinto et quinquagesimo* emendaremus. Contra Theodorus Mommsenus Hermae III. 80 nota 4 novam rationem invenisse sibi visus est, qua scripturam a Wexio receptam comprobaret. Putat enim ob *filium*, quem *ante sublatum brevi amisisse* Agricolam Tacitus c. 6 refert, iam in quaestura annum ei esse remissum, ita ut hanc anno p. Ch. 64, aetatis vicesimo quarto pro legitimo vicesimo quinto, tribunatum p. Ch. 66, praeturam 68 altero ob filiam anno re-

misso duobus ante legitimum recte caperet. Quae ita disputata sunt, quasi de tempore, quo Agricola quaestura et tribunatu functus esset, nihil constaret; quod aliter se habere ne Urlichsius quidem intellexit, cum peculiarem librum de vita et honoribus Agricola ederet, p. 11 breviter Mommseno assensus. De
4 praetura Agricolae[1] ita extremo c. 6 retulit Tacitus, ut, quin anno 68 assignanda esset, nemo dubitare posset. Sed ne reliqua quidem obscura sunt. Nam cum antea post quaesturam commemorarit *inter quaesturam ac tribunatum plebis atque ipsum tribunatus annum*, de tempore, quod inter tribunatum et praeturam intercessisset, nihil dixerit: perspicuum est nullum inter hos magistratus aut tam exiguum temporis spatium intercessisse, ut commemoratione esset indignum. Itaque, ut recte statuit Wexius p. 208, quaestor fuit Agricola a nonis Decembribus anni 64 usque ad pridie eundem diem anni 65 (recte enim Urlichsius p. 11 improbavit Mommseni sententiam, qui quaestores inde ab Augusti temporibus calendis Iuniis munus inisse iudicavit), tribunus plebis anno et quinque diebus interiectis ex a. d. IIII idus Decembres anni 66 usque ad pridie eum diem anni 67, ita ut inter tribunatum et praeturam non amplius viginti duo dies intercederent, hoc est ob filiam anno 65 susceptam annus remitteretur Agricolae. Itaque etiamsi Agricolam anno 40, *C. Caesare tertium consule*, natum statueremus, tamen is quaesturam quinto demum et vicesimo aetatis anno suscepisset, neque quicquam ei filius ille amissus profuisset. Quod ipsum satis aperte indicant Taciti verba c. 6 *Auctus est ibi filia in subsidium simul et solacium: nam filium ante sublatum brevi amisit;* quibus non bene usus esset Tacitus, si filius quoque Agricolae subsidium attulisset: hoc enim subsidium referri ad procliviorem honorum aditum recte omnes consentiunt. Non potuisse autem fieri, ut propter hunc filium, quem longe verisimilius est ante quaesturam quam in quaestura obisse, qui neque ad quaesturam capiendam neque ad tribunatum quicquam Agricolae profuerat (inter hos enim magistratus annus legitimus interfuit), ad praeturam capiendam alter annus remitteretur, postea patebit, cum, qui liberi defuncti patribus profuerint, demonstraverimus. Necessario igitur Taciti locus ita emendandus est, ut supra dixi. Mommsenus autem itemque Wexius p. 199 et Urlichsius p. 9 ita loquuntur, tamquam in codicibus legeretur *tertium* vel *III*;

in quibus, ut dixi, *ter* scriptum est, quod profecto non longius quam ab illis abest ab *iter*., quomodo *iterum* et in codicibus et in inscriptionibus scribitur. Quod autem Mommsenus ait Wexio favere, quod C. Caesar tertium consulatum solus inierit, mihi refragari, quod iterum consul collegam habuerit, qui Tacito addendus fuerit, id mihi ab eo opponi sane miror, qui Hermae II. 109 ipse[1] complura exempla ex inscriptionibus collegerit, in quibus annus solis Caesarum nominibus, omissis consulatus collegis, notatur, quibus adde Herm. v. 373; C. I. L. ⟨III. 6120⟩ IV. 2554. 2556—59; ⟨Annal. arch. XLII. 173, 3. 182, 158. 159. 168. 170. 171. 185, 200. 201. 187, 210. 221⟩; neque desunt vel privatorum hominum exempla apud ipsum Tacitum IV. 56 *M. Porcio consule* et Henzenum 5725 *Q. Iunio Marullo cos.**), ne Or. 732 *A. Licinio Nerva cos.* et 1756 *T. Vinio cos.* commemorem, in quibus Vestinus Atticus et Galba omissi videntur, ille, quia condemnatus, hic, quia memoria eius Othoni et Vitellio minus grata erat. Facile autem id fieri potuisse ob celebritatem hominis iam antea monueram.

Sed hic meus quoque error mihi corrigendus est. Nam cum Salvium Titianum, qui consul fuerat anno 52, cui proconsuli Asiae quaestorem fuisse Agricolam Tacitus c. 6 refert, eo ipso constet anno 65 hanc provinciam rexisse, falso ego ad Taciti XVI. 10. 23 (sumpsit haec a me, ut consuevit, non nominato Baiterus**)) L. Antistii Veteris proconsulatum ad annum 64

---

*) ⟨Alia Or. 298; Mommsen I. R. N. 4607; Ann. arch. XLII. 173, 4. 6. 7. 9. 174, 10—14. 187, 220. 190, 257. 191, 260. 192, 266. 196, 298; Bull. arch. a. 1859 p. 32. a. 1868 p. 86; Bull. ital. I p. 116 *L. Cornelio Cinna cos. iter.* (cf. ad Tac. IV. 56 ed. 6.)⟩

**) Quoniam Baiterus tum, cum ei obieci, quod permulta ex editione mea me non nominato sumpsisset, indignabundus et quasi summa affectus iniuria respondit†), facere non possum, quin lepidum quoddam exemplum referam, quomodo mea descripserit. In altera editione, qua usus est, IV. 24 servaveram *Thubuscum* idque sive *Thubusicum* adnotaveram idem esse atque *Thubursicum* ascripseramque Boecking. Notit. dign. p. 616*, ubi in indice episcoporum Numidiae legitur *Tubusicensis*. Quicumque illo Boeckingii libro usus est, scit paginas stella notatas esse notitiae dignitatum Occidentis. Quid Baiterus? Suo scilicet ingenio usus sic mea Latina et sua fecit: '*Thubuscum* sive *Thubusicum*, idem quod *Thubursicum*, Numidiae oppidum. Cf. Boecking Notit. dign. p. 616 n.'

†) [*v. Literar. Centralblatt a. 1859 n. 9. 14. 20. 23. 24.*]

et Bareae Sorani, quem ei successisse probabile est, ad 65 retuli. Potius hi annis 63 et 64 Asiae praefuisse censendi sunt: neque enim iam Bareae, cum ipse anno 66 ex proconsulatu Asiae accusatus, Acratus autem, cui non subvenisse in Asia ei crimini dabatur, ante annum 64, ut monui, missus non sit, ullus annus praeter 64 tribui potest, neque Veteri certe anno 63 posterior; qui cum anno 65 accusatus sit, ab hoc non longius, quam necesse est, proconsulatum eius removebimus*). Quod autem Borghesius Operum IV. 535 statuit inde a Tiberio proconsulatum Africae et Asiae non prius quam decem post consulatum annis datum esse, non certa lex putanda est, sed re ipsa et iam ex-
6 tremis Augusti temporibus effectum,[1] cum aucto per suffectos consularium numero et quibusdam per legem Papiam Poppaeam vel ob alias causas plurium annorum administratione concessa, cuius satis multa exempla sunt, ad perpaucos consulares ordo sortis prius perveniret: legem quidem nulla causa est, quo minus eandem mansisse credamus, quam Augustum sanxisse Cassius Dio LIII. 14 auctor est, ne praetores et consules ante quinquennium provincias populi Romani sortirentur. Certe M. Furium Camillum consulem anni 8, novem annis post, anno 17, proconsulem Africae, ⟨M. Iunium Silanum consulem anni 46, octo annis post, anno 54, proconsulem Asiae⟩ fuisse ex Tac. II. 52 ⟨XIII. 1⟩ constat; neque L. Antistium Veterem, qui consul fuit anno 55, longiore intervallo quam octo annorum Asiam rexisse modo demonstravimus. Cuiusmodi breviora intervalla inde orta probabile est, quod non raro minores consulares antiquioribus ex lege Papia Poppaea vel aliis de causis in sortiendis provinciis praeponebantur, cuius rei exempla ex Tacito posui ad III. 32; quae eadem res effecit, ut alii ultra decennium reicerentur, velut M. Lepidus et Manius Lepidus, consules annorum 6 et 11, ille anno 21, hic 26, quindecim adeo post consulatum annis, proconsules Asiae fuerunt, ut ad eundem Taciti locum docuit Borghesius, et C. Galbae, fratri imperatoris, consuli anni 22, suus annus sortiendi proconsulatus fuit 36 p. Ch. (Tac. VI. 40. Suet. Galb. 3).

---

*) [*Diversum ordinem Waddingtonus in Fastis provinciarum Asiaticarum p. 134 sq. statuit, qui a. 61/62 Bareae Sorano, 62/63 Volasennae, 63/64 Salvio Titiano, 64/65 Antistio Veteri tribuit: nihil moratus difficultatem in quaesturae anno Agricolae positam.*]

Nova quaedam de lege Papia Poppaea, quatenus ad magistratus pertinebat, discimus ex lege municipio civium Latinorum Malacitano a Domitiano data (apud Henzenum 7421), in cuius c. 56 haec leguntur: *Qua in curia totidem suffragia duo pluresve habuerint, maritum, quive maritorum numero erit, caelibi liberos non habenti, qui maritorum numero non erit; habentem liberos non habenti; plures liberos habentem pauciores habenti praeferto prioremque renuntiato, ita ut bini liberi post nomen impositum aut singuli puberes amissi virive potentes amissae pro singulis sospitibus numerentur.* Quibus similia sunt collata a Mommseno in libro de legibus municipalibus Salpensana et Malacitana, comm. phil. et hist. soc. litt. reg. Sax. II. 420, haec Ulpiani XVI § 1a: *Libera inter eos* (coniuges) *testamenti factio est, si ius liberorum a principe impetraverint, aut si filium filiamve communem habeant aut quattuordecim annorum filium vel filiam duodecim amiserint, vel si duos trimos vel tres post nominum diem amiserint.* Neque vero quisquam dubitabit, quin, quae in lege Malacitana leguntur, eodem modo de honoribus populi Romani constituta fuerint, 7
nec ea potius, quae Ulpianus de testamenti factione refert, de magistratibus quoque valuisse existimabit, praesertim cum in aliis rebus alia constituta fuisse demonstrent, quae idem Ulpianus XV § 2 refert: *communis filius filiave post nominum diem amissus amissave unam decimam adicit; duo autem post nominum diem amissi duas decimas adiciunt.* In his igitur magni momenti est, quod amissos liberos non eodem modo patri profuisse cognoscimus atque sospites. Sospitibus parem locum tenent filii quattuordecim, filiae duodecim annorum amissi amissae (ea enim aetate dici puberes et viri potentes praeter Ulpianum Festus p. 250, Macrob. Sat. VII. 7, 6 ostendunt), ante hanc aetatem post nomen impositum (hoc est pueri post nonum, puellae post octavum diem, cuius rei testimonia sunt apud Marquardtum V. 1, 83) amissi bini liberi pro singulis sospitibus, ante nomen impositum amissi nullo numero sunt. Non putaverim sospitum aetatem aliquam lege fuisse postulatam, cum neque in lege Malacitana quicquam de ea re scriptum sit et Ulpianus Dig. IV. 4, 2 simpliciter dicat *Quod legibus cavetur, ut singuli anni per singulos liberos remittantur, ad honores pertinere divus Severus ait.* Re quidem nemo pater beneficio legis uti poterat, nisi liberi non solum ante comitia, quo pertinent a Tacito XV. 19 relata,

sed etiam ante professionem nati essent: antequam autem profiteretur quis et peteret in senatu, quod legitime trinundinum, ut libera re publica, factum esse probabile est, profitendum erat apud Caesarem, cum, etiamsi primis temporibus legibus liceret, nemo tamen nisi concessu Caesaris peteret, de qua re tradunt Tacitus I. 81, Plinius ep. II. 9, 2, Dio LVIII. 20. Hinc factum esse verisimile est, ut Agricolae, cui quaestori nata erat filia, non inter quaesturam et tribunatum, sed inter tribunatum et praeturam annus remitteretur. Quamquam etiam aliis de causis non cuique statim aut omnino licuit praemia legis percipere, cum aut numero et pari vel potiore aliorum iure excluderentur, velut si qui plures liberos haberent vel provectioris aetatis aut longius exspectassent, aut Caesarum, ius liberorum tribuentium, annos et alia legitima remittentium, vel senatus arbitrio, in quo non raro ambitu et gratia leges vincebantur, cuiusmodi est, quod Tacitus II. 51 non accuratissime, quia eius non intererat, narravit. Itaque apud Tacitum XV. 19 patres *promissa legum diu expectata* commemorant; qui idem locus docet liberos adoptione
8 ascitos[1] et quidem *propinquis comitiis aut sorte provinciarum* idem ius tribuisse, quod naturales. Cum autem lex annalis Augusti ad quaesturam aetatis annum quintum et vicesimum, ad praeturam tricesimum requireret, praeterea constitueret, ut ante praeturam quaestura et tribunatus aut aedilitas, ante consulatum praetura caperetur et inter omnes magistratus singuli anni interessent (cur enim praeter haec tribunatui quoque aedilitatique et consulatui certos aetatis annos constitutos non credam, postea dicam), nequaquam cum Mommseno Hermae III. 86 statuendum est alio modo remissos esse intervalli atque aetatis annos, velut suspicatur pluribus liberis ad illos quam ad hos remittendos opus fuisse; sed per singulos liberos peraeque singulos sive aetatis sive intervalli annos remissos esse apertissime Agricolae exemplum demonstrat, cui qui remissus est inter tribunatum et praeturam annus, idem fuit et aetatis annus et intervalli. Hoc autem intervalli anno remittendo fieri poterat, ut inter aedilitatem et praeturam et inter praeturam et consulatum nullum temporis spatium, inter quaesturam et tribunatum quinque, inter quaesturam et aedilitatem viginti septem, inter tribunatum et praeturam viginti duo dies intercederent. Neque legem illam, ne continuare magistratus liceret, quam lex Villia

constituerat (nam ante eam continuatorum magistratuum complura exempla post alios in libro de legibus annalibus p. 24 collegi), Caesarum aetate semper esse servatam Wexius p. 205 Callistrati verbis demonstravit Dig. L. 4, 14, 5 *neque continuare honores quisque potest*, quia *quisque* ibi legitur, non *quisquam*; idemque docent haec Paulli Dig. L. 1, 18 *Divus Severus rescripsit intervalla temporum in continuandis oneribus invitis, non etiam volentibus concessa, dum ne quis continuet honorem*, hoc est iis, qui continuent honores, nulla onerum intervalla concedi*). Recte autem Mommsenus p. 82 iudicat anni intervallum ab Augusto magistratibus interpositum pleni anni fuisse; neque ad hanc Augusti legem annalem transferre licet, quod lege Villia et deinceps libera re publica, cum binorum annorum intervallum esset, concessum fuisse in libro de legibus annalibus p. 30 sqq. docui, ut aeque atque aetatis coeptus intervalli annus pro pleno numeraretur. Nam si idem Augustus concessisset, omnibus, qui ex quaestura tribunatum aut aedilitatem et ex tribunatu legitima aetate praeturam peterent, nulla remissione opus fuisset, quo 9
minus hos magistratus brevibus illis intervallis, quae supra posuimus, etiam orbi adipiscerentur.

Dixi antea me tribunatui aedilitatique et consulatui certos aetatis annos, ut factum sit in quaestura et praetura, constitutos non putare. Nam tribunatui et aedilitati iam iis, quae supra de lege retulimus, ita definita erat aetas, ut inter duos tantum annos, vicesimum septimum et duodetricesimum, legi optio daretur. Magis dubia res de consulatu videri potest. Et Borghesius quidem, cum Opp. III. 113 affirmaret non licuisse consulatum capere nisi biennio post praeturam interposito, quid secutus sit, nescio, nisi quod eum liberae rei publicae instituta ad Caesarum aetatem transtulisse suspicor. Sane, nisi quid me fugit, nullum exemplum nobis traditum est, ut uno anno post praeturam interiecto privatus homo ad consulatum pervenerit. Neque tamen id mirum videri debet, cum consulum numerus etiam suffectis additis sub primis Caesaribus, antequam suffectorum numerus vehementer augeretur, exiguus esset, praesertim cum a

*) (cf. Dio Cass. LX. 25 ὅπως τε μὴ διακρούοιντο οἱ τοιοῦτοι τοὺς ἐθέλοντάς σφισι δικάζεσθαι, οὐδενὶ ἀρχὴν ἐπ' ἀρχῇ παραχρῆμα ἐδίδου (Claudius). τοῦτο γὰρ ἐνενόμιστο μὲν καὶ πρότερον — ἐξελελοίπει δέ.)

Caesaribus ipsis saepe ea dignitas assumeretur. Ser. Galbam,
qui postea imperavit, natum IX kal. Ian. anni ante Ch. 3, ho-
noribus ante legitimum tempus initis tamen anno demum p.
Ch. 33, aetatis tricesimo quinto consulatum inisse scimus (Suet.
Galb. 46). Eo notabilius est, quod in exiguis reliquiis fastorum
ex Tiberii maxime imperio in luco fratrum Arvalium nuper re-
pertis et ab Henzeno in libro, qui inscriptus est *Scavi nel bosco
sacro dei fratelli Arvali* p. 95 et in Bullettino archaeologico
anni 1869 p. 121 editis, in quibus praeter consules praetores
quoque urbani et peregrini notantur, invenimus C. Antistium
Veterem et C. Asinium Pollionem praetores anno 20, consules 23,
Cn. Lentulum Gaetulicum praetorem anno 23, consulem 26, M.
Licinium Crassum Frugi praetorem anno 24, consulem 27, C.
Norbanum Flaccum praetorem anno 11, consulem 15, L. Sullam
praetorem anno 29, consulem 33; praeterea apud Tacitum I. 77.
II. 51. III. 49. 52 Haterium Agrippam, propinquum Germanici,
tribunum plebis anno 15, praetorem 17, consulem 22. Cum
igitur inter pauca exempla ex brevi temporis spatio nobis tra-
dita nobilissimi homines quattuor duobus, duo tribus, unus quat-
tuor post praeturam annis interiectis ad consulatum pervenerint,
quos probabile est priores honores mature cepisse, earum re-
rum ratione habita, quae etiam sine lege efficerent, ut plures
10 anni inter prae|turam atque consulatum intercedere solerent,
verisimillimum puto legem hoc unum constituisse, ut consulatum
post praeturam anni intervallo interposito capere liceret. Ac-
cedit, quod A. Vitellius imperator, natus VIII. kal. Oct. vel VII
id. Sept. anni 15 p. Ch., consul ordinarius fuit anno 48, frater
eius minor L. Vitellius inde a kal. Iul. eiusdem anni suffectus,
ille aetatis anno tricesimo tertio, hic non post tricesimum alte-
rum; quorum quidem pater eximia gratia Claudii floruit, neque
tamen Suetonius, ubi utriusque filii consulatum commemorat,
ante legitimum tempus initum refert (Suet. vit. 3). ⟨Adde M.
Iunium Silanum natum anno 14 (Plin. n. h. VII. 13, 58) con-
sulem anno 46, aetatis tricesimo altero.⟩ Nam qui non eundem
nobilitatis aut gratiae locum tenebant, si non plane exclusi,
multo longiore intervallo consulatum adepti sunt, velut C. Um-
midius Durmius Quadratus quaestor fuit anno 14, praetor 18
(Or. 3128. Henzen. 7419 d γ), consul post 37 Caligula vel Clau-
dio imperante (vid. ad Tac. XII. 45); Sex. Papinius Allenius

praetor, ut iidem illi fasti Arvalium docent, anno 29, consul 36; Domitius Afer, orator celeberrimus, praetor non post annum 25 (Tac. iv. 52), consul 39 (Dio lix. 20); Vespasianus, equestri loco, natus xv kal. Dec. anni 9 p. Ch., mature praetor anno 40, aetatis uno et tricesimo, consul undecim annis post, anno 51 inde a kal. Nov., aetatis quadragesimo altero (Suet. Vesp. 2. Dom. 1. 19); Eprius Marcellus, notus orator et delator, praetor anno 48 (Tac. xii. 4), consul non ante 57, ut probabile est, 61 (Borghesii Opp. iii. 292. iv. 536); Seneca philosophus, Neronis praeceptor, praetor anno 50 (Tac. xii. 8), consul 57 (Hermae ii. 45); Agricola praetor anno 68, consul 77 (Tac. A. 6. 9); Tacitus praetor anno 88, consul 97 (Tac. xi. 11. Plin. ep. ii. 1); Plinius minor praetor, ut recte videtur statuisse Mommsenus Hermae iii. 84, anno 93, consul 100: et L. Verginius Rufus, equestri familia (Tac. H. i. 52), postea victo Vindice et repudiato imperio clarissimus, primum consul fuit anno p. Ch. 63, aetatis duodequinquagesimo (Plin. ep. ii. 1, 4); T. Vinius, praetor sub Claudio, consul anno p. Ch. 69, aetatis quinquagesimo septimo (Tac. H. i. 48); C. Manlius Valens, praetor, ut videtur, ante annum 53 vel 54, quo fere legioni praefuit, consul 96, aetatis nonagesimo (Tac. xii. 40. H. i. 61. Dio lxvii. 14). Neque, nisi multis praetoriis consulatus diutius exspectandus fuisset, magno munerum numero, quae a praetoriis administrabantur, provideri poterat, ut legatorum legionum vel alio modo proconsulibus[1] et legatis Caesaris pro praetore 11
adiunctorum (quamquam his quidem muneribus nonnulli etiam ante praeturam fungebantur), legatorum Caesaris pro praetore provinciarum Caesaris praetoriarum, proconsulum provinciarum senatus sive populi praetoriarum, quas post quinquennium demum sortiri poterant, praefectorum aerarii militaris, aerarii Saturni, curatorum viarum quarundam. Verum his omnibus ut praetoriorum numerus sufficeret, non lege effectum esse, quae longius intervallum aut maiorem aetatem consulatui capiendo requireret, sed praeter causas antea expositas usu et principum moderatione, exempla illa duorum annorum intervalli documento sunt, qui ne sortiendis quidem provinciis senatus sufficiebant. Ne inferiores quidem consulatu magistratus ab omnibus legitimo tempore captos esse, si cuiquam obscurum esse posset, exempla, ne plura quaeramus, docerent Antistii Sosiani, tribuni plebis

anno 56, praetoris 62 (Tac. xiii. 28. xiv. 48), Hadriani imperatoris, quaestoris anno 101, aetatis quinto et vicesimo, tribuni plebis 105 (Spart. Hadr. 3), Severi imperatoris, praetoris anno aetatis xxxii (Spart. Sev. 3); et Tacitum, qui praetor fuit anno 88, tribunum vel aedilem fuisse 82 non sine causa suspicati sumus: Agricolam quaesturam cepisse vidimus anno aetatis sexto et vicesimo, item in titulo apud Orellium 3714 hominem ignobilem tamquam re insolita gloriari, quod *quaestor designatus sit annorum xxiiii*, iam ab aliis observatum est. Neque deerant munera quaestoriis et tribuniciis et aediliciis obeunda, ut ab actis vel curatoris actorum senatus, legatorum legionis, de quibus dixi ad Tac. ii. 36, ubi adde Or. 750, legatorum proconsulum non solum reliquarum senatus provinciarum, quibus solis hoc concedit Dio liii. 14, sed etiam Africae et Asiae, cuius rei exempla sunt apud Orellium 2761, Henzenum 5209. 5368. 6012. 6051. 6483. 6500. Hermae iv. 216. Spart. Sev. 2.

Non minore celeritate quam ii, quos supra commemoravimus, post praeturam ad consulatum videtur pervenisse Sex. Iulius Frontinus, gratia, ut puto, Flaviae domus, qui praetor urbanus anno 70, ut refert Tacitus H. iv. 39, Domitiano Caesari praetura cesserat, vir ceteroquin praecipuus, iterum consul anno 98 ⟨(Bull. arch. a. 1871 p. 145)⟩, tertium ordinarius anno 100, de quo post alios dixit Mommsenus in indice Plinii Keiliani. Hunc
12 primum consulem fuisse constat,[1] antequam legatus pro praetore Britanniam obtineret; sed quo anno eo missus sit, incertum est, quia Taciti verba A. 17 non integra ad nos pervenerunt, ita in codicibus scripta: *Et Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset sustinuitque molem Iulius Frontinus, vir magnus, quantum licebat, validamque et pugnacem Silurum gentem armis subegit, super virtutem hostium locorum quoque difficultates eluctatus.* Iam Petilium Cerialem, qui victo Civile anno 71 Britanniam acceperat, cum tabula honestae missionis apud Henzenum 5418 [*C. I. L. iii p. 852*] docuerit *a. d. xii k. Iunias* anni 74 iterum consulem fuisse, fine anni 73 vel principio anni sequentis revertisse ex Britannia necesse est, neque prius quam anno 73 redisse inde constat, quod Tacitus A. 8. 9 Agricolam, qui eodem anno a legatione legionis ex Britannia regressus est, non refert alium legatum consularem habuisse praeter Vettium Bolanum et Petilium Cerialem. Cui Iulius Frontinus utrum sta-

tim an tempore interposito successerit, ex Taciti maxime loco iudicandum est. Nam quod Borghesius Opp. VI. 477 (ex litteris ad Cavedonium ibi editis pleraque hic retulerat, cum tabulam honestae missionis antea commemoratam Mutinae a. 1832 ederet, itemque Huebnerus Mus. Rhen. XII. 50) et apud Minervinium de Tettia Casta p. 25 suspicatur consulem anni 74, ex cuius nomine in reliquiis fastorum feriarum Latinarum apud Marinium Arv. p. 126 litterae *on* servatae sunt, fuisse Frontinum, qui calendis Iuliis (id enim ratio feriarum Latinarum iubet) magistratum inierit, non potest ulla ex parte firmum videri. Apud Tacitum autem primum, quamquam nemo animadvertit, perversa sunt verba *alterius successoris*. Neque enim *alter successor* potest esse, ut recte iam monuit Wexius, qui non talis esset, qualis Frontinus, quia *alter* non ad naturam, sed ad numerum refertur. Itaque *alter successor* eodem modo ad Frontinum relatus significaret unius Frontini famam non obruturum fuisse Cerialem, neminem Ceriali succedere potuisse, qui par esset Frontino; a qua laude Frontini ineptissima, quia neque vera erat et in alios contumeliosa, longissime afuisse Tacitum apparet, neque ea iis convenit, quae deinceps de verbis *vir magnus, quantum licebat* demonstrabimus. Neque Borghesii ratio admitti potest (is Puteolani scripturam sequebatur, quae tum videbatur codicum, *Et cum Cerialis* et *sustinuit quoque*), qui, cum Ceriali non Frontinum successisse putaret, sed inter hos alium legatum fuisse in|terpositum, aut huic cognomen inauditum *Altero* fuisse 13
statuit, quod certe hic non potuit solum poni, aut, quia nomen tacere maluisset Tacitus, hunc *alterum successorem* ab eo esse dictum, quasi duos tantum habuisset Cerialis, alterum illum et Frontinum. Similis est Schoemanni error, qui in indice scholarum hibernarum Gryphiswaldensi anni 1859 p. 10, quia proximi duo Cerialis in Britannia successores fuerint Frontinus et Agricola, horum utrumvis *alterum* dici potuisse iudicat, hoc autem loco non posteriorem, sed priorem intellegendum esse rem ipsam docere. Quae ne tum quidem vera essent, si quid apud Tacitum legeretur, unde de duobus proximis tantum dici perspiceretur; cur enim Tacitus proximum successorem maluisset ambigue *alterum successorem* dicere quam perspicue *successorem?* Non melius Wexius, quamquam verbis accommodatius, Agricolam dici interpretatus est: cur enim hunc potius obruisset Ce-

rialis quam proximum successorem? Relinquitur, ut *successoris* per appositionem adici putemus, ut *alter successor* sit *alter, qui esset successor*. At tum inepte duobus vocabulis diceretur, quod recte altero utro dicere licebat: nam quin et *alter* solus positus indicaret *successorem*, itemque *successor* non esset Cerialis, sed *alter*, nemini dubium esse poterat. Itaque hic locus iis addendus est, de quibus Mus. Rhen. XVIII. 350 et 359 sqq. [*supra p. 234 et 245 sqq.*] dixi, cum recte Wexium haud paucos Agricolae locos interpolationibus foedatos iudicasse monui; et cum, si Tacitus scripsisset *successoris*, non appareat, cur aliquis additurus fuerit *alterius*, illud eiciendum est, quod *alterius* explicandi causa appositum esse vel maxime probabile est. Iam ad hiantem orationem reconcinnandam post Puteolanum, qui, ut dixi, *Et cum Cerialis* et *sustinuit quoque* edidit, Orellius *obruisset; sed sustinuit molem*, Weissenbornius *obruisset; subiit sustinuitque*, Huebnerus *obruit; sustinuitque*, Schoemannus *obruit; sed sustinuit utique* proposuerunt. Ex his ab Orellio et Weissenbornio prolata intellegi nequeunt, nisi verba *alterius successoris* ad Frontinum relata altera utra ratione accipiantur, quas initio disputationis falsas esse evicimus; praeterea Orellius probabilitatis nullam rationem habuit. Puteolano et Huebnero, si *successorem* non Frontinum, sed, quae fuit Huebneri sententia, alium inter Cerialem et Frontinum interpositum videri volebant, *alterius* delendum erat, quod nullam habet probabilitatem; neque probabilius est *obruit*
14 pro *obruisset* positum, quod Huebnerum[1] non fugit, ineptum autem *quoque* Puteolani. Schoemanno, qui *alterius successoris*, ut particula *sed* iubebat, de Frontino dicta voluit, et ipsi, ut vidimus, *alterius* delendum erat; sed ne hac quidem re recta sententia efficeretur. Nam etsi recte monuit obrui non solum ea dici, quorum omnis aspectus vel memoria tolleretur, sed etiam quae obscurarentur et paene delitescerent, tamen, quae Tacitus de Frontini rebus gestis praedicavit, eius modi sunt, ut ne hac mitiore quidem sententia eius curam famamque obrutam a Ceriale dicere potuerit. Superest Ritteri et Wexii sententia, cui etiam Huebnerus accedere maluit, ut post *obruisset* excidisse enuntiatum quoddam statuamus; id quod ipsa forma orationis superstitis prae aliis commendatur. Sed in explendo hiatu infelices fuerunt et Wexius, qui anno 74 alterum consulatum gessisse Cerialem ignorans *sed subito medio in cursu extinctus*

est, et Ritterus, qui olim *sed illi saeculo pacis bellique decora non defuerunt*, nuper *sed illa aetas pacis bellique decora multa tulit* proposuit, sententia superioribus plane contraria; neque Huebneri supplementum *sed Romam rediit, priusquam coepta perfecit* nisi summam speciem et quasi levem umbram eorum, quae Tacitus videri potest scripsisse, reddit. Neque, si quis plura excidisse suspicetur, in quibus etiam de alio successore Cerialis inter hunc et Frontinum interiecto traditum fuerit, certis is quidem argumentis refutari poterit. Ne tamen ita statuam, maxime verbis *quantum licebat* permoveor. Dissentiunt interpretes, utrum haec ad *sustinuit molem* an ad *vir magnus* pertineant: hoc inter alios probabant Io. Fridericus Gronovius et Ernestius, illius explicationis princeps fuit Berneggerus. Sed recte Waltherus monuit, quo minus ad *sustinuit molem* referantur, collocationem verborum refragari. Quis enim scriptor satis quidem sanus, si eo referri voluisset, non posuisset post *molem*, sed eo loco, ubi proclivius erat ad *vir magnus* referre? Nihil contra haec valent a Broterio et Wexio prolata, ex parte recte iam a Walthero refutata, non de Domitiani temporibus agi, sed Vespasiani, quibus magnis viris periculum non fuerit, et Frontino contumeliam imponi, cum haec scribebat Tacitus, superstiti. Nam verissime ita de Frontino iudicavit Tacitus, viro egregio, ut libri quoque eius docent, sed non ad summa egresso. Praeterea *quantum licebat* non solum ad facultates referre licet, sed etiam ad moderationem, quam saepissime magnis viris sub principibus commendat Tacitus. Sed illud[1] verius neque con- 15
tumeliosum, cum non tollatur *vir magnus*, sed ad modum quendam redigatur, quem non esse exiguum demonstrant et quae sequuntur et superiora *Sed ubi cum cetero orbe Vespasianus et Britanniam recuperavit, magni duces*; quae ipsa verba tantum abest ut nobis refragentur, ut, cum *magnos duces* iam commemoraverit Tacitus, verisimilius sit eum hic non idem repetisse, sed novam rem adiecisse. Hic autem modus ut gratus esset etiam bonis principibus, ingrati, qui eum excederent, in universa principatus Romani natura positum erat; neque Vespasianus suspicione et metu in hac parte immunis iudicari potest, qui philosophos Roma expulerit, Helvidium Priscum occidi passus sit, modicus ingenio et pravis in quibusdam rebus consultoribus et ministris obnoxius, de quibus Tacitus dixit H. II. 84.

95. At Cerialis, magnus dux et eventu clarus, cui fortuna adesset, etiam ubi artes defuissent, manu fortis, sed temerarius et verbis ferox, qualem legimus apud Tacitum XIV. 33. H. IV. 71. 77. V. 14. 21, cum maxime factus esset ad excitanda studia et admirationem militum, non ea moderatione usum esse probabile est, quae grata esset imperatori. Et ex Britannia revocatus cum altero consulatu ornatus esset, videtur in otio honoris pleno retentus esse nec multo post diem obisse: nihil enim de eo post alterum consulatum traditur. Itaque verba illa *vir magnus, quantum licebat* indicio esse puto Frontinum statim post Cerialem esse commemoratum et in iis, quae exciderunt, fuisse, ad quae illa referrentur, ita ut in hanc fere sententiam hiatum explendum censeam: *nisi in medio rerum prosperarum cursu invidia revocatus esset. Curam* autem *famamque obruisset* non omnem quidem, ut recte Schoemannus monuit, sed tamen eam materiem rerum gerendarum absumpturum fuisse Cerialem significat, in qua alterius cura et fama exsplendesceret. Et *sustinuit molem* non potest accipi de gravi bello a Ceriale relicto, cum contra Brigantas non pugnaverit Frontinus, sed referendum est ad difficultatem similia iis, quae perpetraverat Cerialis, gerendi; neque audiendus Wexius, qui hanc Latine non *molem* dici, sed *onus* affirmat, quod sane vocabulum in hac re vulgarius, sed non ideo Tacito accommodatius est. Denique non video, cur Huebnerus particulam *quidem* alieno loco positam putaverit: sane enim, quod negat, Cerialis opponitur Frontino. Ita igitur de Taciti loco iudico, ut Frontinum, cum consul fuisset anno 73, eodem vel sequenti anno statim Ceriali successisse
16 existi|mem: nam provinciam bello agitatam per aliquot menses vacuam esse relictam, quae Urlichsii sententia est p. 28 in consulatu Frontini Borghesium sequentis, nequaquam verisimile est. Accedit, quod Frontinus, si post annum 74 Britanniam accepisset, nimis brevi spatio provinciam tenuisset. Neque enim probatur mihi, quae adhuc omnium sententia fuit, Agricolam, qui consulatum gessit anno 77, sequenti anno Britanniam ingressum esse, quo eum Tacitus c. 18 *media iam aestate transgressum* refert et paulo post adventum eius *transvectam aestatem* commemorat. Non patiuntur hoc Taciti verba c. 9 *Consul egregiae tum spei filiam iuveni mihi despondit ac post consulatum collocavit, et statim Britanniae praepositus est.* Ubi quod *sta-*

tim Urlichsio p. 25 ad filiae nuptias, non ad consulatum referendum videtur (quamquam hoc aptius iudicari debet, cum provincia, quae nisi gesto consulatu dari non posset, arto cum hoc vinculo coniuncta sit), sane post nuptias provincia data est, sed ita, ut nuptiae consulatum paucis diebus excepisse existimandae sint. Quod si Agricola vel extremo anno 77 consulatum gessisset, tamen, si anno 78 in Britanniam profectus esset, sex demum post consulatum mensibus eo pervenisset. Itaque in priore parte anni 77 consul fuit Agricola et mense Iulio eiusdem anni Frontino in Britannia successit.

Et quia supra Hadriani mentionem fecimus, pauca adiciamus de titulo scripto in basi statuae privato adhuc post primum consulatum ab Atheniensibus positae, cuius locum quendam minus recte videtur tractasse Henzenus in docto commentario, quo annalium instituti archaeologici XXXIV. 137 illum titulum explicavit. Tituli autem Latina pars haec est: *P. Aelio, P. f., Serg., Hadriano, cos., VII viro epulonum, sodali Augustali, leg. pro pr. imp. Nervae Traiani Caesaris Aug. Germanici Dacici Pannoniae inferioris, praetori eodemque tempore leg. leg. I Minerviae p. f. bello Dacico, item trib. pleb., quaestori imperatoris Traiani et comiti expeditionis Dacicae donis militaribus ab eo donato bis, trib. leg. II Adiutricis p. f., item legionis V Macedonicae, item legionis XXII Primigeniae p. f., seviro turmae eq. R., praef. feriarum Latinarum, X viro s. i.* Tribunum plebis fuisse Hadrianum anno 105 Spartianus c. 3 retulit, et paulo post apud eundem haec leguntur: *Praetor factus est sub Surano bis Serviano iterum consulibus*; qui quidem consules nulli sunt. Itaque cum superio- 17
res Hadriani praeturam anno 107 assignassent neque id fieri posset, quia bellum Dacicum alterum, quo et praetorem et legatum legionis primae Minerviae fuisse Hadrianum titulus praedicat, iam anno 106 finem habuit, Henzenus p. 154 in hunc annum magistratum illum transtulit. Verum ne id quidem patitur vox *item* ante *trib. pleb.* in titulo posita, quae non potest referri nisi ad superiora *eodemque tempore* (quomodo infra refertur ad *trib.*), ut hoc *item* significet *eodemque tempore, quo praetor fuit, tribunus plebis.* Cum autem simul et tribunatum plebis et praeturam gerere Hadrianus nequiverit, illud *eodem tempore* idem esse apparet atque *eodem anno.* Itaque Hadrianus cum IV idus Decembres anni 104 tribunatum plebis inisset,

brevi post initium anni 105 legatus legionis primae Minerviae (inverso enim ordine honores in titulo referuntur) ad bellum Dacicum tum motum profectus, denique absens eodem anno praetor factus est, quod ita evenisse maxime probabile est, ut in locum demortui sit suffectus. Quae non solum tituli verbis unice conveniunt, sed etiam Spartiani narratione confirmantur, qua inter tribunatus et praeturae mentionem haec interponit: *Secunda expeditione Dacica Traianus eum primae legioni Minerviae praeposuit secumque duxit* et q. s. Et fieri potest, ut is scripserit *Praetor factus est isdem consulibus* et inepta illa consulatus notatio postea interpolata sit; quod autem adicit *cum sestertium vicies ad ludos edendos a Traiano accepit*, ita accipiendum est, ut hos ludos bello Dacico confecto anno 106 ediderit Hadrianus. Non videtur autem Hadrianus, cum legatus legionis fieret, deposuisse tribunatum, sed retinuisse, donec praeturam accepit. Non minus enim illum magistratum quam hunc absens et cum legatione legionis coniunctum tenere potuit. Neque celeritatem, qua eodem anno a tribunatu plebis ad praeturam translatus est Hadrianus, affinitate Caesaris opus est tueri, cum in titulo Grut. 465, 5. 6 legamus *C. Sallio Aristaeneto — quaestori designato et eodem anno ad aedilitatem promoto;* quae quidem celeritas eo facilius Hadriano concedi potuit, cum iam anno 101 quaestor legitimum tribunatus annum 103 habuisset neque, si illo anno adeptus esset, ad praeturam anno 105 capiendam nisi unus annus ei esset remissus. Cum autem Hadrianus post triumphum
18 Traiani Dacicum anno 106 actum fortasse per reliquam| eius anni partem et, quod certius videtur, anno 107 legatus pro praetore Pannoniae inferiori praefuisset (neque enim brevius spatium probabile esse demonstravit Henzenus p. 156), potuit anno 108 primo consulatu fungi, qui in testamento Dasumii et Or. 2471 commemoratus poni solet anno 109, de quo mecum consentit Mommsenus Herm. III. 46 nota 5 de aliis rebus minus recte statuens.

VARIARUM OBSERVATIONUM ANTIQUITATIS ROMANAE

CAPUT II.

(Index scholarum aestivarum in universitate litterarum Ienensi a. MDCCCLXXII habendarum.)

Libera res publica quae ad quaesturam adipiscendam legibus Villia et Cornelia requisierit, in libro de legibus annalibus inde a p. 8 usque ad 23 exposui; ubi quod p. 18 tabulae Heracleensis versibus 90 et 100 (C. I. L. I. 121. 122) ante *nisei quei* verba *neve quei maior annos XXX natus est erit* excidisse statui, potius *neve quei annos XXX natus est erit* ponenda erant. Augustum autem, cum quaesturae annum aetatis quintum et vicesimum constitueret, non hac una re contentum fuisse docent, quae Tacitus refert III. 29, Tiberium, cum Neronem, Germanici filium, patribus commendaret, ab his postulasse, *ut munere capessendi vigintiviratus solveretur et quinquennio maturius quam per leges quaesturam peteret.* Neque tamen omnibus ad quaesturam adipiscendam vigintiviratu fungendum (neque hoc inest in Taciti verbis), sed idem ius fuisse iis, qui tribuni militum aut praefecti stipendia fecissent, inscriptionibus demonstrari iam ad illum Taciti locum in editione quinta annotavi. Quibus docemur plerosque, qui maiores honores petituri essent, et vigintiviratu et munere militari fungi solitos, velut Orellianis et Henzenianis 133. 693 (de qua vid. Henzen. p. 66). 773 (cum nota Henzeni p. 75). 822. 890. 2273. 2274. 2369 (= 2760, Henz. p. 200). 2379. 2759. 3044. 3046. 3113. 3135 (C. I. Gr. 1133. 1327). 3174. 3186. 3393. 3652. 3658. 3865. 4952. 5209. 5426.

5449. 5450. 5458. 5501. 5502. 6006. 6012. 6014. 6048. 6049. 6050. 6051. 6452. 6454. 6456a. 6484. 6485. 6495. 6497. 6498. 6499. 6500. 6501. 6502. 6748. 6766. 6911. 6912. 6915. 7420a,
4 quibus adde C. I. Gr. 2638. 5793 (de qua vide ad Tac. IV. 68), ⟨Bull. arch. a. 1866 p. 145⟩, inscriptiones Plinii minoris, quas Mommsenus posuit Herm. III. 109. 112, et Atheniensem Hadriani relatam a nobis c. I p. 16 [*supra p. 525*] *). Atque ex his longe plurimi vigintiviratu ante munus militare functi sunt: inversus ordo est apud Orellium et Henzenum 693. 4952. 5209. 5426. 6012, dubius, quia turbatus, 822. 2273. 5447: nam quos titulos Urlichsius de vita Agricolae p. 10 adiecit, 3375. 6010, incertum est an Augusti lege annali antiquiores sint, cum vigintisexviratum habeant, in altero ne ordo quidem certus est, cum maior honor non adiungatur. Sed his rarioribus exemplis adnumerandus est Agricola, quem recte Urlichsius p. 11 post tribunatum militum in Britannia administratum vigintiviratu functum statuit. Neque enim Tacitus A. 6 eum *hinc ad capessendos magistratus in urbem degressum* dicere poterat, si inter reditum, quem fini anni 61 recte idem Urlichsius assignat, et quaesturam, quam anno 65 gessisse Agricolam c. I p. 4 [*supra p. 512*] demonstravimus, nullus magistratus intercessisset. Solo vigintiviratu ante quaesturam functos reperimus apud Orellium et Henzenum 723. 750. 2242. 2761. 3042. 3102. 3109. 3128. 3134. 3151. 3153. 3782. 5003. 5368. 5448. 5450. 5477. 5479. 5999. 6007. 6019. 6023. 6451. 6456. 6461. 6483. 6503. 6512. 6981. 7066. 7420a, ⟨in C. I. L. III. 6154⟩, in C. I. Gr. 369, de quo titulo dixit Borghesius Opp. V. 198. Paucissimi denique sunt, quos solum munus militare ante maiores honores capessivisse traditum sit, ut apud Orellium et Henzenum 2258. 3141. 3143. 3440. 5431. 5480. 5488. 6491. 6704, apud Gruterum 447, 9, ⟨in Bull. arch. a. 1856 p. 141, 3⟩ (ad Tac. VI. 40). Ex iis autem, qui munus militare administrarunt, plerique singulis tribunatibus functi sunt: binos invenimus apud Orellium et Henzenum 3044. 3174. 3393. 3652. 5502. 6012. 6049. 6748. 6911, ternos 2258. 5450. 6454. 6498 et in inscriptione Hadriani, tribunatum militum et praefecturam alae 3440, praefecturam cohortis, tres tribunatus, praefecturam alae 5480; solam prae-

*) ⟨cf. Suet. Aug. 37.⟩

fecturam cohortis 6704. Quod autem tam frequentes reperimus
tribunatus, rarissimas praefecturas, causa in eo posita est, quod
tribunatus et maiore dignitate erat quam praefectura cohortis,
cum minore esset quam praefectura alae, et adolescentibus splen-
didiorum natalium rei militaris imperitis et interdum nomine
tenus tribuebatur, cum praefecturae plerumque usu probatis
committerentur; de quibus rebus dixit Marquardtus III. 2, 362.
376. Neque enim ideo, quia unum invenimus, qui ante quae-
sturam neque vigintiviratu neque tribunatu functus[1] sit, sed sola 5
praefectura cohortis (apud Henzenum 6704), hunc lege solutum
iudicaverim, cum neque quicquam eiusmodi in titulo significetur,
quod fieri solet, et tribuni ac praefecti, quamquam gradu di-
stincti, genere tamen pares fuerint, utpote equestris omnes di-
gnitatis praeter tribunos laticlavios, qui, ut equites Romani
illustres, et ipsi erant equites Romani, sed dignitate senatoria.
Vigintiviratum autem sumpta virili toga capere licuisse demon-
strat titulus in Mommseni I. R. N. 456: *Dis Manibus C. Laecani,
C. f., Sab., Bassi Caecinae Flacci III vir. a. a. a. f. f. Vixit
ann. XIIX.* Neque provectiore aetate ad tribunatum militum opus
fuerit, quo liberae rei publicae temporibus iam undevicesimo
aetatis anno functos constat. Vid. Marquardt. III. 2, 278 not.
25. Mommsen. Herm. III. 78.

Liberae rei publicae leges ad praeturam admisisse, qui neque tribunatum plebis neque aedilitatem cepissent, in libro de legibus annalibus p. 40 sqq. demonstravi. Augustum constituisse, ut inter quaesturam et praeturam alteruter illorum magistratuum interponeretur, cum Cassii Dionis verbis LII. 20 Ταμιεύσαντές τε καὶ ἀγορανομήσαντες ἢ δημαρχήσαντες στρατηγείτωσαν τριακοντοῦται γενόμενοι tum ingenti numero titulorum, quibus honores singulorum hominum enumerantur, constat. Cum autem Claudius anno p. Ch. 44 quaestoribus aerarium Saturni reddidisset, ita ut per triennium id administrarent et deinde statim praeturam caperent, de qua re referunt Dio LX. 24. Tac. XIII. 29. Suet. Claud. 24, ex quo tempore titulus superest soceri Agricolae apud Henzenum 6456 T. Do]*mitio, T. f., Vel., Decidio,* [III] *viro capitali*, [delec]*to a Ti. Claudio Caesare* [Augus]*to Germanico, qui primu*[s quaes]*tor per triennium citra* [sorte]*m praeesset aerario Saturni, praetori* (ita enim potius supplendum quam cum Borghesio Opp. IV. 148 *adlecto* et *citra ordinem*), idque

rursus Nero a. 56 mutasset praefectis praetoriis impositis (Tac. l. c.), ea, quae Augustus constituerat de tribunatu vel aedilitate inter quaesturam et praeturam administranda, servata creduntur usque ad Severum Alexandrum, de quo Lampridius c. 43 tradit *Quaestores candidatos ex sua pecunia iussit munera populo dare, sed ita, ut post quaesturas praeturas acciperent et deinde provincias regerent*; cuius rei testes multi tituli extant. At unus certe, in quo post Severum Alexandrum quaestor, qui non fuisset candidatus, omisso tribunatu et aedilitate praetor factus re-
6 fertur, apud[1] Henzenum 5954 *M. Tineio Ovinio, L. f., Arn., Casto Pulchro, c. v., pont. maiori, q. urb., pr. k., cos.*, Borghesium advertit, qui in Bullettino archaeologico anni 1852 p. 56 tertio saeculo p. Ch. exeunti eum assignavit eoque tempore tribunatum et aedilitatem e numero magistratuum sublatos fuisse suspicatus est. Sed et tribunorum quidem Constantini aetate et postea memoria superest, de qua re dixit Marquardtus II. 3, 253, et non solum similes tituli plures, qui ad idem fere tempus referendi videantur, ut Or. 2151 *L. Caesonio, L. f., Quirina, Orcinio Rufino Manlio Basso, clarissimo viro, Salio Palatino, pontifici maiori, praetori, quaestori* (cuius familiae plures titulos collegit Marinius Arv. p. 793 et tab. LXII, ex quibus unum positum antiquiori cuidam Caesonio *trib. leg. I adiutric. donato donis militarib. a divo Marco et comiti imp. Severi Alexandri Aug.*), 2242 *C. Matio, C. f., Collin., Sabino Sullin. Vatinian. Anicio Maximo Caesulen. Martiali Pisibano Lepido, allect. inter quaest., Salio Palatin., III vir. monet. a. a. a. f. f., seviro equit. Roman., flamini Iulian., patricio, praetori candidat., cos.*, Henz. 6023 *C. Passienio, C. f., Scap., Cossonio Scipioni Orfito, c. v., auguri publ. p. R. Quir., adlec. inter patric., praet. candid., cur. r. p. Sutrinorum, q. urb.*, aut Constantinae vel inferioris aetatis ut Or. 1100. 1187. 1188. Henz. 6475, verum etiam Severo Alexandro longe antiquiores et quaestorum candidatorum et non candidatorum. Sic in nobilissimo titulo Ti. Plautii Silvani Aeliani apud Or. 750 legimus *q. Ti. Caesaris, legat. leg. V in Germania, pr. urb.* et apud Henz. 5447, quem capite mutilum ad Neratium Marcellum probabiliter retulit Borghesius Opp. V. 359 (cf. Momms. ind. Plin.), leg.] *divi Traiani Aug. prov. Britanniae, curat. aquar., pr., trib. mil. leg. XII fulminat., Salio Palat., quaest. Aug., curat. actorum senatus, adlecto inter*

patric. ab divo Vespasiano, *III vir. a. a. a. f. f.* Sed in his quidem duobus, cum soli inveniantur, in quibus ante Traianum tribunatus aut aedilitas omissa sit*), quadratarium peccasse iudicamus, cuius errore apud Henzenum 6485 in celebri titulo Arrii Antonini quaesturae, 7420a praeturae mentio excidit, praesertim cum Plautii titulus ne aliis quidem vitiis careat, in Neratii ordo honorum turbatissimus sit et perversissimus. Quo frequentiora exempla sunt inde a Traiano, cuius aetatis sunt Henz. 5999 *Ser. Cornelio*, *Ser. f.*, *P. nep.*, *P. pronep.*, *P. abnepoti*, *Dola|bellae Metiliano Pompeio Marcello*, *III vir. a. a. a. f. f.*, 7
Salio Palat., *quaestori divi Traiani Parthici*, *sevir. equit. Rom. turm. III*, *pr.*, *cos.*, 6006 L. Eggii Ambibuli, consulis anni p. Ch. 126, *pr. candidato*, [procos. pro]*v. Macedoniae*, *q. candidato divi Traian*[i Part]*hici*, 6490 *T. Iulio*, *Sex. f.*, *Volt.*, *Maximo* — *pra*[et., q.] *provinciae Hisp. ulterioris Baeticae*, *don*[ato] *bello Dacico coronis murali et vallari* (bellum Dacicum enim Traiani quam Domitiani intellegere malo, cum reliqui tituli Traiano non sint antiquiores); aetatis Hadriani Or. 3135 *P. Coelio*, *P. f.*, *Ser.*, *Balbino Vibullio Pio* — *adlecto inter patric. ab imp. Caes. Traiano Hadriano Aug.*, *Salio Collin.*, *quaest. Aug.*, *flamini Ulpiali*, *pr. de fideicommiss.*, *cos. designato* in a. 137; Antonini Pii Henz. 5477 T. Vitrasii Pollionis *praetori*, *qu*[aestori]; M. Aurelii Or. 2761 Q. Pompeii Senecionis Sosii Prisci, consulis a. 169, *quaestori candidato Augg.* (v. Henz. p. 243), *legato pr. pr. Asiae*, *praetori*, *consuli*; Commodi Or. 890 *D. M. M. Antonii Antii Lupi*, *pr.*, *patricii*, *auguris*, *quaest.*, 5003 [L. Annio], *L. f.*, *Arn.*, *Ravo*, [cos., pr]*aet.*, *quaestori* [candi]*dato imp. Caes.* [M. Au]*reli* [Commodi Ant]*onini Aug. pii* [fel]*icis*; Septimii Severi Or. 3652 *Q. Hedio*, *L. f.*, *Pol.*, *Rufo Lolliano Gentiano*, *auguri*, *cos.* (a. 211) — *comiti Severi et Antonini Augg. ter* — *quaest. cand.*, *praet. cand.* (*ter* et *praet. cand.* exciderunt apud Orellium; vid. C. I. L. II. 4121), Henz. 6007 *M. Nummio Umbrio Primo*, *M. f.*, *Pal.*, *Senecioni Albin.*, *cos.* (a. 206), *pr. candidat.*, *leg. prov. Afric.*, *leg. prov. Asiae*, *q. candidat. Augustor.*; Caracallae vel Elagabali Henz. 6503 *Ser. Cal*[pu]*r*[nio] — *Dextro*, *c. m.* [v., cos.] *ord.* (a. 225) — *praet. tutel.*, [q]*ua*[est]*ori candidato.* Quibus

*) (Tertius accedit Cn. Baebii Tampili Válae Numoniani *q. pr. pro. cos. III vir. a. a. a. f. f.* in Bull. arch. a. 1863 p. 231 [= *C. I. L. VI. 1360*].)

adnumerandus videtur Antoninus Pius, de quo Capitolinus c. 2 *Fuit quaestor liberalis, praetor splendidus, consul cum Catilio Severo.* Tot exempla non possunt errori deberi; neque verisimile est his hominibus remissum esse tribunatum aut aedilitatem, quia id commemorari in titulis solet. Sic igitur statuo, Traiano imperante Augusti legem ita esse mutatam, ut tribunatum et aedilitatem omittere liceret neque tamen legitimum intervallum unius anni et aetas triginta annorum praeturae constituta tolleretur; qua re cum, qui anno aetatis quinto vel sexto et vicesimo quaesturam essent adepti, non prius omisso tribunatu aut aedilitate quam administrato alteroutro magistratu ad praeturam pervenirent cumque omnibus dubium esset, utrum omisso tribunatu vel aedilitate praetores crearentur an ea re invidiam et repulsam incurrerent, factum esse, ut pauci omnino hoc beneficio uterentur, qui aut gratia confiderent aut suffragationem imperatoris sperarent. Ab hac autem lege, qua ad liberae rei publicae leges rediebatur, Severi Alexandri, quae ad solos quaestores candidatos pertinebat, his rebus diversa fuit, quod quaestoribus candidatis praetura promittebatur et quod anno, ut puto, interiecto etiam ante annum tricesimum eam adipiscebantur, ita ut Severi Alexandri lex similis esset ei, quam de aerarii quaestoribus constituerat Claudius, nisi quod his, cum triennium aerario praeessent, etiam anni intervallum remittebatur*).

*) Hoc caput una cum superiore scriptum erat exeunte anno 1870: paulo antequam typis esset tradendum, allatum est ad me Mommseni Iuris publici Romani volumen primum, qui p. 457 [²556] de eadem quaestione disputans patriciis ab Augusto hoc iuris datum esse statuit, ut post quaesturam statim praeturam peterent. Quod mihi minus probabile videtur, quia non satis causae eius rei fuit, cum duo loci aedilium curulium paucis patriciis sufficerent, et duo tantum, ut dixi, ante Traianum exempla inveniuntur (nam Mommsenus neque Tiberium huc referre debuit ex Suet. Tib. 9, cui quin aedilitas ut privigno Caesaris remissa sit dubium non est, neque L. Antistium Veterem, in cuius titulo apud Henzenum 7066 *pont. pr* non esse *pontificem, praetorem*, sed *pontificem populi Romani* ordo sequentium honorum docet *X vir. stl. iud. q. Ti. Caesaris Augusti*), atque ex illis duobus Ti. Plautius Silvanus Aelianus plebeius fuit, quod demonstrat titulus apud Orellium 723 fratris eius P. Plautii Pulchri, qui post tribunatum plebis a Claudio Caesare inter patricios est allectus, quod si idem Aeliano contigisset, in titulo non esset omissum. Ceterum Mommsenus in illo libro aliis locis laudes mihi tribuit, aliis, ut solet, conviciis utitur, quorum illa-

M. Antonii triumviri nomen, quod in fastis Capitolinis abrasum, 9
deinde in rasura rursus incisum est, Henzenus C. I. L. I p. 422 Claudio, Mommsenus ad res gestas divi Augusti p. 129 Caligula imperante restitutum iudicavit, neuter memor eorum,

---

rum libens ei gratiam fecissem, si his abstinuisset (et quibus decet verbis dissensum significasset). Equidem et olim similibus conviciis lacessitus lenissime ei respondi mus. Rhen. XVII p. 424 [*supra p. 422*], et cum postea saepius contra eum disputandum esset, omnem verborum acerbitatem vitavi, neque nuper, ut dignum erat, eum reprehendi, cum Herm. IV. 319 not. 7 et 321 not. 2 me Cluvium Rufum anno 70 mortuum putasse incusavit, quod *discessum* apud Tac. H. IV. 39 *mortem* significare iudicassem (rem sane admirabilem!), cum ego in Emendationibus historiarum Taciti anno 1855 editis p. 13 [*supra p. 217*] argumentis, quae ei refutanda erant, pro *discessu* scribendum esse *decessu* demonstrassem, id quod facile scire poterat, si recentiorem aliquam Taciti editionem inspicere dignatus esset; qua eadem diligentia p. 318 not. 1 ignoravit, cur antiquiores Cluvium Rufum praenomine Marcum appellassent, quod apud Tac. H. II. 65 in Mediceo legitur et a quo et cur sublatum sit, quaerendum ei relinquo. Non magis quam con|vicia, qui morem eius nossem, miratus sum etiam in novissimo libro rationem, qua argumenta adversarii expendit et refutat. P. 413 n. 4 [[2]*487 n. 5*] conviciatur mihi, quod apud Polybium VI. 19, 2 quaedam excidisse statuerim (verba Polybii omissa me non praestare, ut mihi imputare videtur, satis aperte significavi); p. 465 [[2]*547*] n. 1 ipse confitetur locum illum ita, ut traditur, non potuisse a Polybio scribi, si eo tempore certa aetas petendis magistratibus fuisset constituta. At hoc ipsum ego in libro de legibus annalibus p. 12 certis argumentis demonstraveram, ex quibus ille unum p. 464 [[2]*546*] levissime tangit (neque enim interdum, sed ubicumque de consilio legum annalium dicitur, aetas commemoratur), reliqua omittit, inter haec gravissimum in ipso nomine illarum legum positum, quod *annales* et *annariae* proprio nomine neque ullo alio appellantur. P. 416 n. 2 [[2]*491 n. 1*] lege Iulia municipali, ut nobis tradita est, reliquos ante annum aetatis tricesimum aut certum stipendiorum numerum expletum ad magistratus gerendos non admitti, iis, quibus vacatio rei militaris sit, aetatem non praefiniri mirum ei non videtur. P. 473 n. 3 [[2]*556 n. 1*] quod Tacitus, qui A. 6 annum inter quaesturam ac tribunatum commemoravit, anni, qui inter tribunatum ac praeturam intercesserit, mentionem non fecerit, inter tribunatum ac praeturam annum intercessisse contendit: hoc enim legitimum et ideo non commemorandum, neque ne inter hos quidem magistratus actum esse quicquam Tacito referendum fuisse. Cur igitur hoc retulerat de anno inter quaesturam et tribunatum interiecto? Legitimum autem erat, ut inter tribunatum et praeturam annus non intercederet, cum Agricolae ob filiam esset remittendus. Neque, ne idem bis diceretur, de altero anno tacere Tacito licuit; poterat de utroque tacere aut coniunctim dicere, ut dixit de anno inter quaesturam et tribunatum et tribunatus anno. Num Waddingtonus in Fastis provinciarum Asiaticarum nondum editis de-

10 quae| Tacitus III. 18 anno 20 refert: *Multa ex ea sententia mitigata sunt a principe: ne nomen Pisonis fastis eximeretur, quando M. Antonii, qui bellum patriae fecisset, Iuli Antonii, qui domum Augusti violasset, manerent;* quae demonstrant iam Augustum restituisse M. Antonii nomen, cum Tacitus id a Tiberio factum non narret, ut dudum ad eum locum adnotavi. Licet autem suspicari factum hoc esse anno p. Ch. 4 Germanico, nepote Antonii, a Tiberio et utroque ab Augusto in Iuliam gentem adoptato.

Idem dissensum antiquitatis monumentorum de consule anni 17, quem alia *Caelium*, alia *Caecilium* appellant, ad Tac. II. 41 ita me composuisse putaveram, ut plenum ei nomen fuisse *C. Caelio Rufo Caecilio Metello Nepoti* vel inverso nominum ordine suspicarer, cum index Dionis ei tribuat cognomina Νέπως ἢ Ῥοῦφος: Henzenus C. I. L. I p. 475, quia duo tituli *Caelium*, unus *Caecilium* habent (sed idem scriptores plerique), illud verum, hoc falsum statuit. Exemplis eiusmodi nominum a Mommseno Hermae III. 71 collectis addi possunt *A. Plautius, M. f., Urgulanius*, commemoratus in monumento M. Plautii Silvani, consulis anni 2 ante Ch. n. (vid. Borghesium in Tacito meo ad IV. 22 et Opp. V. 308), *M. Opsius Naevius Annianus* C. I. Gr. 5793, *M. Opsius* a Tacito IV. 68 dictus, *Q. Eutetius Lusius Saturninus*, si fides est titulo a Borghesio Opp. IV. 446 prolato, consularis interfectus a Claudio, et maxime *Drusus Libo*, ut dicitur a Seneca ep. 70, 8, vel *Libo Drusus*, quem ordinem habet Tacitus II. 27. Hic enim *M. Libo* appellatur in fastis Amiterninis ad idus Septembres (C. I. L. I p. 324), *L. Scribonius Libo*, plane

---

monstraverit fieri non posse, ut Agricola anno 65 quaestor fuerit, expectabimus*). Omitto et alia, et quomodo complura mea suo arbitrio immutata retulerit. Unum addiderim, quoniam p. 416 n. 2 [*²491 n. 1*] hoc sibi sumit, ut me doceat, quid sit philologum: nihil me umquam protulisse, quod tam non esset philologum, quam quod ipse p. 411 n. 2 [*cf. ²485 n. 1*] Sallustium Cat. 18 haec scripsisse credit: *post paulo Catilina pecuniarum repetundarum reus prohibitus erat consulatum petere, quod intra legitimos dies profiteri nequiverit*, adiecta versione *»weil er nicht gekonnt haben würde«*, qua omnes Klotzios Alschefskiosque superavit, quorum iam tum aemulum se prodidit, cum apud Plin. h. n. III. 3, 30 *iactatum procellis rei publicae Latium* defendit ac vertit *»die in Folge der Staatsumwälzungen nach Spanien verschlagene Latinität«*, de quo loco dixi mus. Rh. XVII. 435 [*supra p. 455*].

*) [*V. supra p. 514 n.**)]

ut frater eius consul anni 16, a Suetonio Tib. 25 et Dione LVII. 15. Non potest igitur dubitari, quin plenum ei nomen fuerit *M. Livius Drusus L. Scribonius Libo*. Neque duplicis praenominis ex hoc tempore alterum exemplum deest *C. Silius A. Caecina Largus*, de quo vid. C. I. L. I p. 450 (de cuius altero nomine in fastis Capitolinis abraso ita iudico, filio eius ob nuptias Messalinae anno 48 interfecto C. Caecinam Largum, consulem anni 42, Claudii familiarem, impetrasse, ut Siliis familiae suae nomen adimeretur [Tac. XI. 33]): multa exempla extant inde a Vespasiano non solum duplicium, sed etiam triplicium et quadruplicium. Neque Mommseno assentior Hermae III. 72 nota 5 statuenti haec multiplicata praenomina fuisse pro cognominibus, quod[1] nequaquam eo probatur, quod aliquoties talia 11
praenomina plene scripta invenimus (neque enim hoc, ut Mommseno videtur, in veris praenominibus inauditum et barbarum est, sed invenitur in titulo optimae aetatis apud Henzenum 6005: *Marco Salonio a Ti. Claudio Caesare Augusto Germanico censore adlecto in senatum* et q. s.*) ⟨, item *Servius Calpurnius Domitius Dexter* in titulo anni p. Ch. 213 Or. 1849 = Borghes. Opp. VI. 484⟩), et ne de nominibus quidem statuendum videtur, quae vel sine vel cum praenomine aliis adiciuntur, quamquam praenomina interdum cognominum loco posita esse ostendit Marquardtus V. 1, 26. Sed nomina illo modo composita re vera erant multiplicata nomina. Causa autem eorum non solum posita erat in adoptione, sed etiam in hereditatis acceptae condicione et in cognatione vel amicitia significanda (Herm. III. 69 nota 1). Sic hic Drusus Libo assumpsit nomina et Liviae familiae, in quam pater erat adoptatus, et Scriboniae, in qua erat genitus, cum frater huius tantum ascivisset, pater autem, cui nomen erat *M. Livius Drusus Libo*, solo cognomine ex sui temporis more duplex genus significasset (vid. Borghesium in Tacito meo et Opp. V. 301). Neque praenomen cum fratre commune hoc tempore mirum videri debet, cum 'alia nomina haberet, quibus, si opus videretur, distingueretur', cuius rei plura exempla affert Marquardtus V. 1, 25; itemque fratres vi-

---

*) [Marco Salonio *Henzenus dedit ex importuna interpolatione Furlanetti: in lapide C. I. L. V. 517 non dispicitur nisi* MA . . I/O, *quod cognomen* Ma[cr]i[n]o? *Mommsenus interpretatur.*]

dentur fuisse consules annorum 44 et 45 *T. Statilius Taurus* et *T. Statilius Taurus Corvinus,* in qua eadem sententia est Borghesius Opp. v. 529. Iis, quae Mommsenus quaestionum Romanarum i. 37 et 39 disputavit, ut cognomina a nobilibus familiis Augusti aetate pro praenominibus posita tamen non plane praenominum naturam ascivisse et quosdam, qui his tamquam praenominibus uterentur, vera praenomina habuisse demonstraret, addi potest, quod Tacitus iv. 34. xiv. 20 consules annorum 25 et 60 *Cornelios Cossos*, Seneca Suas. 2, 22 et Tac. vi. 9 notum oratorem Tiberianae aetatis *Scaurum Mamercum* appellant, neuter autem umquam praenomen postponit; et cum in inscriptione Pompeiana, quam secundum ea, quae Henzenus 7419 d α (p. 508) retulerat, ad Tac. iii. 66 in editione quinta *Mam. Aemilio* interpretari posse mihi videbar, secundum C. I. L. iv. 1553 legatur *M. Emilio,* verum nomen huic homini fuisse apparet *M. Aemilium Scaurum Mamercum.* Sed huiusmodi praenominibus non recte Mommsenum p. 35 *Iulium* adnumerare vel inde apparet, quod reliqua omnia cognomina sunt, hoc nomen est: unum autem exemplum protulit Mommsenus *Iulii Antonii*, triumviri filii,
12 quem[1] cur non ita, sed *Iulum* appellatum esse credere perseverem, dixi ad Tac. i. 10 in editione quinta. Neque idem p. 41 cognomen ante nomen a Cicerone in epistolis tantum poni dixisset, si Ellendtii adnotationem ad Cic. de or. ii. 62, 253 legisset, qui exempla ex orationibus, libris rhetoricis, philosophis non minus quam epistolis protulit. Nec quicquam vulgare, sed maior emphasis inest in hac positione. De Sallustii Iug. 27, 4, ubi antea edebatur *consules declarati P. Scipio Nasica, L. Bestia Calpurnius: Calpurnio Numidia, Scipioni Italia obvenit,* nunc cum Parisino Sorbonnae (P) omittitur *Calpurnius*, hic non dicam (quamquam apparet omisso *Calpurnius* aequalitatem ingrate turbari), quia non satis constat de omnibus codicibus, quos respiciendos puto, ut ne in inscriptionibus quidem et subscriptionibus Catilinae et Iugurthae, in quibus antea ex bonis codicibus referebatur *C. Crispi Sallusti*, ut est certe in Vaticano, Iordanus ex eodem Parisino retulit *C. Sallustii Crispi*. Quae id habent peculiare, quod praenomen adicitur, quod non fit in iis exemplis cognominum nominibus praemissorum, de quibus antea diximus. Sed ne huius quidem rei ignotum erat exemplum Ciceronianum Verr. i. 39, 100, ubi in codicibus est *Q. et Cn.*

Postumiis Curtiis, editur ex Ursini coniectura *Postumis Curtiis*, quod longe probabilius est, quam quod alicui in mentem veniat *Postumiis Curtis:* neque enim hoc cognomen inveniri puto, et § 102 iidem dicuntur *Curtii.*

Iis, quae de tempore, quo comitia magistratuum Caesarum temporibus habita essent, disputavit Mommsenus Hermae III. 92. IV. 105, quaedam addidi e Tacito petita in quinta editione ad verba II. 36 *Superbire homines etiam annua designatione.* Hic adicio Nervam imperatorem detecta coniuratione Pisoniana mense Aprili vel Maii initio anni 65 (Tac. XV. 53. 74, vit. Lucani ante scholia) iam fuisse praetorem designatum, ut Tacitus docet XV. 72.

Apud Tacitum A. 42 ex codice Δ editur *Aderat iam annus, quo proconsulatum Asiae et Africae sortiretur,* in Γ est *Africae et Asiae*, Lipsius et Danesius *Asiae aut Africae* ponendum iudicarunt. Et disiunctivam particulam requiri verum videtur (potest autem dubitari, an *vel* propius accedat ad *et*), cum *sortiri aliquam rem* reliquis locis (satis multos collegit Forcellinius) significet *sorte ducere aliquid*, non *sorte disceptare de aliqua re*, quod est *sortiri de aliqua re* Tacito H. II. 41[1] *Dum legiones de* 13
ordine agminis sortiuntur et Suetonio Claud. 7 *Sortitus est et de altero consulatu.* Verum longius progressus Urlichsius in libello, quo conventus XXVI philologorum Herbipoli salutatus est, p. 8 Tacitum *quo proconsulatum sortiretur* omissis mediis scripsisse contendit. Ad quam rem comprobandam neque orthographia uti debebat, quod in utroque codice est *Aphricae*, neque discrepanti verborum ordine, nisi forte existimat non ab uno, sed a duobus ascriptum esse interpretamentum, quod doctius esset, quam ut, quod ei videtur, medio aevo tribui posset. Sane homo Romanus rei publicae non ignarus, et qui animum ad rerum antea relatarum ordinem attendisset, etiam omissa Africa et Asia scire poterat, qui hic proconsulatus intellegeretur, monuitque Urlichsius ita scripsisse Suetonium Galb. 3 *prohibitus a Tiberio sortiri anno suo proconsulatum.* Neque tamen causa deerat, cur Tacito accuratior significatio adicienda videretur. Namque omnes, qui Caesarum temporibus senatus vel populi Romani provinciis praeessent, non solum consularibus Africae et Asiae, sed etiam reliquis praetoriis, *proconsules* appellatos esse notum est. Sequendus est autem ordo codicis Γ, cuius maiorem praestantiam cum intellexisset Wexius, nescio quomodo neque

ipse neque alii satis ubique id iudicium secuti sunt. Et fieri potest, ut non sine causa hunc ordinem praetulerit Tacitus. Nam maiorem fuisse Africae dignitatem quam Asiae ideo verisimile est, quod illius proconsul usque ad Caligulam exercitum et facultatem belli suis auspiciis gerendi habuerat. Quo spectare videntur Frontonis verba ad Ant. P. 8 p. 169 Nab. *Omnem operam me dedisse et inpenso studio cupisse fungi proconsulari munere res ipsa testis est. Nam et de iure sortiendi, quoad incertum fuit, disceptavi, et postquam iure liberorum prior alius apparuit, eam, quae mihi remansit, splendidissimam provinciam pro electa habui*; quam provinciam, quae Frontoni remansit, fuisse Asiam et ex sequentibus apparet et ex ep. ad M. Caes. v. 36 p. 86 Nab. Quae verba sane triplicem explicationem admittunt, ut ex duobus consularibus ad sortem admissis iure liberorum prior aut prior sortem duxerit aut, utram vellet, provinciam eligendi potestatem habuerit aut ut maioris dignitatis acceperit Africam.

Paulo inconsideratius nuper magnus criticus Ioannes Nicolaus Madvigius eiusdem Agricolae c. 24, ubi haec leguntur:
14 *Quinto expeditionum anno nave prima trans|gressus ignotas ad id tempus gentes crebris simul ac prosperis proeliis domuit eamque partem Britanniae, quae Hiberniam aspicit, copiis instruxit*, Advers. crit. I. 147 pro *nave prima* ut insignem emendationem *Sabrinam* commendavit. Namque Agricola duobus annis ante vastatis usque ad Tanaum sive Taum (*firth of Tay*)*) nationibus proximo superiore angustum spatium inter Clotam et Bodotriam (*firths of Clyde* et *Forth*) praesidiis firmaverat, *atque*, ut Tacitus

*) *Ad Tanaum* uterque codex; in margine codicis Γ est *Taus sive Tanaus*, Ptolemaeus II. 3, 5 habet Τάουα; *Tavum*, quod ut suum inventum edidit Ritterus, iam proposuerat Glueckius in Iahnii annalibus LXXXIX. 603, et fieri potest, ut *Tanaum* significet antiquam scripturam dubiam fuisse inter *Tavam* et *Tavum*, quod idem videtur esse *Taus*, ut vidit Glueckius. Quin aestuarium iam *Tay* appellatum intellegatur, dubium non est. Quae contra disputat Wexius p. 192, iam refutaverat Mannertus Geogr. ant. II. 2, 60. Nam cum ab Agricola *quarta aestas obtinendis, quae percucurrerat, insumpta sit*, ut ait Tacitus c. 23, mirum non est, quod hac non tam longe progressus est quam superiore, qua tantum vastabat nationes. *Castella* autem c. 22 commemorata cis praesidia postea inter Clotam et Bodotriam munita fuerunt posita.

extr. c. 23 adicit, *omnis propior sinus tenebatur, summotis velut in aliam insulam hostibus.* Longissime igitur Sabrinam (*Severn*) post se reliquerat Agricola. Hanc autem, nisi iam antea, certe anno 47 p. Ch. et proximis transgressi erant Romani P. Ostorio Scapula duce, qui *haud procul mari* venerat, *quod Hiberniam aspectat*, et adversus Silures et Ordovices bellum gesserat in ipsa Valesia positos, quam c. 24 copiis instructam ab Agricola referri opinatur Madvigius (Tac. xii. 31 sqq.); Suetonius Paulinus Monam insulam aggressus erat (xiv. 29. A. 14), Iulius Frontinus, cui successit Agricola, Silures diu rebelles, Agricola ipse sub adventum Ordovices item rebelles et Monam insulam subegerat (A. 17. 18), unde simul apparet, quam recte c. 24 Agricola *Sabrinam* transgressus *ignotas ad id tempus gentes* domuisse diceretur. Recte tamen Madvigius et alii verba *nave prima* corrupta iudicarunt, quamquam non bene expositis rationibus. Una est explicatio horum verborum tolerabilis, ut recte statuit Wexius p. 85, ut de prima navigandi facultate accipiantur. At classis Agricolae proximo demum anno et in contraria Britanniae parte ad Bodotriam commemoratur (c. 25), |et Clota, qua parte in ulteriora progressum esse Agricolam c. 25 docet, tam[1] angusta, et cur Agricola exercitum navibus tramiserit expedito a praesidiis inter Clotam et Bodotriam munitis terrestri itinere (nam in insulam *Arran* et paene insulam *Cantire*, quae hodie dicuntur, transgredi, quod Agricolam fecisse Mannertus Geogr. ant. ii. 2, 61 statuit, illo rerum statu temerarii hominis fuisset) aut ipse cum paucis nave traiecerit exercitu terrestri itinere profecto, causa tam nulla est, ut tota haec *navis* commemoratio hic ineptissima sit. Equidem etsi certam emendationem non reperio, Tacitum *in Clotae proxima* scripsisse suspicor; quorum priora in codice nostrorum principe sic exarata erant *inclote*. Mirum est enim hic non significari, qua parte sit progressus Agricola, sed id demum ex initio c. 25 perspici *Ceterum aestate, qua sextum officii annum inchoabat, amplexus civitates trans Bodotriam sitas. Partem autem Britanniae, quae Hiberniam aspicit*, hic dici eum tractum, qui hodie appellatur *Galloway*, recte monuit Wexius p. 193.

Heindorfius ad Hor. sat. i. 10, 28

> *cum Pedius causas exsudet Poplicola atque*
> *Corvinus*

Pedio, filio Q. Pedii consulis anni ante Ch. 43, Poplicolae cognomen fuisse putaverat, quod mater eius, ut refert Plinius h. n. XXXV. 4, 21, e familia Messalae oratoris eiusdem, quem sequenti versu Horatius memorat, fuisset. Quam sententiam ego in commentatione altera de locis quibusdam Horatii ex primo satirarum Ienae anno 1858 edita p. 7 [*supra p. 494*] improbavi, quod Pedii Poplicolae nemo praeter scholia Horatiana mentionem faceret. Sed verissimam esse docuerat paucis annis ante titulus in arce Athenis inventus, editus in Bullettino archaeologico anni 1855 p. XXX et ab O. Iahnio in Pausaniae descriptione arcis Athenarum 54, 82, his verbis: Ὁ δῆμος Σενπρονίαν, Λευκίου θυγατέρα, Λευκίου Πεδίου Ποπλικόλα γυναῖκα, ἀρετῆς ἕνεκεν. Non igitur, ut ego volueram, tres homines illo Horatii versu, sed praeter Messalam Corvinum hic L. Pedius Poplicola intellegendus est. Reliqua manent, quae illo loco disputavi, hunc Pedium Poplicolam non fuisse fratrem Messalae et v. 93 *te, Messala, tuo cum fratre* intellegendum esse L. Gellium Poplicolam, consulem anni ante Ch. 36. Idem in libro de legibus annalibus p. 21 nota 8 verba tabulae Heracleensis v. 102 *cum eo, quod ei legibus pl. ve sc. procedere oportebit* non recte explicavi; ubi *cum eo quod* est *quatenus*. Handius qui hunc locum non novit, Turs.
16 II. 166, 8 satis multos ex Livio[1] et inferioris aetatis scriptoribus protulit, quibus *cum eo* sequentibus particulis *quod*, *ut*, *ne*, *si* simili significatione ponitur; unum plane huic geminum, qui et ipse relativum habet, quod tamen Handius non videtur perspexisse, ex Cic. ad Att. VI. 1, 7 *Sit sane, quoniam ita tu vis, sed tamen cum eo, credo, quod sine peccato meo fiat.*

Rudolphus Dietschius in Sallustio cum apparatu critico Lipsiae anno 1859 emisso, libro levitate et neglegentia insigni (nam priores editiones Catilinae anni 1843, Iugurthae 1846 multis ex partibus, maxime propter diligentiam fuerunt laudandae), p. 6 de codice Nazariano 'Quem librum', inquit, 'quoniam Nipperdeius aliique viri docti tanti fecere, ut, nisi is repertus foret, nullam spem esse dictitarent'; quibus verbis motus Iordanus contra hanc meam, ut putabat, de Nazariano sententiam disputavit Hermae I. 240 et Eussnerus in libro, quo conventus XXVI philologorum Herbipoli salutatus est, p. 163 multo cum honore me compellato eandem commemoravit. Itaque ne longior seratur fabula de re inani, publice mihi est enuntiandum nihil

me huiusmodi umquam dixisse, sed hoc non minus finxisse Dietschium, quam quod Th. Mommseno *Catalinam* verum *Catilinae* nomen visum esse narravit, nisi quod hoc errore a se factum esse in extremo altero volumine confessus est. Puto aliquid ad eum permanasse ex scholis a me per viginti fere annos de Sallustii Catilina habitis (neque enim scripsi umquam de codicibus Sallustii); in quibus hoc dicere consuevi valde optandum esse, ut accurate compararetur codex Leidensis L Havercampi, neglegentissime ab hoc adhibitus, siquidem verum esset, quod is narraret (vol. I p. 384 n. f, item in praefatione et indice codicum) antiquam manum huius codicis, qui quin inter optimos esset dubitari non posset, pertinere ad Iug. 108, 3, reliqua esse combusta: tum enim hunc codicem unum esse ex optimis, in quo servata esset magna pars lacunae, quae in reliquis capita a 103 ad 112 hausit, et fortasse integra olim ea capita extitissent*). Ceterum quoniam ad hanc rem delatus sum, breviter aperiam sententiam meam de codicibus Sallustii, quam in scholis illis inde ab initio protuli et nunc etiam teneo. Nazarianum, quem eundem a Grutero appellari Palatinum primum et Palatinum primum Nazarianum is tantum nescire poterat, qui ipsas Gruteri notas non inspexisset, sane inter optimos codices[1] numero neque hanc meam sententiam iis, quae Iordanus protu- 17
lit, refutatam arbitror. Neque enim probo eius conatum ad unum potissimum codicem Sallustii recensendi, quamquam laudabilis fuit eius opera, qua unius certe optimi codicis accuratam collationem nacti sumus; sed ipse vidit hunc codicem Parisinum Sorbonnae numero 500 non paucis locis deteriora praebere quam alios codices, neque ullus est optimae familiae codex, quin sua bona et mala habeat, neque ad summam rem tam refert, num paulo plura aliquis horum codicum peculiaria vitia habeat (qua in parte sunt sane alii aliis inquinatiores), sed ut ex universis efficiatur familiae testimonium, hoc est eius codicis, ex quo hi orti sunt, quem aliquot locis iam plures variasque scripturas habuisse certum est. Huic igitur optimae familiae ex codicibus adhuc notis hos adnumero: Parisinum Sorbonnae

*) [*Confirmat hoc Iordanus, qui codicem Leidensem* (*Voss. lat. oct. 75*) *excussit, praef. ed. 2* (*1876*) *p. VII.*]

numero 500 et Parisinum z numero 1576, perbonum utrumque (uter melior sit, discerni vix poterit neque multum refert), Leidensem L Havercampi et Nazarianum, quorum pretium accuratius constitui poterit, cum plene fuerint collati (neque enim dubito, quin Nazarianus adhuc Romae extet), Basileensem primum, paulo reliquis vitiosiorem; eiusdem familiae quasi alteram partem efficiunt Einsiedlensis et Guelferbytanus quintus, quales eius scripturas retulit Cortius, non Dietschius, et, ut videtur, Commelinianus, aliquanto quidem superioribus deteriores et magis etiam mutili, sed tamen ne ipsi quidem neglegendi. His bonitate non comparandos esse alios codices, velut Turicensem et Monacenses quosdam, qui cum iis coniungi solent et coniuncti sunt etiam a Iordano, ut scripturis demonstratur, quas littera C notatas refert, facile intelleget, quicumque scripturas eorum examinabit. Huic familiae adhibendus est alius generis codex Vaticanus orationum et epistularum, de quo meum iudicium semper idem fuit, quod Iordani, deteriorem eum esse altera optima familia, sed qui complura vera solus servaverit et, cum non ex eodem codice ortus sit atque ii, quos supra enumeravi, in dissensu horum magnum pondus addat ei parti, quacum consentit, nisi hoc casui aut consilio, in quod pluribus incidere proclive fuit, tribuendum esse probabile sit. Ceterum cum tantum tribueret codici Sorbonnae Iordanus, valde miror eum secutum non esse, quod is verissime tradidit, sed in inscriptione Catilinae retinuisse *de coniuratione Catilinae*, indicem a Dietschio ex c. 4, 3 sine ulla idonea causa confictum. Haec enim legi-
18 mus in fine Catilinae in| illo codice scripta: *C. Sallustii Crispi bellum Catilinae explicit, incipit bellum Iugurthinum*. Quos veros utriusque libri indices esse Quintilianus demonstrat III. 8, 9: *C. Sallustius in bello Iugurthino et Catilinae nihil ad historiam pertinentibus principiis orsus est;* qui profecto non diversa ratione *Iugurthino* et *Catilinae* usus esset, nisi ita in Sallustii libris scriptum reperisset.

Finem faciam in tribus Sallustii locis, quorum unus mihi duplici vitio laborare, duo a propositis mutationibus breviter defendendi videntur. Nam Cat. 10, 3 haec leguntur: *Igitur primo pecuniae, deinde imperii cupido crevit; ea quasi materies omnium malorum fuere;* at initio c. 11 *Sed primo magis ambitio*

quam avaritia animos hominum exercebat, quod tamen vitium propius virtutem erat. Nihil agunt, qui utriusque loci discrepantiam tolli credunt, quod priore sit *crevit*, altero *exercebat*. Neque enim, quod crescit, minus exercere animos hominum potest. Neque verum est primo pecuniae, deinde imperii cupidinem crevisse. Neque c. 11 de antiquiore tempore dicere Sallustium quam c. 10 docent c. 11, 4 verba *Sed postquam L. Sulla* et q. s. Denique si quod discrimen aut temporis aut sententiae utroque loco significare voluisset (quamquam hoc totum, ut dixi, inane est), profecto aperte id indicaturus erat neque talem ambiguitatem relicturus, ut videretur aliquot versibus interiectis contraria dixisse. Itaque initio c. 11 post digressionem, quam de avaritia et ambitione instituerat, ad sententiam c. 10, 3 enuntiatam revertitur; cuius hanc formam fuisse necesse est *Igitur primo imperii, deinde pecuniae cupido crevit.* Traiecit autem aliquis *pecuniae* et *imperii*, quia Sallustius deinceps inverso ordine primum de *avaritia*, deinde de *ambitione* dicit. Linkerus, qui *primum* edidit, quid sibi voluerit, nescio. Sed praeterea *ea quasi materies* ferri nequit. Nam singularem non admittit *fuere*, neutrum pluralis attractionis lex, quae pronomen aut ad *cupidines* imperii et pecuniae aut ad *materies* accommodari iubet. Itaque scribendum est *eae*; quod ad *cupidines* refero, quia *materies* plurali numero displicet. Infra § 6 neutrum *haec*, non solum ad *avaritiam* et *ambitionem*, sed ad ea, quae his efficiebantur, relatum, rectissime habere non est quod moneam.

Contra Linkeri transpositioni, qua ea, quae leguntur inde a c. 28, 4 usque ad 31, 4, collocavit ante 27, 3, praeter alia
hoc repugnat, quod tum verba 27, 4 *docet se Manlium prae-* 19
misisse ad eam multitudinem, quam ad capienda arma paraverat legerentur post 30, 1 *Post paucos dies L. Saenius senator in senatu litteras recitavit, quas Faesulis allatas sibi dicebat, in quibus scriptum erat C. Manlium arma cepisse cum magna multitudine ante diem VI kal. Nov.*, ita ut Catilina, quae Manlium facere voluisset, coniuratos serius edocuisset, quam ea facta esse publice nuntiatum esset. Similiter peccavit Mommsenus, cum Iug. 43 *Metellus et Silanus consules designati provincias inter se partiverant, Metelloque Numidia evenerat* pro *designati* coniecit *de*

senatus sententia, quod cupidius a Iordano receptum non admittunt sequentia *Is ubi primum magistratum ingressus est, alia omnia sibi cum collega ratus ad bellum, quod gesturus erat, animum intendit*, quorum prima inepta erant, nisi superiora ante magistratum a Metello initum gesta retulisset Sallustius.

ANHANG.

Aus handschriftlichen Vorarbeiten zu der Schrift »Die leges annales der römischen Republik« Leipzig 1865.

1. Altersgrenze in den leges annales der Kaiserzeit.

[Vgl. Leges annales S. 55 und oben S. 516.]

Cassius Dio LII. 20 lässt den Mäcenas in der grossen Rede sagen (καταλέγεσθαι χρὴ) ἐς τὸ συνέδριον πεντεκαιεικοσιέτεις. — Ταμιεύσαντές τε καὶ ἀγορανομήσαντες ἢ δημαρχήσαντες στρατηγείτωσαν τριακοντοῦται γενόμενοι. Man hat mit Recht in dieser Stelle die wirklichen Einrichtungen des Augustus gefunden; denn einmal würde ein solches Detail in einer erdichteten Rede überhaupt ohne Sinn sein, wenn es nicht der Wirklichkeit entnommen wäre, und dann sagt Dio c. 41, dass Augustus die Rathschläge des Mäcenas grösstentheils selbst ausführte, theilweise ihre Ausführung seinen Nachfolgern überliess. Wir finden überdies schon unter Augustus hinlänglich Beweise, um ihm alle Bestimmungen der angeführten Stelle zuschreiben zu müssen.

Ebenso ist es klar, dass die ersten Worte derselben das Alter für die Quästur angeben, durch welche man ja regelmässig in den Senat trat. Es wird dies dadurch bestätigt, dass, wie wir aus Dig. L t. 2 l. 6 § 1, l. 12 und t. 4 l. 8, sowie der rubrica LIV der lex municipii Flavii Malacitani wissen, zum Decurionat und den Aemtern der Municipien, sowohl civium Romanorum als Latinorum, in der Kaiserzeit das 25. Lebensjahr erforderlich war. Dass hierbei, wie bei allen Altersbestimmungen für die Aemter, der Grundsatz galt, das begonnene Jahr

als vollendet anzusehen, ist früher schon erörtert worden. Die von Marquardt in der Fortsetzung des Becker'schen Handbuchs II. 3 S. 210 Anm. 79 erwähnte Inschrift bei Gruter 485, 8, Orelli 3714, in welcher es heisst *trib(uno) mil(itum) leg(ionis) VIII Aug(ustae), quo militante cum liberata esset Novia obsidione, legio pia fidelis constans Commoda cognominata est, ipse ut devotissimus imperatori Commodo Aug(usto) pio felici obiecto* (vielmehr *oblato*) *honore quaestor designatus est annorum XXIIII* enthält also nichts Auffälliges; sie zeigt nur, was sich auch so annehmen lässt, dass eine so frühe Wahl zum Quästor bei einem Manne, der, wie der Betreffende, nicht dem Adel angehörte, selten war. Dagegen darf in der ebenfalls von Marquardt erwähnten Inschrift aus Pisa bei Orelli 3145 [*aus Gori inscr. Etr. II. 29, 20*] *L. Iulius Larcius Sabinus, trib(unus) pleb(is). V(ixit) annis XXIIII diebus III...*, nicht mit Orelli ein römischer Volkstribun gefunden werden, zumal da seine Quästur nicht erwähnt wird, sondern, wenn die Inschrift zuverlässig ist, der eines Municipiums oder einer Colonie, wie es deren zu Teanum und Venusia gab, welche Henzen 5985 u. S. 276 anführt.

2. Papirii Carbones.

[Zu Leges annales S. 74. Vgl. oben S. 323 f.]

C. Carbo bei Dio XXXVI. 40 (23) und Memnon (Photius Bibl. S. 239ᵇ 5) *) ist aller Wahrscheinlichkeit nach entweder der Enkel des berühmten Redners Consuls 120, der Sohn des C. Carbo Arvina, welchen Damasippus 82 ermordete, oder der Sohn des C. Carbo, welcher Bruder des Cn. Carbo, Consuls 85, 84, 82 und Sohn des Cn. Carbo Consuls 113 war. Ueber Arvina verweise ich auf Orelli's Onomasticon, welcher aber or. 63, 213 falsch auf dessen Vater bezogen hat, Val. Max. III. 7, 6. IX. 2, 3**), Appian b. c. I. 88 und Velleius II. 26, 2. Velleius nennt ihn dort *consulis fratrem*, d. h. des Cn. Carbo cos. 85, 84, 82, indem er, wie Manutius zu Cicero ad fam. IX. 21 und Perizonius Animadv. hist. III p. 96 der Altenburger Ausgabe be-

*) [*Valerius Maximus V. 4, 4 nennt den Ankläger des M. Cotta irrthümlich Cn. Carbo.*]

**) [*Vgl. M. Claudius Sacerdos Art. gramm. I. 155 mit Haupt's Erklärung Hermes I. 32 = Opusc. III. 324.*]

merkt haben, entweder *fratrem* für *fratrem patruelem* setzt oder ihn mit dem wirklichen Bruder jenes Cn. Carbo verwechselt, welcher nach Val. Max. IX. 7, 3 von seinen Söldnern getödtet wurde. Ueber dieses Ereigniss ist in der neuesten Zeit das Zeugniss des Granius Licinianus p. 39 der Bonner Ausg. hinzugekommen, dessen Worte indess durch den Epitomator entstellt sind, wonach es 79 fällt. Cicero sagt in dem bekannten Briefe über die Papirier ad fam. IX. 21 von den Carbonen § 3 Folgendes: *Nam praeter hunc C. Carbonem, quem Damasippus occidit, civis e republica Carbonum nemo fuit. Cognovimus Cn. Carbonem, et eius fratrem scurram: quid his improbius? De hoc amico meo, Rubriae filio, nihil dico. Tres illi fratres fuerunt C. Cn. M. Carbones. Marcus P. Flacco accusante condemnatus, fur magnus, ex Sicilia: Gaius accusante L. Crasso cantharidas sumpsisse dicitur; is et tr. pl. seditiosus et P. Africano vim attulisse existimatus est. Hoc vero, qui Lilybaei a Pompeio nostro est interfectus, improbior nemo meo iudicio fuit. Iam pater eius accusatus a M. Antonio sutorio atramento absolutus putatur.* Manutius will in dem von Cicero zuerst erwähnten Cn. Carbo (in den Worten *Cognovimus Cn. Carbonem*) den Brut. 62, 223 genannten sehen: *Cn. Carbonem, M. Marium — aptissimos cognovi turbulentis contionibus.* Sehr richtig; aber dieser Cn. Carbo war nicht, wie er meint, ein anderer als der Consul der Jahre 85, 84, 82, sondern derselbe. Ihn musste Cicero doch gekannt haben, und da er einfach den Namen Cn. Carbo setzt, so kann unter seinen Zeitgenossen nur an den allein bekannten dieses Namens gedacht werden, zumal da wir wissen, dass dieser einen Bruder hatte, jenen 79 von seinen Soldaten ermordeten C. Carbo. Hiergegen will der Einwand des Manutius nichts bedeuten, dass dieser Cn. Carbo hernach erwähnt werde in den Worten *Hoc vero, qui Lilybaei* u. s. w. Es ist dies nur eine nochmalige Bekräftigung des in den Worten *quid his improbius?* über ihn ausgesprochenen Urtheils, veranlasst durch das über seine Oheime Gesagte. Die älteren C. und M. Carbo, sagt Cicero, waren schlecht, aber dieser Cn. Carbo war unübertrefflich in der Schlechtigkeit. Aehnlich irrt Perizonius a. a. O., indem er aus der Reihenfolge der Sätze schliesst, Cicero müsse mit dem *Hoc vero, qui Lilybaei* u. s. w. den zweiten der vorhergenannten C. Cn. M. Carbones bezeichnet haben und also den Consul der Jahre 85, 84, 82 und nicht

den Vater desselben Cn. Carbo cos. 113 (denn ein anderer kann der im letzten Satz von Cicero erwähnte Vater jenes nicht sein, da der Consul d. J. 84 in den Capitolinischen Fasten Cn. f. heisst) für einen Bruder des Consuls d. J. 120 gehalten haben. Das ist denn doch dem Cicero etwas zu viel Unsinn zugetraut. Und mit demselben Recht könnte man behaupten, *Tres illi fratres fuerunt, C. Cn. M. Carbones* müsse heissen: »die drei ebengenannten Brüder waren C. Cn. M. Carbo«, während es doch stets richtig verstanden ist »Ferner gab es jene drei Brüder«, deren Namen folgen. Wie sich die Einschaltung des Satzes über den Consul der Jahre 85, 84, 82 erklärt, ist schon bemerkt. Sein Vater, der Consul des J. 113, der zweite des vorhergenannten Kleeblatts C. Cn. M. Carbones, kommt erst hinterher, weil auf ihn am wenigsten zu bringen war. Denn er war vom Gericht freigesprochen; man glaubte nur, dies sei durch eine Verfälschung der Stimmtäfelchen geschehen. So verstehe ich Cicero's Worte, nicht, wie es nach dem Vorgang des Manutius geschieht, als habe er sich vor der Verurtheilung mit Kupfervitriol vergiftet. Dann hätte es nicht heissen können *absolutus*, sondern höchstens *se absolvisse*. Cicero brauchte es hier für die Bezeichnung der einzelnen Personen mit seinen Worten nicht so genau zu nehmen, da er an einen der Verhältnisse Kundigen schrieb. Da wir so alle von Cicero erwähnten Carbonen bis auf einen bestimmt haben, so scheint es mir nicht zweifelhaft, dass dieser eine, der *Rubriae filius*, über welchen die Ausleger ebenfalls keine Auskunft geben, derselbe ist, welcher ausser den übrigen von Cicero genannten allein noch anderwärts vorkommt, der C. Carbo der oben angeführten Stelle Dio's. Hierzu passt es auch sehr wohl, dass dieser Carbo allein dem Alter des Cicero so nahe stand, dass dieser ihn *amicus meus* nennen konnte, während die übrigen die Zeit des Marius und Sulla nicht überlebten. Denn wir haben Münzen aus seiner Verwaltung Bithyniens mit der Aufschrift ἐπὶ Γαίου Παπιρίου Κάρβωνος und den Zahlen βκσ und δκσ [*d. i. 61 und 59 v. Ch.*]

ORATIONES.

ORATIO AD MUNUS PROFESSORIS PUBLICI ORDINARII AUSPICANDUM HABITA

Ienae d. x. m. Febr. a. MDCCCLV.

Fuit tempus quo haec ars quam nos philologiam dicimus, Romani grammaticam appellabant, et latissime regnaret et ab excellentissimo quoque coleretur, ita ut omnem liberalem disciplinam haec studia continerent, neque sine iis doctus quisquam aut humanitate excultus videretur. Demonstrat nomen ipsum, quod illi tempori inditum est quo primum post longum quasi torporem haec studia reviguerunt. Nam cum saeculo post Ch. n. quarto decimo veterum Graecorum et Romanorum libri, qui diuturnas temporum iniurias hominumque barbariem atque socordiam quasi quoddam naufragium evaserant, magno studio conquiri, lectitari, emendari, explicari coepti essent, ita hoc tempus a superiore distinctum est, ut a renatis litteris hodie quoque appelletur. Neque enim erant fere aliae litterae. Nam non solum omnis scientia ex veterum Graecorum et Romanorum libris hauriebatur, et ab his pedetemptim tantum et lente progredi homines ad propria et nova inventa audebant, sed ne sermone quidem alio in plerisque utebantur nisi Latino, neque minus si qua oblectandi quam in iis quae docendi causa componebant. Ab hoc inde tempore per duo saecula omnis humanitas et maxime omnis elegantior institutio nusquam fere nisi ex his studiis petebatur, his carere qui in re publica versabantur nullo modo poterant, neque pauci eorum, quos hodie nobiles philologos numeramus, tum maiorem splendorem publicis muneribus obeundis tenuerunt, quibus muneribus non

aliis quam his ipsis Graecarum et Latinarum litterarum studiis maxime idonei videbantur. In hodierna quoque doctrina magnum sibi locum vindicat philosophia Graecorum, maiorem etiam iuris prudentia Romanorum; sed quod maxime memorabile est, ea arma, quibus philologia in campum, si superiora illa tempora recorderis, angustissimum compulsa est, ipsa acuit et ad usum habilia reddidit. Nam cum ita rudi et incondita et inopi voce recentiores populi uterentur, ut ad doctrinae lumen quasi pudibundi obmutescerent neque loqui in litteris aut possent aut auderent, philologia eos docuit, quemadmodum veterum Graecorum et Romanorum exemplaria intuentes ad eorum similitudinem suum quique sermonem componerent, pauperes aluit, haesitantes et squalidas facilitate et elegantia instruxit. Quam illi facultatem nacti universi quidem satis grati fuerunt, sed tamen singuli quidam homines male loquaces veterem nutricem, quae parentes eorum eduxerat et qua ne ipsi quidem carere potuerunt, omni possessione et loco pellere tam impii quam vani studuerunt.

Alioquin ut contra naturam erat ille status, quo recentiores populi antiquarum litterarum terminos non excedebant, et tum demum ad veram humanitatem et doctrinam perventum est, cum quasi pueritiam egressi suis viribus, suo ingenio suoque sermone uterentur, adeo ut, si effusam huius temporis doctrinam, omnes partes cognitione dignas perscrutantem et pervestigantem, cum veteribus Graecis et Romanis compares, copia rerum hos inmensum quantum inferiores fuisse appareat, quamquam in iis, quae tractaverunt, credo ob id ipsum, quia pauciora erant, subtilitate et elegantia facile superant, — ut igitur ipsius humanitatis intererat philologiam a plerisque litterarum et disciplinarum partibus removeri, ita ipsi philologiae haec rerum mutatio adeo profuit, ut ab eo demum tempore natum sit, quod vere hoc nomine appellari deceat. Nam antea cum in plerisque partibus communis vitae versaretur, cum rei publicae inserviret, cum omnes fere disciplinas instrueret, cum in historia, in eloquentia, in omnibus denique elegantioribus litteris magnum locum teneret, his adventiciis et quasi extraneis muneribus ita obruebatur, ut se ipsam circumspicere, et quid proprii et sui muneris esset, ne intellegere quidem satis et perspicere posset; neque tamen ad illas partes, quippe quo non habitandi, sed devertendi causa

accessisset, eam rerum scientiam afferebat, ut operae pretium faceret. Quotus enim quisque hodie et iam a longo inde tempore ingentem illum orationum dialogorum epistolarum carminum latinorum numerum legit, quem omnes fere illorum temporum philologiae professores effuderunt? Et merito. Nam si a perpaucis recesseris, nihil fere in his inest in rebus, et quae ex illarum tantum accurata cognitione nasci possunt, in sententiis novi et proprii quod idem laude dignum sit, ne in oratione quidem, sed omnia misera et multa puerili imitatione ex veterum scriptis expressa et consarcinata. Sed tamen haec certe non minima ex parte in causa fuerunt, qua re philologi in suo opere, si temporis spatium consideres, tam pauca praestarent, ut qui rem non teneant saepe mirentur, cum nobis longe plurima perficienda superesse dicamus, et fingere nos, ne supervacanei videamur, arbitrentur. Sed non est mirum, hoc ita accidisse. Carebant enim arte superiores illi, quae et quid sibi praestandum esset doceret et in quas partes universum munus diducendum et quo modo singula ita tractanda, ut ad totius operis summam atque finem tamquam a certis fundamentis ad domum bene instructam consurgerent. Igitur antiquissimi philologi cum Graeca et Latina exemplaria ita correxissent, ut legi utcumque possent, summo studio incubuerunt ad vitae antiquae, et publicae et privatae, imaginem adumbrandam, ne litterarum quidem historia et sermone neglectis. Unde nata sunt ingentia illa volumina, in quibus admirabilis apparet patientia atque industria, diffusa lectio, summa doctrina; sed tamen si a paucis recesseris, nihil illis libris praestitum est nisi ut materiae colligeretur rudis quaedam indigestaque moles, ne ea quidem plene et aequaliter, cum nullo certo consilio neque institutum neque perfectum esset opus, minimae res ambitiosa sedulitate, gravissimae supina neglegentia tractarentur. Longe tamen haec tempora proximis praeferenda sunt, quibus omne fere studium conferebatur ad veterum libros non emendandos et explicandos, sed farragine quadam obruendos, quae componebatur discrepantia codicum manuscriptorum neglegenter et nullo fere iudicio collecta, coniecturis ingenii ostentandi magis quam veri inveniendi causa excogitatis, observationibus rerum et sermonis, doctissimis illis magna ex parte et copiosissimis, sed quae non ad institutam rem comparatae essent, sed ut quae-

que casu in adversariis fuerant congesta, tamquam ex quodam cornu copiae profusae. In summa hoc dici de antiquiorum philologorum libris vere potest, multa in iis inesse egregia, quae eum, qui easdem res tractare instituat, magna laboris parte levare possint, nullam tamen partem paulo maiorem ingenti illo librorum numero absolutam esse et perfectam. Primus nascente hoc saeculo, cum philosophiae lumen in omnes disciplinas diffunderetur, Fr. Aug. Wolfius in artem haec studia redegit, et cum philologiam in universa antiquitate Graecorum et Romanorum cognoscenda versari posuisset, partes operis ita descripsit, ut qua ratione consummari posset appareret. Ab eo inde tempore ratione et via haec studia tractata sunt, perturbata et obscura multitudo atque varietas eorum quae facta erant ad simplices et perspicuas causas revocata, ab externa et multiplici singularum rerum facie ad communem et veram indolem atque naturam penetratum; et cum summa totius operis et finis ante oculos versaretur, in partibus a singulis ita elaboratum, ut, cum intra certos fines se continerent, quod susceperant absolvere studerent. Quod quamquam in multis egregii viri praestiterunt eorumque gloriam minorum subsequitur industria, maior tamen pars profliganda restat, et quidem in Latinis plura quam in Graecis, ut de paucis artibus verius dici quam de philologia possit, plurima non posse ex libris neque sine viva professoris voce disci. Ex quibus partibus unam et alteram, quas ego potissimum pervestigavi, ita commemorabo, ut qua ego in his studiis ratione utendum putem appareat.

Fundamentum totius philologiae positum est in ea arte quam nos criticam appellamus. Quae cum abesse a nulla disciplina possit et omnes partes philologiae pervagetur, in hac proprium sibi et primarium et latissime patentem locum vindicat. Nam cum omnis fere antiquitatis Graecae et Romanae cognitio ex litterarum monumentis hauriatur quae ex illis temporibus ad nostra propagata sunt, ea autem hominum incuria et inscitia aut temerario consilio plurimis erroribus et multiplici fraude inquinata sint et adulterata, nullam aliam philologiae partem absolvi posse apparet, nisi his sordibus remotis genuina illarum reliquiarum forma restituatur. Hanc igitur artem criticam sive potius criticae artis partem, quae in emendandis veterum Graecorum et Romanorum scriptis versatur, non solum nullus liber

est qui recte doceat, sed ipsa non ita pridem et post Wolfium demum inventa est. Recte enim inventa dicitur, cuius antea quae leges essent quique usus ignorabatur. Nam superiores ante omnia in ipsis principiis et fundamento totius rei gravissimo et capitali errore conflictabantur, quod exemplaria, quibus veterum libri nobis servati sunt, neque cum cura adhibebant neque qua auctoritate singula essent inquirebant, sed ut quaeque erant oblata, si paulo maiorem numerum congessissent, satis se instructos neque magnum inter singula, quamvis vel maxime discrepantia, auctoritatis discrimen intercedere putabant. Deinde falsa quadam opinione ducebantur de ipsis veteribus scriptoribus concepta, quibus optima quaeque maxime consentanea existimabant. Haec igitur ex apparatu illo parum locupleti seligebant, et in quocumque exemplari inventa erant, verissima putabant, hac norma tuto se antiqua exemplaria deserere suaque inventa inferre confidebant, in qua re cum suum captum suumque sensum sequerentur, non solum pro veterum scriptis sua obtrudebant, sed multis locis pro aptis et pulchris deformia atque inepta. Ut paucis absolvam, non ita illi rem gerebant, ut genuina veterum librorum forma restitueretur, sed fortuita quaedam, quae si optime cum illis libris ageretur, posset veteris alicuius scriptoris similis esse. Longe ab hac temeritate nostra aetas recessit. Nam cum acriter id teneret idque unum sibi propositum videret, ut eam ipsam veterum librorum formam redintegraret, qua illi essent ex antiquorum scriptorum manibus emissi, iudicis se partes sustinere vidit, cui ex multorum testium discrepanti relatione verum esset eruendum. Horum enim testium locum profecto tenent exemplaria, quibus antiqua litterarum monumenta ad nos propagata sunt. Itaque qui recte agere velit, is primum omnes testes sibi audiendos putabit, nisi quos certis argumentis nulla veri vestigia tenere cognoverit. Deinde dispiciet, et qui ab alio eorum qui adsint acceperint et qui ex communi fonte promanarint: illos plane excludet, hos omnes non plurium, sed unius testis auctoritatem afferre statuet. Quod cum ita minus idoneos reiecerit, reliquos in stirpes quasdam et familias diductos fallaci multitudinis specie detracta ad verum numerum revocaverit, tum eas partes persequetur de quibus omnes consentiant. His acriter pervestigatis certam imaginem sibi informabit et totius antiquitatis et uniuscuiusque

aetatis et singulorum scriptorum. Ad hanc imaginem ea, de quibus testes dissentient, exiget, quique in his proxime ad eam imaginem accedant, eos ubique verissimos putabit et ibi quoque sequendos, ubi aliis argumentis, quid verum sit, discerni nequeat. Haec est summa eius rationis qua exemplaria illa tractanda sunt quae veterum Graecorum et Romanorum libros nobis servaverunt, nisi quod in ipso labore non omnia eo ordine neque separatim agimus, sed imaginem illam antiquitatis et singularum aetatum iam puerili institutione insitam nobis et leviter adumbratam, deinde acrioribus studiis certis lineamentis comprehensam et vivis coloribus excultam afferimus inque hanc ipsius scriptoris speciem accurate expressam includimus, in reliquis quoque non omnes quasi itineris anfractus persequimur, sed ingenii celeritate principia et finem compendiis viarum coniungimus. Atque hac ratione et his legibus inventis iam hoc profectum est, ut quicumque eas sequitur opus suum absolvat, neque si quis scriptor eo modo tractatus fuerit, is iteratam curam desideret. Potest autem illas leges sequi quicumque probabiliter fuerit institutus, et doctrina magis et industria quam excellens ingenium requiritur. Verum his confectis, quae modo exposui, nequaquam critici munus peractum est. Revocata est enim ea forma, ex qua omnia exemplaria quae supersunt orta sunt, qua meliorem horum exemplarium testimoniis invenire non possumus; sed ea nondum ad ipsius scriptoris manum perventum esse facile intellegitur, cum in iis quoque partibus, de quibus omnes testes consentiunt, non pauca insint ab illa imagine quam sequimur abhorrentia. In his emendandis ea pars criticae versatur quam coniecturalem appellamus; quae si testimonii auctoritatem cum illa imagine coniunxerit, ita ut huic consentanea indagarit quae ad litterarum ductus in exemplaribus conspicuos quam proxime accedant, omnes verisimilitudinis numeros, ultra quam in hac parte progredi non possumus, impleverit. Atque ad hanc partem praeter doctrinam et usum non solum magna ingenii sagacitate, sed etiam felicitate opus est, quae, cum infinitum sit neque fieri possit, ut omnia verisimilia mente persequamur, rationem praecurrat et in verisimillimum statim incidat. Quamobrem ut prius illud munus, quod solam testium auctoritatem sequitur, semel et ab uno homine perfici potest, ita hoc, in quo fortuna non parvam vim

exercet, num umquam plane absolvi possit dubium est. Sed antequam illud certa ratione instituebatur, hoc omni fundamento carebat, et vera arte critica inventa in hac quoque parte id profectum est, ut, quod antea ad finem perduci nullo modo poterat, eius perficiendi nunc via certe et facultas monstrata sit. Atque cum in veteribus litterarum monumentis restituendis longe plurima exemplarium sive testium auctoritate contineantur, iam non eosdem scriptores pro cuiusque editoris ingenio forma maxime diversa indutos videbimus, sed cum quis ad artis normam fuerit exactus, nisi suam formam, certe suae simillimam recipiet, neque ea nisi in singulis quibusdam rebus mutabitur, ita ut coniecturali arte ad maiorem verae similitudinem perducatur. Sed quam nova haec ars sit, inde maxime perspici potest, quod longe plurima et vel gravissima antiquarum litterarum monumenta nondum ab diuturnis et gravibus iniuriis aut temporum aut hominum hac salubri verae artis cura requiescunt.

Ex gravissimis philologiae partibus est quae leges sermonis Graeci et Latini persequitur, quam nos grammaticam appellare consuevimus, angustioribus finibus huius vocabuli significatu circumscripto. Eam artem qui doceant permulti sunt libri, sed pueris fere et primae institutioni scripti, pleniores pauci; qui ubique in causas illarum legum inquirat et usum infinita varietate conspicuum, mutabilem, et si per se spectetur, conturbatum atque inter se repugnantem ad paucorum principiorum simplicitatem disponat atque astringat, ut paucis dicam, qui rem ita tractet ut artis nomine dignum est, eum librum adhuc, si a minoribus quibusdam partibus recesseris, habemus nullum. Et prior quidem grammaticae pars, quae elementa et declinationes atque mutationes vocum comprehendit, non poterat ea ratione tractari ante haec tempora, quibus primum linguae orientales accurate pervestigatae sunt earumque cum Graeca et Latina cognatio et communis origo explorata. Quarum antiquissima maxime, quae sanscritana dicitur, adhibita itemque ad Latinam Umbrica et Osca in hac parte permulta sunt explicata et quasi ad vitam revocata, quae antea obscura nobis erant et emortua; superest autem ut, quae reliquarum linguarum magis gnari quam Graecae et Latinae adhuc coniuncta tractaverunt, de iis et in Graeca et in Latina separatim quaerant qui et in his habitent neque a reliquis sint alieni; qui multa conferent huic parti ex

antiquissimis monumentis aeri aut saxo inscriptis et nimis adhuc in omni fere antiquitatis studio neglectis. Plura profliganda restant in altera parte, quae syntaxis dicitur; quae quamquam doctrinam non desiderat Graeci Latinique sermonis fines evagantem, tamen per se ipsa tam varia et multiplex est, ut non solum copia rerum multam industriam, sed difficultas atque subtilitas plus etiam ingenii et acuminis requirat. Neque quicquam profecerunt, qui ante aliquot annos Beckeri et Herlingii operam in grammatica vernacula positam secuti, nova quadam dispositione, non ad sermonis naturam, sed ad suum arbitrium conformata, et artis legibus magis quam superiores satisfacere se et res antea obscuras multa luce perfundere sperabant. Neque enim, quod sibi videbantur, philosophiam illi ad emendandam grammaticae rationem afferebant, sed inani nominum quorundam strepitu decepti umbram et imaginem eius amplexabantur. In quorum ratione cum multa falsa erant, tum hoc omnibus commune, qui in disponenda materia fingere genera malunt quam a natura descripta sequi, quod coniunctissima quaeque divellebant et tota sermonis compage dissoluta partibusque permixtis et perturbatis, quae explicare et illustrare studebant, ea non poterant non impedire et obscurare. Rectius in hac parte veteres, ad quorum exemplum iam fere plerique redierunt. Nam cum syntaxi docendum sit, quemadmodum verba ita coniungantur, ut sententia oriatur, ea autem coniunctio efficiatur declinationibus verborum, quas casus, personas, tempora, modos appellamus, haec dispositio ipsa sermonis conformatione monstrata sine dubio et verissima et aptissima est, quae omnia genera coniungendorum verborum complectitur. Superest igitur, ut in primam harum formarum naturam et significationem acrius inquiratur, et quo modo ex hac omnis illarum usus promanarit demonstretur. Redeundum est nobis ad ipsam populorum infantiam, et quantum reliquiae sermonis Graeci et Latini patiuntur, rursus illud iter a primis sermonis incunabulis usque ad interitum permeandum. Quod numquam recte perficient, qui nihil esse Graeco et Latino sermone perfectius et absolutius putant, ita ut divinitus omnia sic quasi a philosopho quodam conformata sint; quae opinio nimis absurda est et rei ipsi repugnans quam ut proponi hodie possit, sed tamen nulla alia re tueri se possunt qui omnem casum atque inconstantiam a ve-

terum sermone alienam putant. Is solus veterem sermonem recte et cum fructu tractabit, qui et sui et reliquorum suae aetatis hominum ita meminerit, ut veteres homines ab his nostris in plerisque et maximis rebus non fuisse diversos intellegat neque in universo genere aliam veteris sermonis fuisse naturam et motum atque hodierni. Neque enim difficulter animadvertet in verborum demum declinationibus hominum mentem ad suam quasi regionem escendisse et libero atque suo motu usam esse; in priore syntaxis parte, quae de nominibus agit, omnia quae propria sint et primaria pertinere ad res externas, quas manibus oculisque tractamus, reliqua omnia ab his esse desumpta et translata. Imagines igitur in hac parte tractamus, casu saepe et summa inconstantia ortas, ut similitudo aliqua animum pepulerat. Hae explicandae sunt nobis, ita ut eam rerum externarum et corporalium rationem indagemus, ad quarum similitudinem conformatae sint. Quae res optime ei cedet, qui praeter doctrinam et ingenium accuratissime hominum naturam et varium vitae humanae motum pervestigarit.

Tertio loco adiungam eam partem, quae omnem vitam et publicam et privatam Graecorum et Romanorum explicat, quas antiquitates dicere consuevimus. In quibus egregia permulta nostra aetas praestitit, postquam in rebus Romanis novum iter Niebuhrius patefecit, in Graecis quaedam tractavit Boeckhius, quo nemo adhuc universae antiquitatis imaginem acrius animo comprehendit aut in iis quae attigit luculentius explanavit. Universum quoque corpus antiquitatum et Graecarum et Romanarum, si harum partem excipias, ita tractatum est, ut non mediocrem laudem ea res nostro tempori afferat. Est tamen quod desiderem in universa ratione, qua veterum res publicae explicantur: nam privatae in disponendo maiorem difficultatem quam per se ipsae movent. Videntur enim mihi qui adhuc de illa parte exposuerunt, adeo toti in antiquis rebus occupati aut recentiorum ignari fuisse, ut minus quam opus erat eorum quos docebant commodo inservirent. Magna illi industria multoque acumine usi sunt in iis, quae veteres scriptores tradiderunt, congerendis disponendis examinandis; sed ut veram et plenam imaginem exprimerent, multa iis docenda erant de quibus veteres scriptores tacent. Saepe enim ut penitus qualis aliqua res fuerit pernoscatur, gravius est notari quibus partibus caruerit quam

quas tenuerit; quod in veterum Graecorum et Romanorum re publica usu venit, cuius multas partes antiqui scriptores non attigerunt, quia tum aut posse eas aliter institui plane ignorabatur aut numquam de iis inter cives contentio atque controversia mota est. Nostra autem aetas per longissimum spatium anteacti temporis plurima genera per omnes quasi gradus evoluta prospicit et ipsa constituta fuit in vehementissimo rerum publicarum motu, ita ut neque ulla forma non fuerit ante hunc diem, qua quidem ea societas hominum, quae adhuc fuit, stare possit, neque desint qui artem rei publicae acute pertractarint omnibus rebus, quae in quaque forma momentum faciunt, conquisitis et suo loco collocatis. Hac rerum copia et arte inde nata uti philologum decet, ut, cum omnia teneat, quae in antiqua rei publicae forma, quam tractat, aliquo momento sunt, gravia discernat a levioribus veteremque memoriam ita suppleat, ut imago recte adumbrata omnia intuenti monstret quae indagare nobis licet.

Non progrediar longius ad reliquas philologiae partes. Nam sententiae meae testificandae, non docendi causa haec exposui: neque enim deceat coram eo viro, qui inter paucos universum philologiae corpus complectitur et egregia disciplina per multos discipulos celebrata longo iam tempore docet, cuius ego doctrinam atque ingenium ut unus e discipulis suspicio, amabilem naturam filii pietate prosequor. Qua autem ego ratione in his studiis utendum putem, iam iis quae dixi satis patefactum existimo. Philosophiae enim lumen per omnes partes diffundendum arbitror, non ita ut scholae alicuius forma atque vocabula tamquam divina quadam vi praedita huic disciplinae imponantur, sed ea mihi philosophica ratio videtur, quae in causas et naturam omnium rerum inquirit et singularum rerum dispersam multitudinem ad genera sua revocatam tamquam ad familiae et domus suae coniunctionem conducit. Cui accedere debet libertas iudicii sensusque communis ex vitae humanae, quae nos circumstrepit, usu atque motu petitus, sine quo antiquam vitam et antiquos homines neque ipsi cognoscere neque nostrae aetatis hominibus repraesentare possumus.

Nullo magis tempore quam nostro quaesitum est, quid una quaeque disciplina ad vitae usum conferret, postquam et reliquae omnes maiore in dies copia augentur et maxime in rerum

natura pervestiganda tam multa et tam egregia cotidie inveniuntur, quae statim ad vitae usum traducta ingentes in omnibus partibus commutationes attulerunt. Harum rerum copia et novitate et splendore et utilitate capti homines atque tumentes, imperiti ac sordidi omnia respuunt nisi quorum praesentes fructus vident, prudentiores atque ingenui tamen praecipuum quendam huic naturali disciplinae locum tribui et huic reliquas parte sedis atque possessionis, quam adhuc tenuerunt, cedere postulant. Cui quo minus latior locus in publica institutione concedatur non repugno; ne reliquas populi favore adiuta possessione pellat acriter obnitendum arbitror. Quod si ex philologis quaeritur, quid ipsi ad vitae usum conferant, licet eis adhuc cum suavi quadam animi exsultatione gloriari, longe maximam et gravissimam primae institutionis partem sua disciplina niti, nulla re magis quam his Graecarum et Romanarum litterarum studiis teneros atque molles animos imbui omnium, qui ad humanitatem et liberalitatem, denique ad maiorem aliquam spem educantur. Neque hoc loco illa studia depelli possunt sine gravi humanitatis damno. Nam cum acui atque exerceri puerilia ingenia aliis quoque rebus possint, hoc ex omnibus, quibus prima aetas informatur, antiquarum litterarum studia praecipuum habent et sibi solis concessum, ut non solum acuant et exerceant, sed etiam impleant atque alant lactea quadam ubertate earum rerum, quas praestantissima ingenia iuvenili vigore et motu excogitaverunt, et simul artis atque pulchritudinis legibus, propositis egregiis in omni genere exemplis, imbuant. Neque casu factum est, ut quae studia nascente recentiore aevo rudes et prope infantes populos ad doctrinam atque elegantiam conformarunt, eadem horum quoque temporum pueros ad omnem liberalem cultum instituant. Duplex igitur in hac parte nostrum munus est, qui in aliqua litterarum universitate haec studia docemus, ut et eos informemus, qui puerorum institutionem suscipiant, et eos qui nostras aliquando vices expleant. Hic ii qui nos plus loci quam conducat in publica institutione occupare et rebus magis necessariis officere queruntur, satis esse putant si compendium quoddam et quasi summam philologiae studiosis tradamus, hac satis instrui quibus antiquae litterae in scholis docendae sint, qui autem eos ex altiore loco professuri sint, eos ad reliqua sibi ipsos duces esse oportere. Quasi vero nos

ultra summam quandam progredi aut conaremur aut possemus. Sed nimirum in eas angustias illi nos trudere videntur, ut nihil apud nos adolescentes discant nisi quod pueros aliquando in scholis doceant. Quam mercenariam operam nostro iure respuimus neque artis nomine quam profitemur dignam neque nobis aut adolescentibus honestam neque rei publicae utilem esse iudicamus. Nisi enim ea quae in scholis docentur ex uberiore doctrina depromantur et totius antiquitatis imagine animo percepta quasi lumine quodam illustrentur, non alent puerorum animos lactea illa ubertate, de qua antea praedicavimus, sed inutili et inerti onere depriment. Sed hanc universam imaginem qui non cum singularum rerum acri pervestigatione coniunxerit, is illam non magis perceperit quam avis aliqua pauca verba et humanae orationis simulacra, quae referre inani et ridicula loquacitate didicit. Itaque qui id nobis esse propositum dixerim, ut singularum rerum dispersam multitudinem ad genera sua et summam revocaremus, idem singulas illas res accuratissime pertractandas existimo. Docendi sunt adolescentes, quot res et quam minutae quanta diligentia colligendae et pervestigandae sint, ut ad genera illa atque summam penetretur, exercendi ante omnia ipsi in hoc labore, ut quomodo recte instituatur addiscant. Nam ii soli, qui huic labori assuefacti fuerint, quae didicerint percipient et intellegent et inani loquacitate atque arrogantia omissa quieta atque modesta industria omnia praestabunt quae natura cuiusque atque indoles patitur. Quam severam atque laboriosam disciplinam si plerique hoc tempore mollitia et arrogantia et praepostera festinatione aspernantur, philologiam, quod de eloquentia Cicero extremis annis Bruto suadebat, caste tueamur ut adultam virginem domique teneamus saeptam liberali custodia et ignobiles atque impudentes procos repudiemus. Neque enim vana spes est, non ideo his temporibus humanum genus iis rebus, quae ad cotidianae vitae usum quaestumque pertinent, totum se immersisse atque ingurgitasse, ut in his subsideret, sed ut accurata cognitione earum rerum, quae oculis manibusque tractantur, instructum atque corroboratum, altius quam antea evolaret acriusque resumeret ea quae sola mente pervestigari possunt.

ORATIO AD PRORECTORIS ACADEMIAE MUNUS AUSPICANDUM HABITA

Ienae die I. m. Aug. a. MDCCCLVII.

Omnibus fere, qui in hunc locum hac purpura induti prodierunt, ut summum academiae munus oratione habita auspicarentur, hoc propositum fuit, ut iuventutem liberalibus studiis operatam praeceptis quibusdam aut morum atque disciplinae aut doctrinae et litterarum monerent incitarentque; cui rei nullum tempus magis idoneum videri poterat, quam quo et omne iuventutis genus verba eorum acciperet, et ipsi, si suae auctoritati minus confiderent, publicam personam sustinerent. Verum his commodis non minora incommoda admiscentur, quod et eius modi oratio expectatur, quae universam iuventutem academicam adiuvet et delectet, et iis, quae dicuntur, publicae personae dignitas atque gravitas exaequanda est. Atque ego ut eos admiror, qui tantum ingenio et doctrina et usu valent, ut utrique rei satisfacere possint, ita, cum me longe ab hac laude remotum esse sentiam, alteri quam utrique deesse malo. Dicam igitur de re ex studiorum meorum angustiis petita; quae oratio si paucis prodesse videbitur, non satisfaciet illa quidem multorum expectationi, neque tamen a publica persona abhorrebit.

Non diu est, cum in multis litterarum universitatibus longe maior scholarum pars, quae a philologis habebantur, in emendandis et explicandis singulis veterum scriptorum libris versaretur, neque inter primarios huius disciplinae magistros deessent, qui hanc praecipuam et longe gravissimam philologorum curam existimarent, alteram autem, qua universae antiquitatis imago omnibus rebus, quae veteribus monumentis continentur, apte dispositis et in quandam summam coniunctis animo informatur,

tamquam secundariam et in subsidium illius exercendam despicerent. Hodie fere non est, cui non Wolfius et Boeckhius persuaserint philologis hoc muneris datum esse, ut universam antiquitatem tamquam vivam et praesentem in conspectum nostrum adducerent, neque sibi veteres scriptores emendandos et explicandos esse, nisi ut certa et perspicua totius antiquitatis cognitio paretur; neque litterarum universitatem esse putaverim, in qua non scholae philologorum ita instituantur, ut idem fere temporis et studii singulis veterum libris emendandis explicandisque et toti antiquitati in artem et summam redactae per partes suas tradendae impendatur. Quo salubri temperamento optime prospectum esset antiquitatis studiis, si magistrorum prudentiae responderet iuventutis obsequium. At hanc ubique fere eas scholas, quibus singuli veterum libri enarrantur, minore studio frequentare videmus quam alteras, quibus aliqua antiquitatis pars per capita sua descripta comprehenditur. Causae eius rei variae sunt neque omnes per se reprehendendae. Neque enim hoc certe de omnibus utriusque generis scholis dicere licet, plus delectationis afferre quae universae antiquitatis locum quam quae unius scriptoris librum aliquem explicent, cum et illarum non paucae aridam et spinosam materiem tractent et hae numquam varietate ex omni horum studiorum genere adfluente careant. Itaque primariam huius rei causam equidem in laudabili nostrorum temporum studio posuerim, quae non in singularum et discerptarum rerum cognitione acquiescunt, sed totius studii summam et vim et coniunctionem animo complecti nituntur. Praeclara res, nisi magnus error adiungeretur, quod ad hanc summam perveniri posse putatur sine accurata singularum rerum pervestigatione; quo accedit vitium non minus grave, et ipsum temporum nostrorum proprium, fuga laboris et praepostera quaedam festinatio, quae messem in herba percipere, non ascendere, sed evolare ad summa gestiat, quae res etiam theologos, iureconsultos, medicos ex liberalium studiorum auditoriis fugavit, dum omnia non plane necessaria sibi visa tamquam supervacanea despiciunt, ne de iis dicam, qui non ipsa studia, sed studiorum tantum sordidam mercedem amant. Et his quidem succurri non posse apparet; ceteris non inutile erit, si eas scholas, quibus singuli veterum scriptorum libri corriguntur et enarrantur, vel maxime necessarias esse demonstremus, neque

philologis tantum, sed magnae etiam parti reliquae iuventutis, quae in aliis litterarum generibus occupata est.

Quis enim nescit artissimam coniunctionem et necessitudinem intercedere inter omne studiorum genus, quod historicum appellamus? quod ipsis initiis suis et fundamentis diversum est et ab eo genere, quod ex sola mente et ingenio humano praecepta sua haurit, et ab eo, quod res corporis sensibus subiectas tractat. Ad historicum autem genus praeter philologiam et historiam etiam theologia et iuris prudentia certe maxima ex parte pertinent, sive potius omnia haec philologia complectitur, quae, si rem ipsam spectamus, omnium rerum praeteritarum scientia est, quamquam usu fere tantum in Graecorum et Romanorum antiquitate pervestiganda hunc ambitum suum tenuit. Omnium igitur harum disciplinarum hoc commune est, ut, cum ex litterarum monumentis hauriantur, necessario eadem ratione et via utantur. Neque enim quicquam ex his monumentis cognosci potest, nisi difficultates, quae omnibus adiunctae sunt, removeantur, ut et falsa investigentur atque corrigantur et obscura explicentur. Iam hanc artem criticam et hermeneuticam tradimus illam quidem nos propriis scholis, sed ex infinita rerum copia summa tantum capita perstringere licet, neque alia de causa hae scholae institui possunt, nisi ut, cui haec ars exercenda est, legibus maxime necessariis et primis quasi rudimentis imbuatur et totum genus et partes eius earumque partium inter se coniunctionem cognoscat. Haec maxime fructuosa erunt in exercenda arte, addisci quidem haec ars magis etiam quam aliae usu tantum potest. Atque hunc usum eae tantum scholae praestare possunt, quibus singuli veterum scriptorum libri emendantur et enarrantur. In his apto scriptorum delectu instituto omnia genera et criticae et hermeneuticae artis exerceri et illustribus exemplis propositis a iuventute perdisci possunt. Incipient igitur hic primum adolescentes ab ea parte, quae in verbis scriptoris restituendis versatur; in qua discent, quomodo codices aestimentur et testium multitudine ad paucos redacta, a quibus reliqui acceperint, ex his paucis rursus efficiatur id exemplar, unde omnes propagati sint, hoc denique investigatis librariorum erroribus ita coniecturali arte emendetur, ut ipsius scriptoris manus restituatur. Deinde progressi ad difficiliorem partem, quae per fraudem scriptori supposita sint, eruant, sive

dunt, quae ne immutare cogantur, facile criticae et hermeneuticae artis leges obliviscuntur, partim unum et alterum harum artium genus praecipue exercent, quod recte et expedite fieri sine reliquorum generum usu non potest. Quae priore loco commemoravi, in theologos et iureconsultos cadere apertum est. Illi fundamento disciplinae suae utuntur libris sacris, hi iureconsultorum Romanorum reliquiis, utrique exiguis veterum monumentorum partibus iisque inferioribus antiquitatis temporibus natis. Quod si haec sola tractant, necessario in permultos artis criticae et hermeneuticae errores incurrent. Primum veram illorum librorum formam reducere non poterunt, quia ne de principio quidem et fundamento huius rei, de codicibus, recte iudicabunt, nisi, quae omnium veterum codicum ratio sit, reliquorum comparatione et usu fuerint edocti, idemque fiet in reliquis partibus, quae ad verborum emendationem pertinent. Itaque non diu est, cum et iureconsulti et praecipue theologi librorum suorum foeda quadam vulgata uterentur, hoc est fidei et iuris decreta deducerent ex libris, quales homo aliquis suo tempore sane doctus, sed vera arte et disciplina destitutus arbitrio suo constituisset. Et hodie quoque doctissimos utriusque disciplinae viros eosdemque ingeniosissimos in fontium suorum locis explicandis torqueri videas et omnes sanae artis leges violare potius quam librariorum erroribus fontes illos depravatos esse concedant. Nimirum cum reliquorum veterum librorum usu destituantur neque, quam corrupti omnes ad nos pervenerint, teneant, coniectura in monumentis suis emendandis uti quasi piaculum timent. Atqui ex his criticae et hermeneuticae artis quasi initiis alia longe graviora pendent, iudicium de tempore et auctoribus librorum veterum, denique ipsius disciplinae ex his libris hauriendae conformatio. Atque cum in haec pericula incurrant theologi et iureconsulti exiguo fontium suorum ambitu, nescias an maiora iis inferantur eo, quod decreta eorum ex illis fontibus hausta ecclesiae et rei publicae auctoritate sanciuntur. Ita enim fit, ut quae indoctius aliquod et maioribus erroribus obnoxium tempus in his fontibus sibi reperire visum est, acerrime teneatur, quoniam auctoritas illa et diuturni temporis consensus et pia quaedam reverentia iam teneris animis infixa quasi caliginem obiciunt hominum oculis neque dispicere veritatem quamvis apertam sinunt. Eminent in hac quoque

parte theologi, qui quantopere arte hermeneutica abusi sint, ut decreta semel sancita retinerent, non opus est exponere. Atque hi ipsi luculentissimo documento sunt, quanto cum detrimento disciplina aliqua in ea parte, quam cum altera communem habet, suorum finium angustiis se contineat. Nam iidem theologi, qui in hos errores incucurrerunt, in fontibus suis tractandis omnes reliquos diligentia et cura superarunt, neque ex ulla alia disciplina tot et tam copiosi de arte critica et hermeneutica libri profecti sunt. Hos omnes errores removet et depellit philologia, quae latissimo ambitu omnia antiquitatis monumenta complectens in nullas iudicii angustias compellitur neque ullis ecclesiae aut rei publicae legibus et decretis astricta de omnibus rebus libero animo iudicat neque divinum quicquam aut rectum existimat, nisi quod ratio et iudicium verum esse evicerint. Hoc quam verum sit, inde apparet, quod theologi saniorem hermeneuticae artis usum debent Io. Aug. Ernestio, critica ars, quam nos quoque paulo ante acceperamus, in novo testamento primum recte exercita est a Carolo Lachmanno.

Pauca adicienda sunt de historicis. Qui, si antiquam historiam tractant, idem muneris quod philologi habent; sed plerique eorum, ut rei natura fert, media, plures etiam recentiora tempora perscrutantur. Itaque hi quidem in longe maiore fontium multitudine et varietate versantur quam philologi, sed artis criticae angustioribus fere finibus se continent. Ea enim maxime parte utuntur, quae in fide monumentorum investiganda versatur et ex pluribus eiusdem auctoritatis inter se discrepantibus quemadmodum verum eruatur. Atqui ad hanc rem vehementer prodest eius partis usus, qua verba veterum librorum restituuntur. Haec enim ex omnibus criticae partibus firmissimis legibus comprehendi potest, eadem animum ad minima quaeque momenta attendere assuescit, subtilitate acuit, firmis argumentis insistere cogit. Accedit, quod naturalis ascensus est a minoribus ad maiora, quem qui neglexerit, vix recte ad haec pervenerit. Accipient igitur historici ex philologorum scholis, quibus qualiscumque antiquitatis liber emendatur et enarratur, severitatem et accuratam diligentiam in fontibus eorum et ipsis rebus gestis tractandis, quoque accuratius hac disciplina usi fuerint, eo minus ad vagas opiniones et fallacia argumenta prolabentur.

Demonstrasse mihi videor vel [illegible] usui fore etiam theo-

logis, iureconsultis, historicis eas philologorum scholas, quae in singulis veterum libris enarrandis versantur. Ex quibus iureconsultos fere nullos in nostris auditoriis videmus, theologos et historicos paucos, cum superioribus temporibus plures convenissent. Sed hi quoque praecipuum harum scholarum usum non videntur perspexisse. Accedebant enim hodieque accedunt fere ii tantum, qui magistri munere ad vitam facilius sustentandam fungi decreverunt, ut non nihil ex materia a philologis tractata addiscant. Quod faciunt non male illi quidem, sed idem aliis quoque philologorum scholis consequi poterant. Hae vero scholae ea re omnibus, qui in studiis historicis versantur, maxime prosunt, et quicumque suo iudicio in disciplina sua tractanda uti volunt, fere necessariae sunt, quod his solis ratio et via, omnibus illis studiis communis, cognosci et percipi potest. Quod quale sit, eum non fugiet, qui ratione et via in disciplinis omnia contineri perspexerit, eumque qui sine his in aliquo studio versetur, caeci similem esse neque sine casu quodam ullam veritatis partem indagare posse.

Atque hunc ego praecipuum et latissime patentem harum scholarum fructum existimo, quod viae et rationis, qua studia historica tractanda sunt, usum tradit. Reliquae utilitates magis ad solos philologos pertinent: nam etsi easdem aliorum disciplinarum studiosis afferunt, tamen hi, quantum ex his rebus iis opus est, etiam ex ceteris scholis aut philologorum aut suae disciplinae percipere possunt.

Philologo autem primum ex ipsa studiorum suorum materia permulta hae scholae praestant, quae aliunde discere ei non licet, priusquam ipse omnes antiquitatis fontes pervestigare susceperit. Nam cum philologia universam antiquitatis imaginem complectatur, hunc ingentem rerum ambitum neque scholis de omnibus partibus habendis explicare licet, quippe cui rei in magna magistrorum multitudine, tamen nullum, ne longissimum quidem tempus sufficeret, per quod iuvenes in litterarum universitatibus studiis operam dare possunt, neque ulli libri exhauriunt, cum longe remoti simus ab illo fine, ut omnes antiquitatis partes inchoatas, nedum pertractatas habeamus. Et ne profuerit quidem adolescentibus omnia in litterarum universitatibus tradi, in quibus producendi ad studia, non materiae copia et ubertate obruendi sunt. Itaque et necessitas et ratio huc rem perduxit,

ut gravissima tantum propriis scholis comprehensa traderentur, reliqua initiis et via monstrata ipsorum adolescentium studiis postea instituendis relinquerentur. Ita ex vitae privatae latissimo ambitu perpauca tantum iis scholis, quae de antiquitatibus habentur, exponi possunt. Quot litterarum universitates esse putatis, in quibus geographia antiqua doceatur? Nonnullae autem partes ita comparatae sunt, ut natura sua viva professoris voce tradi omnino nequeant. Quis enim verborum significationes propriis scholiis tradat adolescentibus et lexicon quoddam iis proponat? Et tamen vel maxime optandum est, ut multis et illustribus exemplis primariam verborum vim indagare et reliquas significationes inde per gradus suos et varietates deducere et per diversum temporum atque scriptorum usum persequi melius, quam ab ipsis lexico evolvendo fiet, edoceantur. Omnes has res, quae propriis scholis tractari non possunt et tamen necessariae sunt, eae scholae, quibus veterum scriptorum libri enarrantur, attingent atque exponent. Qui si apte erunt delecti, tantam rerum ubertatem et varietatem praebebunt, ut ipsis difficultatibus aut librariorum vitiis aut scriptoris obscuritate obiectis necessario ad illas quaestiones deducamur.

Sed eae quoque antiquitatis partes, quae propriis scholis traduntur, his propriis scholis ita explicari non possunt, ut non res quaedam gravissima ad conformationem et disciplinam adolescentium desideretur. Nam hae ipsae partes, in quas antiquitatis universae imaginem distribuere et describere consuevimus, res tam multas et tam graves comprehendunt, ut capitulatim tantum et summatim proponi possint. Ante omnia in his scholis laborandum est, ut singularum rerum dispersa multitudo ad sua genera revocetur, communis earum et vera indoles atque natura aperiatur, causae simplices et perspicuae investigentur. Itaque ea exponimus, quae ipsi inquirendo effecimus et invenimus; quibus inquirendi viis atque ambagibus effecta et inventa sint, ob temporis angustias, et ne imago universae rei in adolescentium animis exprimenda obscuretur, exponere non possumus. Id enim harum scholarum praecipuum esse arbitror, ut summae rei plena et perspicua et certis lineamentis circumscripta imago proponatur, neque eorum rationem probo, qui parte quadam uberrime pertractata et tota inquirendi via exposita subsistere et reliquas partes silentio vel rapidissimo cursu

transire coguntur. Verum enimvero illa inquirendi via atque ratio tamen et ipsa vel in primis adolescentibus tradenda est, ne aliorum tantum inventa ediscant et in verba magistri iurare assuescant, quo facto actum esset de omni disciplinarum incremento et progressu, sed ut ipsi ad inquirendum excitentur et instruantur, quaeque acceperint, ea aliquando corrigant, exornent, amplificent. Atque huius quoque rei usum eae scholae praestant, quibus singuli veterum scriptorum libri explicantur. Neque enim solum in hac re ad omnes antiquitatis partes vel remotissimas et maxime neglectas deducimur, sed etiam singulas de his partibus quaestiones accuratissime exponere, omnia inquisitionis momenta atque anfractus persequi, aliorum sententias atque rationem refutare et unam rationem probandam esse demonstrare cogimur. Saepissime enim eveniet, ut aut verba scriptoris non certa fide tradita aut res ab eo relata vel sententia proposita, denique ipsa scriptoris persona eiusque libri natura artissime cum eius modi controversiis et quaestionibus coniunctae sint et iudicari de illis nisi his diiudicatis omnino nequeat. Ita cum in litterarum historia breviter de singulis scriptoribus eorumque libris acceperint adolescentes, hic accurate iis vita scriptoris, mores atque indoles, ingenium et ars exponentur; antiquitatum, mythologiae, artium et disciplinarum historiae, rerum gestarum, grammaticae, et si quae sunt alia, singuli loci uberrime explicabuntur. Hic igitur discent ne minimam quidem antiquitatis partem sine multorum et variorum monumentorum ope posse cognosci, quemadmodum ex singulis locis, quod usui esse possit, eliciatur, quomodo ipsi inter se componantur, comparentur, et ex consensu et ex dissensu verum eruatur. Neque quisquam reprehendet id in his scholis particulatim fieri et ab aliis ad alias res, ut verba scriptoris iubeant, transiliri. Nam uberior haec antiquitatis tractatio in scholis academicis numquam nisi per exiguas partes institui potest, et per has monstrata facile ab adolescentibus ad reliqua transferetur; permixta autem rerum varietas adsuefaciet adolescentes singulari cuidam et necessariae studiorum nostrorum rationi, ut ad res diversissimas animum attendant et ex veterum lectione ad omnes antiquitatis partes, quae usui sint, colligant atque conducant.

Atque haec res nos ad aliud commodum ducit, quod ado-

lescentes ex his scholis percipient. Nam si ita omnes antiquitatis partes pertractatae atque expositae essent, nihil aut perpauca ut desiderarentur, doctiores aut copiosa librorum supellectile instructi commentariis veterum scriptorum carere poterant, cum, ubicumque in aliqua re haesissent, ad illos libros recurrerent, quibus omnes antiquitatis partes accuratissime et uberrime explicatas haberent. Dixi autem iam antea longissime nos ab hoc fine abesse, et cum rerum multitudinem et difficultatem considero, haud scio an numquam eo perventuri simus, ut nihil nobis agendum supersit. Sed vel sic semper commentariis opus erit iis, qui, cum philologi non sint, tamen antiquitatis monumenta cognoscere cupiant: explicandi erunt veterum libri et in litterarum universitatibus adolescentibus et in scholis pueris. Itaque hoc quoque hae scholae iis, qui philologiae student, praestabunt, ut hoc munus explicandorum veterum librorum, quod ipsi defugere aliquando neque poterunt neque debebunt, quemadmodum recte et ordine administretur, accipiant. Discent igitur, qui vere explicare librum aliquem cupiat, ei nullam partem esse neglegendam neque minorem curam rebus quam verbis impendendam, discent in primis rem in hoc genere difficillimam, modum. Nam quod antea dixi totius antiquitatis locos in veterum scriptorum libris enarrandis uberrime et accuratissime explicari, ne quis me eorum rationem probare existimet, qui non librum, quem tractant, explicare, sed eo ad omnes doctrinae suae copias coacervandas et effundendas abuti consuerunt. Eam studiorum nostrorum rationem eamque veterum librorum condicionem esse dixi, ut multa aliter explicari non possent, nisi quaestiones quaedam accuratissime excuterentur: in summa nihil magis tenendum arbitror, quam ne quid proferatur, nisi quod aut ad emendandum aut ad intellegendum librum plane sit necessarium.

Vidimus iam eas scholas, quibus veterum scriptorum libri corriguntur et explicantur, omnibus, qui in studia historica incumbunt, universam et communem horum studiorum rationem, qua sola re vere fieri potest, usu tradere easdemque omnium antiquitatis partium tractandarum luculentissima exempla proponere. Hae igitur scholae sunt, quibus exerceantur et quasi in arenam deducantur adolescentes, quibus, quemadmodum ipsi aliquid in his studiis efficere possint, instruantur. Quod si al-

terum utrum scholarum genus omittendum esset, sine dubio rectius omitteretur, quo singulae antiquitatis partes summatim comprehenduntur, cum omnium rerum gravissima sit ratio atque via studiorum instituendorum, maximeque iis tradenda, qui ingrediuntur studia, ne semel in errorem inducti omni tempore gravissimis incommodis conflictentur. Itaque melius illi magistri, qui has scholas omnibus praeponebant et fere solas colebant, quam hi adolescentes, qui easdem neglegunt. Nos vero totius antiquitatis imaginem cum artis criticae et hermeneuticae usu et singularum rerum accurata pervestigatione coniungamus, ne aut in minimis quibusque acuti, quo haec referantur et qua re coniungantur, plane ignoremus aut imaginem illam coloribus suis destitutam quasi per nebulam aspiciamus.

ORATIUNCULA IN RENUNTIATIONE CERTAMINUM HABITA.

(Index scholarum hibernarum in universitate litterarum Ienensi a. MDCCCLXVII—MDCCCLXVIII habendarum.)

Non dubito, quin omnes, qui saepius huic festo sollemnique conventui interfuerunt, vehementer desideraturi sint suavem simul et venerabilem aspectum vocemque eloquentem eius viri, qui, postquam per longam annorum seriem orator universitatis nostrae fuit, nunc rude expetita donatus est. Afferebat enim ille et ingenium summum et uberrimam rerum varietatem, utpote qui non solum antiquitatem Graecam et Romanam, cuius disciplinam profitetur, universam complexus esset, id quod perpaucis concessum fuit, sed etiam omnium liberalium artium multiplicem scientiam paravisset et omnes humanitatis partes raro studio et elegantia iudicii prosequeretur; dicebat et graviter ad commovendos audientium animos et eosdem mira festivitate ad hilaritatem excitabat; denique per totam eius orationem perlucebat et penetrabat candidus ille et liber et recti verique cupidus animus, quo omnium, qui eum noverunt, et amorem et venerationem consecutus est. Sed ille quidem, ut est strenuus et impiger, otium quaesivit invitus, venerabili senectute coactus; quo otio dignissimo neque laboribus vacuo, cum longe graviorem professorii muneris partem retinuerit, ut quam diutissime fruatur, exoptamus.

4 Quod autem tam egregium oratorem nostra haberet academia, factum esse puto, ut, qui in consuetudine Latine dicendi non pauca novaverimus, quid de tradito more professorum eloquentiae e philologis deligendorum et Latinarum orationum ab iis habendarum statuendum esset, adhuc non quaereremus. In

quam ego quaestionem statim incidi, qui, cum me huic muneri minime aptum esse intellegerem, tamen necessitate quadam in re ipsa posita in hunc locum protraherer. Liceat igitur mihi animi mei sententiam libere profiteri.

Antiquus hic mos est, institutus ille quidem plane diverso litterarum et disciplinarum statu. Nam tum longe maxima scientiae pars ex Graecorum et Romanorum libris hauriebatur, omnis humanitas et omnis elegantior institutio solis fere antiquis litteris Graecis et Latinis continebatur; qui his maxime esset excultus, is ad omne gravius negotium aptissimus videbatur; his carere, qui in re publica versabantur, nullo modo poterant: denique homines in omnibus, quae dicebant et scribebant vel docendi vel oblectandi causa, quae quidem altiora et graviora et elegantiora videri volebant, Latino sermone utebantur; Graecorum et Romanorum sententias, formas, verba exprimebant; neque honoratae litterae erant ullae nisi Latinae, vernaculo sermone vulgo scribebatur. Ita fiebat, ut qui uni huic antiquitatis Graecae atque Romanae studio se dedissent, non solum sermonis, quo utendum erat, peritissimi essent, sed etiam uberrimam pro illis temporibus rerum et sententiarum copiam tenerent; atque illius temporis homines, qui in omnibus fere rebus de alieno viverent et perpauca ipsi invenirent, forma dicendi vel maxime delectabantur et verba apte posita, plenum orationis sonum, colorem Latinum etiam sine sententiarum copia et veritate[1] adamabant. Accedebat, quod, ut illa rerum condicio 5
exigebat, philologorum hoc praecipuum et omnibus reliquis gravius munus putabatur, ut eloquentiam et poëticen et docerent et ipsi exercerent; quamobrem nemo facile philologiam profitebatur, qui non et natura ad orationes habendas et carmina factitanda aptus sibi videretur et studio se ad has res conformasset. Itaque hi non magis philologiae, qualis ea hodie nobis videtur, quam humanitatis et veri eloquentiae et poëseos professores erant. Denique reliquae disciplinae illis temporibus tam artis finibus continebantur, adeo, quae ultra antiquitatis inventa progrediebantur, in ipsis initiis consistebant, ut ex his multa addiscere difficile non esset; neque defuerunt, qui per omnes universitatum ordines ascenderent et omnium disciplinarum, quae tum colebantur, professores evaderent.

Quae omnia quantopere nostris temporibus mutata atque

adeo in contraria conversa sint, quis est, quem fugiat? Latinus sermo non solum ex reliquo vitae usu fere totus evanuit, sed etiam in iis, quae solis doctis hominibus scribuntur aut disputantur, in angustissimum gyrum compulsus est, ut vel philologi, in quorum scriptis etiam superiore saeculo regnabat, hodie plura vernacule quam Latine scribant. Inter ipsos academiae cives non desunt Latini sermonis vix satis periti, ut Latine dicentem facile et plene assequantur; pauci tam sunt periti, ut, quam bene Latine dicatur, existimare possint. His igitur solis Latine dicimus: nam qui nullam ex Latino sermone voluptatem percipiunt (quae autem esse voluptas potest, cui de virtute aut vitiis dicentis iudicare non licet?) aut quibus impedimento est Latinus sermo, iis cur Latine dicamus, quae causa est? Nisi forte ex
6 dignitate academiae[1] videtur inani sono et tinnitu verborum aures permulcere, quo gaudere etiam mulierculas, cum Latine dicentem audiant, non raro affirmantes audivi, qui Latinas orationes laudare sibi viderentur. Ego vero, ut nos musicorum vel cantorum vice neque posse fungi nec debere existimo, ita orationem academicam eam maxima laude dignam censeo, quae non solos academiae cives, sed omnes humanitatis cupidos alliciat, et cum nihil ex severitate et dignitate disciplinae remittat, voluptatem et utilitatem 'ad quam plurimos perferat. Neque ego totum Latine dicendi morem exterminari cupio, quem magna ex parte recte retineri existimo ab iis, quorum disciplinae arto cum antiquitate Graeca et Romana vinculo coniunguntur, philologis, theologis, iurisconsultis, tum quidem, cum suae disciplinae studiosis dicant vel disputent; sed nunc de eo oratore ago, qui totius universitatis personam sustinet, quam non decet angustis parietibus includi, sed ut almam matrem nutrimenta quam latissime spargere. Cui rei quam contraria esset haec Latine dicendi consuetudo, praeter ea, quae antea dixi, vel ipse huius loci aspectus saepissime nobis demonstravit. Ex ipsis enim academiae civibus, quamvis praemiorum et novarum quaestionum renuntiandarum expectatio accederet, quota pars ad audiendas egregii oratoris orationes Latinas convenire solita est?

Quod si Latina oratio vel ea de causa improbanda est, quia Latinus orator paucis dicit, nihil iam est, cur hoc oratoris academici munus solis philologis deferatur; quod ipsum his temporibus ab universa eius muneris natura maxime abhorret, ut

ad certum professorum genus astringatur. Nam reliquas orato-
ris virtutes in hoc nostro academico forsitan non tantopere de-
sideres, ornatum dicendi genus, vocem,| actionem, quamquam 7
sine his orator esse non potest, ne hac quidem recitandi con-
suetudine, qua dudum recepta iam non offendimur: una res
a nullo magis quam ab academico oratore exigitur, varia et
multiplex rerum et sententiarum copia. Neque enim solum
multae et variae dicendi causae incidere possunt, ad quas ei
oratio conformanda est, sed saepius etiam, cum pleraeque ora-
tiones academicae statis sollemnibusque diebus certarum rerum
celebrandarum causa habeantur, de iisdem rebus dicendum aut
oratio ex aliqua eiusdem rei vicinia petenda et apte ad eam
deducenda est; quae quis probe faciat nisi in omni litterarum
et doctrinae genere versatus et agili mentis motu multas res et
diversas complexus? Non difficile erat hoc, ut exposui antea,
philologo proximis post renatas litteras saeculis. At nunc ver-
naculae litterae, nixae illae quidem, ut omnis liberalior ingenii
cultura, antiquitatis Graecae et Romanae fundamentis, sed sui
quaeque populi ingenio et inventis excultae, virtutibus diversis
ad parem antiquis praestantiam evectae sunt et mendicas illas
et importaticias Latinas plane obruerunt. Deinde singulae di-
sciplinae ex parvis et levibus initiis ad eum ambitum eamque
gravitatem pervenerunt, adeo omnia accurate persequendo et ad
certas leges et rationem revocando ex confusa et fortuita farra-
gine in sua membra diductae sunt, ut, cum medio aevo et sub-
sequentibus saeculis universam scientiam singuli homines com-
plexi sibi viderentur, hodie plerique in singularum disciplinarum
partibus elaborare satis habeant. Quod reliquis disciplinis non
magis quam philologiae evenit, quae, cum antea rudis fuisset
indigestaque moles, sub exitum demum superioris saeculi Fri-
derici Augusti Wolfii maxime opera circumspexit se et partes
suas disposuit et, quid sibi et qua via ac ratione agendum
esset,| didicit eaque re, quam pauca permultis et grandibus 8
libris longo temporis spatio perfecisset, intellexit. Non alia igi-
tur nunc huius atque reliquarum disciplinarum condicio est,
adeoque sunt in suo opere et ipsi philologi occupati, ut non
plus iis quam aliis temporis supersit ad eloquentiae et poëseos,
si deo placet, professiones capessendas. Neque hoc munus quam
philologorum iam non proprium sit, in summa re plerosque fu-

git: certe in professoribus philologiae deligendis vix ad hanc rem respicitur, neque quisquam peiorem philologum meliori propter oratoriam facultatem praetulerit. Itaque multos videmus perbonos philologos non optimos eloquentiae professores, quia hoc munus alienis et non idoneis accessorium atque adventicium impositum est. Neque ego hoc dico omnium minime aptos huic muneri esse philologos, quos, si omnino certo ordini id assignandum esset, ob res ab iis tractatas aliis aptiores putem, non aptiores tamen philosophis aut historicis. Neque obiciet mihi quisquam egregios inter philologos oratores, velut Augustum Boeckhium vel Goettlingium nostrum: hominum enim fuit illa virtus, non philologiae. Quamobrêm nihil egerunt, qui Latinas orationes vernaculis commutarunt, sed hoc oratoris munus solis philologis reliquerunt. Ne astringamus igitur, quod hominum est, certae disciplinae; ne uni quidem homini, nisi forte ut aulicos poëtas, ita academicos oratores huic uni et soli officio deditos instituendos putamus. At opus est academiae oratore. Est profecto, sed non uno eodemque. Dixi praecipuam academici oratoris virtutem esse variam et multiplicem rerum sententiarumque copiam. Hac copia unaquaeque litterarum universitas abundat, si omnes professores suos ad hoc oratoris munus suo quoque loco obeundum vocat. Tum ex omnibus disciplinis, quae sunt
9 scitu dignissima| et huic loco maxime convenientia, audiemus; tum, quae omnes tractant liberali ingenio et institutione praediti, varie tractata ex hominum et disciplinarum ingeniis et nova semper luce perfusa accipiemus; tum (id enim iubent egregii viri academiae nostrae professores, ingenio, doctrina, multi oratoria facultate insignes) tum spero et auguror hunc locum sollemnem ad audiendas orationes academicas maximam frequentiam adituram et ab omni genere hominum liberaliter institutorum et humanitatis cupidorum fructum earum perceptum iri. Quod facile institui licet in nostra academia, si anniversaria haec certaminum renuntiatio, ut olim fiebat, adiungatur orationibus prorectorum, ad alias autem causas singulas, id quod et ipsum semel atque iterum fecimus, ii oratores deligantur, qui unicuique causae videbuntur aptissimi. Sed hoc ut fieri possit, Latina oratio removenda est, qua non solum, ut antea dixi, auditorum frequentia excluditur, sed etiam ex professorum numero permulti a dicendo deterrentur, denique copia rerum

tractandarum minuitur, cum non paucae sint, de quibus Latine dicere, si omnino licet, difficillimum sit et impeditissimum.

Haec mihi in mentem veniebant contra veterem morem, cum mihi invito in hunc locum progrediendum esset, quia, cum collega hoc officium deposuisset, unus inter ordinarios philologus supereram et novum consilium temporis brevitate excludebatur. Neque tamen hoc mihi arrogo, ut meis argumentis rem confectam putem; sed, cum vacatione muneris mutandae rei occasio et opportunitas oblata sit, iis, penes quos harum rerum arbitrium est, hanc quaestionem disceptandam commendare volui. Qui si contra me pronuntiarint, plus vidisse eos quam me iudicabo. Neque enim nimium antiquitatis amorem in hac nostra academia vereor, cuius praecipua gloria est, quod dux semper fuit et signifera ad veritatis et libertatis fines propagandos; quaeque alibi in multis rebus periculosa visa est libertas, ea hic semper a principibus nostris clementissimis liberalissimisque protecta est.

MEMORIA CAROLI GOETTLINGII.

(Index scholarum hibernarum in universitate litterarum Ienensi a. MCCCLXIX—MDCCCLXX habendarum.)

Proxima hiems, tot illustrium virorum funeribus insignis, nobis quoque duplicem luctum tulit. Nam brevi spatio interiecto duo academiae nostrae decora, Augustum Schleicherum et Carolum Goettlingium, amisimus. Atque illius quidem mors, in ipso iuventutis robore, inter ardentissima studia et litterarum occupationes, cum quamvis egregiis ingenii et doctrinae experimentis longe maiorem futuri temporis exspectationem movisset, subito et saevissimo morbo ab amantissima uxore et parvis liberis rapti, tamquam fulmine ictos tristitia horroris et stuporis simili implevit. Goettlingius sexto et septuagesimo aetatis anno exacto, laetissima quaeque expertus, omni munere praestantissimae indoli debito praeclare et plene functus, ita a nobis discessit, ut in hoc quoque insignem eius felicitatem praedicaremus, quod, cum vita ei iam suavis esse non posset, tum eum lenis et non lenta mors excepit. Itaque Schleicheri recordatione fieri vix poterit, quin dolor noster, quamvis pio et verecundo animo divina consilia venerantium, augeatur et ingravescat, quippe qua acrius, quae et ipsi et nobis negata sint, admoneamur; Goettlingii memoria, in utramque partem laetissima, amissi luctum leniet et mitigabit. Praeterea illius memoriae recolendae ego impar, quia eius disciplinae, cuius ille, cum decessit, omnium iudicio princeps fuit, parum gnarus sum, huius, cui studiorum communione coniunctissimus et collega proximus fui, etsi nequaquam par, tamen plurimis beneficiis ei obstrictus animum meum non testificari turpe et ingratum puto. Magnopere autem adiuti sumus iis, quae viri Goettlingio familiarissimi, col-

legae nostri, Aemilius Danzius et Cuno Fischerus, ille in actis diurnis Vimariensibus huius anni numero 36, 37, 38, hic in praefatione opusculorum academicorum Goettlingii Lipsiae hoc anno editorum exposuerunt. Pauca ab ipso Goettlingio conscripta 4
Doeringius inseruit fastis academicis Ienensibus anni 1845 p. 140. Praeterea ipsi, quae ex commentariis universitatis nostrae peti poterant, non neglegimus.

Neque vero cuiusquam magis decet nomen in academia nostra celebrari quam Goettlingii. Nam si ex magno clarorum professorum numero, qui Ienae per tria saecula docuerunt, pauci omnium praestantissimi, quibusque iisdem plurimum haec litterarum universitas debeat, eligendi sint, inter hos nemo ponere dubitabit Goettlingium; qui, cum a multis expeteretur et ubique inter principes esse posset, totum se Ienae, ubi ortus erat, addixerit et, quidquid voce sua et scriptis prodesse aut gloriae parare potuit, id omne huic universitati tribuere et nobiscum communicare voluerit. Itaque studiis academicis absolutis paucos annos Rudolphopoli et Novi Wiedii professor et director gymnasiorum versatus, inde ab anno 1822, qui erat ipsius tricesimus, professor extraordinarius, ab anno 1826 praefectus seminarii philologi, 1829 professor honorarius, duobus annis post ordinarius, per dimidium fere saeculum Ienae docuit, annis 1824 et 26 bis Berolinum, 1831 Portam, 1841 Goettingam in locum Odofredi Muelleri, 1848 Tubingam quamvis lautis condicionibus frustra vocatus.

In gymnasio Vimariensi, quod inde ab anno 1808 per triennium frequentavit, praeceptores habuit Franciscum Passovium et Ioannem Schulzium, qui postea in Borussia institutioni publicae et maxime universitatibus litterarum praefectus, cum per longissimum temporis spatium ea litteris et humanitati praestitisset, quae immortali posteritatis memoria retinebuntur, venerabilis senex trium et octoginta annorum ipso uno mense post Goettlingium obiit, cuius ab hoc tirocinio per totam vitam amicissimus permanserat. Hi tum adolescentes, fervido animo et erecto antiquitatis Graecae et Romanae studia et summa quaeque foventes, ut multorum aliorum, ita Goettlingii generosum animum incitarunt et eorum, quae postea consecutus est, prima, sed firma fundamenta iecerunt. Inde anno 1811 ad studia academica transgressus Ienae per triennium versatus est; ubi tum

philologiam solus fere Eichstadius docebat, praeter scholas huius proprias et societatis Latinae exercitationes etiam historiam litterarum universam tradens, vir multiplicis et ingenii et scientiae, Latine dicendi et scribendi artifex, ad multarum rerum studia excitanda quam ad rectam studiorum rationem tradendam magis idoneus, gloria aliquamdiu magna, quae brevi evanuit, cum
5 solidae[1] doctrinae monumenta nulla reliquisset. Itaque Goettlingius tum eorum studiorum, quibus se iam Vimariae addixerat, ipse potissimum sibi dux et praeceptor fuit. Audiit autem praeter Eichstadium Griesbachium, celeberrimum litterarum sacrarum criticum et interpretem, Ulricum philosophum, Ludenum historicum et politicum, quem paternae domus amicum ipse ei percarus praecipue coluit; etiam Okenum, naturalis philosophiae, quae tum vigebat, interpretem, aliosque de hominis et rerum natura disserentes. Postremo, cum anno 1814 voluntarius eques adversus Francogallos meruisset, a qua militia reduci ordo philosophorum Ienensium auctore Ludeno, tum decano, doctoris diploma ultro obtulit, Berolini per unum annum Wolfium, Boeckhium, Buttmannum, alios audivit et seminarii philologi sodalis fuit. Atque hoc quamvis breve spatium iam corroborato et provecto ad studia recte persequenda plurimum profuisse iudicamus.

Philologiae classicae, quae omnes antiquitatis Graecae et Romanae partes complectitur, gravissimarum rerum copia latissimus ambitus est. Itaque plerique, etiam magni ingenii viri, cum sine accurata singularum et minimarum rerum pervestigatione in summa nihil profici intellegerent, ne multitudine et varietate rerum obtunderentur et debilitarentur, intentiora sua studia intra unam et alteram partem continuerunt; multi, qui omnia pertractare maluerunt, diffusam potius multarum rerum scientiam quam accuratam et solidam doctrinam consecuti non multum utilitatis his studiis attulerunt: paucis concessum fuit, ut universam disciplinam complexi in omnibus fere partibus egregie elaborarent et summa laude digna praestarent; inter quos Goettlingius noster fuit. Nam non minus Latinas quam Graecas litteras, grammaticam, antiquitates, mythologiam, archaeologiam et libris gravissimis et scholis cupidissime exceptis illustravit. Testes sunt editi ab eo Hesiodus, Aristotelis politica, eiusdem oeconomicus cum anonymi oeconomicis et Philodemi

libro, Theodosii grammatica, inscriptiones Romanae quindecim, libri de accentu linguae Graecae, de re publica Romana, denique duo volumina minorum librorum rerum varietate insignia, prius Halae anno 1851, alterum Monaci anno 1863 vulgatum, quibus nuper accessit tertium opusculorum academicorum Lipsiae editum, quo etiam orationes quasdam academicas complexus est. Scholis saepissime tradidit grammaticam Graecam et Latinam, antiquitates[1] Graecas et Romanas, historiam litterarum Graeca- 6
rum et Romanarum, mythologiam, archaeologiam; identidem interpretatus est Aeschyli Persas et Agamemnonem, Sophoclis Philoctetam et Antigonam, Aristophanis equites et nubes, Thucydidem, Aristotelis politica, Ciceronis orationes Catilinarias; semel et iterum historiam Graecam et Romanam, itemque Livium, semel Homeri Iliada et Odysseam, Hesiodi theogoniam, Aristophanis Acharnenses, Ciceronis libros de natura deorum tractavit. Inde ab anno 1852, quo ego Ienam veni, cum me Romanam potissimum antiquitatem coluisse videret, hanc mihi concessit, ipse Graeca, mythologiam, archaeologiam tenuit, nisi quod in seminario philologo alternis uterque auctorem Graecum et Latinum tractavimus, ex Latinis Goettlingius maxime Horatii carmina. Quaecumque autem scripsit Goettlingius, expressam ipsius ingenii, ipsius iudicii notam referunt; se ipsum ubique, non alios sequitur, sua via ingreditur, sua inventa profert. Et fuit in eo cum eximia varietas atque ubertas doctrinae tum maxime insignis subtilitas ingenii et elegantia iudicii, ut etiam, quae non probares, te caperent atque tenerent. Et quamquam magna eius librorum pars ante multos annos composita est, tamen post aucta studia et tot nova inventa nullus certe maior liber est, quem non hodie quoque magno cum fructu legas; doctrina accentus ne hodie quidem aemulum invenit. Cumque esset indole ad antiquitatis Graecae et Romanae ingenium penitus perspiciendum accommodatissimus, animo elato et eximio pulchri sensu praeditus, hanc praeter reliquam doctrinam excoluit etiam monumentorum artis antiquae et ipsorum locorum visu atque perlustratione. Nam cum iam anno 1821 Parisiis versatus esset, anno 1828 Italiam atque Siciliam, 1840 Graeciam peragravit et rediens revisit Italiam, anno 1846 iterum Parisiis et Londinii, aliis temporibus aliorum locorum illustria musea perscrutatus est, denique anno 1852 iterum Graeciam atque

Constantinopolim adiit. Graeciae quidem aspectus quantopere Goettlingii animum commoverit, demonstrant scholae, quas de Othrye post prius, de Acrocorintho post alterum iter in Rosa nostra habitas duobus minorum librorum voluminibus inseruit. Atque ut, quod sibi ipse his itineribus paraverat, certe aliqua ex parte etiam academiae nostrae urbique praestaret, anno 1845 artium antiquarum museum condidit. Cui ut multa contulit nostrorum principum et Friderici Guilelmi quarti, regis Borussorum, munificentia, ita plurima debentur Goettlingio, qui scho-
7 lis, quas ipse et auctore eo alii in Rosa nostra per multas hiemes habuerunt, cum cultioribus urbis nostrae incolis, quo et docerentur et oblectarentur, tum museo luculenta incrementa paravit. Iam post conditum museum frequenter archaeologiam docuit, quam multis annis ante, ipsis professorii muneris initiis, indici scholarum inseruerat, deinde intermiserat, ut vetus ei hoc studium fuisse appareat et subsidiorum inopia retardatum. Celerrime autem, postquam cathedram academicam ingressus est, primarium locum inter professores universitatis nostrae occupavit eumque diutissime tenuit, quoad aetas et valetudo, quae ei fere ad septuagesimum annum firma permansit, concesserunt. Alliciebat enim et tenebat iuventutem praeter reliquas virtutes, quas in eo fuisse diximus, miro vigore atque alacritate, hilaritate quoque et sale, quibus studiorum severitatem condiebat; neque quemquam auctorem saepius enarravit quam Aristophanem.

Non tantopere in ea disciplina, quam profitebatur, excelluisset Goettlingius, nisi reliquarum quoque liberalium artium multiplicem scientiam paravisset et omnes humanitatis partes raro studio prosecutus esset. Multarum enim rerum antiquarum vis atque natura nisi collatis recentioribus et adhibito aliarum disciplinarum lumine perspici nequit, neque quisquam philologus, qui harum ignarus est, in sua disciplina angustos quosdam fines et tamquam infimas regiones excedet. Goettlingius autem eximiam scientiam tenebat philosophiae, historiae, elegantiorum litterarum cum vernacularum tum aliorum recentiorum populorum, neque earum rerum, quae vivo se fierent cultioris hominis cura dignae, quicquam neglegebat. Adolescentia eius, Kantianae philosophiae et summo litterarum nostrarum flori propinqua, in ipso motu, qui illam sequebatur, constituta huius quoque tamquam occidentis solis radios exceperat. Neque ab illius

praestantissimae aetatis ingenio, suo affini, umquam descivit Goettlingius. Non levis ei cum Goethio consuetudo intercessit; qui quanti Goettlingium fecerit, cum epistolae demonstrant, tum quod, cum anno 1825 scripta sua collecta ederet, grammatici ei munus in emendanda oratione mandavit. Ita non facile aptior alius inveniri poterat oratoris academici sive professoris eloquentiae muneri, quod anno 1851 post obitum Handii suscepit. In quo qualis fuerit, minus apparebit eas orationes legentibus, quae opusculorum academicorum volumine continentur, quamquam omni laude dignissimas, quam nos sentiebamus, cum eum quotannis praemia certaminum renuntiantem audiremus. Hic enim cum eadem semper dicendi causa esset, numquam eum destituit aut ingenium aut rerum copia, quin magno et studio et voluptate audiretur. Dicebat autem et graviter ad commovendos audientium animos et eosdem mira festivitate ad hilaritatem excitabat; et erat oratio eius iisdem virtutibus, quibus scripta, insignis, perspicuitate, vigore, proprietate. Inter praestantissimas vero orationes eius eam numeraverim, qua Bachmanni et Reinholdi, philosophorum nostrorum uno anno defunctorum, memoriam recoluit, quam in programmate anni 1857 editam doleo non legi inter opuscula academica. Tum enim cum de recentiore philosophia summa elegantia tum de Castoribus illis nostris, ut eos appellavit, suavissima urbanitate dixit.

Atque his ingenii et doctrinae laudibus par erat morum eius integritas atque suavitas. Erat ei animus generosissimus, summarum rerum cupidus, ab omnibus sordibus longe remotus; probus, candidus, liber, recti verique studiosissimus. Notissima erat eius hilaritas et urbanitas, sales atque facetiae, quibus laetitiam et delectationem, ubicumque aderat, afferebat. Neque tamen quicquam ab eo magis alienum erat quam levitas; facetiae numquam malignae, semper castae. Bonitatem atque pudorem ne ioco quidem deserebat; gravitas et severum recti verique studium in summa comitate ita per omnia dicta factaque eius perlucebat et penetrabat, ut, cum eum omnes amarent, nemo non summa veneratione prosequeretur. Dogmatum et orthodoxiae quam esset inimicus, cum tota vita declaravit tum oratione illa, quam de Bachmanno et Reinholdo habuit, in qua istius sectae homines abire iubebat in regiones Tibetanas, ut

parerent Dalailamae: idem, ut deum veneraretur et intimas cogitationes ad eius numen converteret, pio animi motu impellebatur. Patebat enim animus eius, ceteroquin fortissimus, tenerrimis et mollissimis affectibus; quamquam horum minime ostentator erat, sed potius, ut occultaret et dissimularet, generoso quodam pudore adigebatur. Quod cum saepe alias tum morte uxoris experti sumus, egregiae feminae, quam duxerat, cum ipse esset annorum quadraginta. Quacum etsi per viginti annos coniunctissime atque amantissime eum vixisse sciebamus, tamen tantum fuisse amorem, quantus dolore amissae apparuit, nemo suspicatus erat. Quo felicius evenit, quod ei in amore sororis acquiescere licuit, quae, ex quo Ienam ipse redierat, numquam ab eo discessit, post mortem uxoris uni fratri vixit, ad eum omnia consilia et cogitata sua[1] retulit; cui etsi gravissimum dolorem fert, quod ei superstes est, tamen hoc unicum solacium est, quod non frater ipsa caruit. Neque facile collega par cuiquam obtigerit, atque ille per septendecim annos mihi fuit; quem Ienam venientem paterna benevolentia excepit, fovit, multarum rerum initio rudem amicissimis consiliis monuit atque rexit. Neque id aetatis homo, tanta gloria atque auctoritate, in ulla re, quam una administrabamus, superiorem sibi locum sumpsit, sed in omnibus parem mihi tribuit; id unum spectavit, quomodo quam plurimum uterque nostrum huic academiae prodesset. Qua benevolentia etsi me numquam indignum praebui, tamen illi potissimum laudi tribuendum est, quod egregia concordia egimus neque ulla inter nos tot annis ne minima quidem querella intercessit.

Talem virum felicem fuisse quis non gaudeat? Nam laetissima multa, triste praeter casum uxoris, quam subita et immatura morte amisit, et paucos extremae vitae annos, quibus senectus et valetudo ingravescebant, vix quicquam expertus est. Carus omnibus fuit, qui eum noverunt. Gratiam atque gloriam eximiis meritis debitam consecutus est. Honorum cupidus non erat; ne tamen ullus deesset, cum alii operam dederunt tum principes nostri liberalissimi, academiae huius nutritores. E quibus Carolus Alexander, magnus dux Saxoniae, universitatis nostrae rector magnificentissimus, imaginem Goettlingii marmoream Drakii, egregii artificis, manu factam in museo ab eo con-

dito posuit; qua re effectum est, ut, cuius viri immortalis memoria erit, eius faciem, qualis senioris cara nobis et familiaris erat, etiam postquam a nobis discessit, tamquam vivi et praesentis intueremur, suavem simul et venerabilem.



ANHANG.

1. Zu Afranius in Suetons vita Terentii.

An F(riedrich) R(itschl).

[*Rheinisches Museum f. Phil. N. F. XVIII. 1863. S. 319.*]

In der vita Terentii S. 33, 8 bei Reifferscheid hat die Hs. A *Hunc Afranius quidem omnibus comicis praefert, scribens in Compitalibus, Terentii non similem dicens quempiam*, und ebenso die übrigen Hss., nur *Terentio*. Ihnen entging nicht, was den Frühern entgangen war, dass in einem Verse des Afranius weder *similis* mit dem Dativ verbunden, noch die Genitivform *Terentii*, noch in dieser Verbindung *quempiam* gesetzt werden könne; nach andern Versuchen, welche Sie nicht befriedigten, glaubten Sie, dass die von Sueton angeführte Stelle des Afranius so gelautet habe:

Terenti numne similem dicent quempiam?

Hier ist Alles in bester Ordnung bis auf das *quempiam*. Statt dessen musste es in der Frage nicht weniger als in dem negativen Satze *quemquam* heissen. Denn wer so mit *quempiam* fragt, denkt sich Einen oder den Andern, welchen die betreffenden Personen dem Terenz vergleichen könnten; Afranius musste aber offenbar sagen, dass er sich Niemand denken könne, von dem man sagen werde, er gleiche dem Terenz. Nach den vergeblichen Versuchen etwas des Afranius Würdiges herzustellen, glaube ich, dass uns ein zufälliger Vers lange mystificirt hat und dass die Worte *Terentii* oder *Terentio non similem dicens quempiam* Nichts sind als eine Randbemerkung, welche den Inhalt der wahrscheinlich längern Stelle des Afranius angeben sollte und dann in Folge des Unverstandes der Abschreiber dieselbe verdrängt hat.

2. Plutarchus.

[*Philologus II. 1847. S. 490.*]

Plutarch Caesar c. 46 Ὁ δὲ Καῖσαρ, ὡς ἐν τῷ χάρακι τοῦ Πομπηίου γενόμενος τούς τε κειμένους νεκροὺς ἤδη τῶν πολεμίων εἶδε καὶ τοὺς ἔτι κτεινομένους, εἶπεν ἄρα στενάξας· Τοῦτο ἐβουλήθησαν, εἰς τοῦτό με ἀνάγκης ὑπηγάγοντο, ἵνα Γάιος Καῖσαρ ὁ μεγίστους πολέμους κατορθώσας, εἰ προηκάμην τὰ στρατεύματα, κἂν κατεδικάσθην. Ταῦτά φησι Πολλίων Ἀσίννιος τὰ ῥήματα Ῥωμαϊστὶ μὲν ἀναφθέγξασθαι τὸν Καίσαρα παρὰ τὸν τότε καιρόν, Ἑλληνιστὶ δ' ὑπ' αὐτοῦ γεγράφθαι. Hier hat Casaubonus mit Recht die Worte εἰς τοῦτό με ἀνάγκης ὑπηγάγοντο, Schäfer noch das folgende ἵνα für untergeschoben erklärt. Sie stehn nicht bei Sueton Caes. 30 und sind unerträglich matt. Aber was konnte Asinius Pollio bewegen, wenn Caesar jene Worte lateinisch sprach, sie griechisch wiederzugeben? Im Gegentheil lässt sich behaupten, dass, wenn Cäsar griechisch gesprochen hätte, Asinius jene Worte ins Lateinische übertragen hätte, wie es alle Geschichtschreiber thun, welche mit Kunst geschrieben haben, was man doch wol von dem scharfen literarischen Kritiker Pollio annehmen muss. Aber dass Cäsar jene Worte lateinisch gesprochen hat, zeigt deutlich die Stelle des Sueton: *Quod probabilius facit Asinius Pollio Pharsalica acie caesos profligatosque adversarios prospicientem haec eum ad verbum dixisse referens: 'Hoc voluerunt, tantis rebus gestis C. Caesar condemnatus essem, nisi ab exercitu auxilium petissem.'* Hier zwingt das *ad verbum* zu der obigen Annahme: und dann hätte Sueton, welcher grade von den kunstvollen Geschichtschreibern abweichend mit grosser Vorliebe alles griechisch gesprochene griechisch wiedergibt, im entgegengesetzten Falle die Worte gewiss griechisch verzeichnet oder, fand er sie in dieser Sprache nirgends angeführt, wenigstens bemerkt, sie seien griechisch gesprochen. Ich glaube Plutarch schrieb Ταῦτά φησι Πολλίων Ἀσίννιος τὰ ῥήματα Ῥωμαϊστὶ μὲν ἀναφθέγξασθαι τὸν Καίσαρα παρὰ τὸν τότε καιρόν, Ἑλληνιστὶ δ' ὑπ' ἐμοῦ γέγραπται.

3. Seneca. Appianus.

[Ex thesibus dissertationi inaugurali de supplementis commentariorum C. Iulii Caesaris (Berol. 1846) adnexis.]

Seneca contr. I. 6 p. 113 v. 12 ed. Bip. scripserat *voluit enim videri* et extr. p. *Iulius Bassus timuit, ne puella videretur improbe iusiurandum exegisse* et p. 114 v. 5 *Latro aiebat Bassi quo-*

que iusiurandum ineptum esse. Librarii effecerunt *voluit eam nubere* et *illi iurasse timuit ne a puella* et *Latro aiebat quoque.*

Appianus historicus quod praef. extr. de se refert δίκαις ἐν Ῥώμῃ συναγορεύσας ἐπὶ τῶν βασιλέων, μέχρι με σφῶν ἐπιτροπεύειν ἠξίωσαν, non administravit munus procuratoris, sed honorem tantum consecutus est.


Idem b. Hisp. c. 24 scripsit Καρχηδονίων οἱ στρατηγοὶ δύο ὄντε λοιπὼ τὼ δύο Ἀσδρούβα, non καὶ δύο Ἀσδρούβα, et c. 26 τὴν στρατιὰν ἐς ἐπήκοον καλέσας, non ἐλάσας.

Falsum est quod idem tradidit b. civ. II. 88, C. Cassium Caesari post pugnam Pharsalicam Hellespontum traicienti se dedidisse.

INDEX RERUM.

INDEX AUCTORUM.

Druck von Breitkopf und Härtel in Leipzig.




3 6105 011 679 383

